
BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XVIII
G
35
NAPOLI

XVIII
G
35

Google



Digitized by Google

EPITOME
MANUALIS
MISSIONARIORUM ORIENTALIUM
AB ADMODVM R. P.
F. CAROLO FRANCISCO
A BRENO
Strict. Observantiæ S. P. Francisci Theol., Fideique Controversiarum præ-Lectore Generali olim Compositi;

Nunc verò in compendium redacti, & in Quatuor Partes divisi:


In quarum duabus prioribus Hæreses omnes Orientalem Ecclesiam turpiter fædantes brevi, sed clarâ methodo confutantur: In reliquis verò Casus omnes morales Missionarios ipsos Apostolicos respicientes continentur.

OPUS

Studiosis omnibus valdè utile: At ipsismet Missionariis prorsùs necessarium.

PARS SECUNDA
CONTINENS TRACTATUS

De Sacramentis in Genere.
De Sacramentis in Specie.
De Variis Orientalium erroribus.



ROMÆ, Typis Antonii de Rubeis. MDCCXXXVI.
SUPERIORUM PERMISSU.

IMPRIMATUR,


Si videbitur Reverendissimo P. Mag. S. Palat. Apost.

N. Episc. Bojanen. Vicesg.

IMPRIMATUR.

Fr. Joannes Benedictus Zuanelli Ord. Prædicat. Sac. Palat. Apostolici Magister.

F. C. Simplici [illegible] L. Lect:
Hyacinthi a Brac. Nuovi.
Pertinet ad [illegible]
[illegible]



Digitized by Google

EPITOME MANUALIS MISSIONARIORUM ORIENTALIUM

PARS SECUNDA.



TRACTATUS VI.

De Sacramentis in genere.

1. E Sacramentorum natura, quæ Christi gratiam nobis veluti fontes amplissimi subministrant, varii apud Orientalem Ecclesiam errores invecti sunt, de quibus in præsenti, ut exscindantur, agendum est, priùs in communi, deinde in particulari.

CAPUT PRIMUM

An Legalium Observantia sit permittenda?

2. ARmeni, & Abyssini, ac Jacobitæ apud Dominicum à Trinit. Bibliot. lib.4. sec. 5. cap. 1. Legalia adhuc retinent, vel ex errore ab Ebione, & Cherinto deducto, aut ratione pravæ consuetudinis. Indagandum nunc est, utrum rectè operentur, & in suo more relinqui possint?

SECTIO PRIMA

Quædam prænotantur.

3. ADvertendum est I. Ex Doct. Subtil. 4. Dist. 3. Quæst. 4. §. *Ad argumenta principalia. Ad primum.* Legalia in triplici fuisse differentia, nempe moralia, Judicialia, & Cæremonialia. Moralia sunt, quæ ex sui institutione ad mores componendos erant ordinata, ut sunt præcepta Decalogi duabus tabulis lapideis inclusa, & eorum, quæ ad Deum pertinebant, in priori; eorum verò, quæ ad Proximum, in posteriori contenta, Deique digito impressa, Deuter. 4. 13. Judicalia illa erant, quæ Justitiæ administrationem, & externam Politiam respiciebant, quorum aliqua ob sui æquitatem, non præcisè quà talia, etiam in Dei Ecclesia retenta sunt. Cæremonialia denique ad Cultum Dei ordinabantur, in Sacrificiis, Oblationibus, Sacramentis, & rebus Deo dicatis, & observantiis Legalibus consistentia.

4. Notandum II. Ex eodem Subtil. loc. cit. §. *Sed quantum ad Circumcisionem.* Legalia quatrupliciter spectari posse. I. Quatenus utilia, & necessaria; ut Circumcisio ante Baptismi institutionem. II. Quatenus utilia quidem, non tamen necessaria, ut Circumcisio usque ad solemnem Evangelii promulgationem. III. Quatenus inutilia, non tamen vetita, quo pacto se habuisse Legalia, putant nonnulli Doctores, usque ad perfectam Ecclesiæ diffusionem. IV. Quatenus nedum inutilia, sed mortifera censentur, quo pacto se habuerunt post obitum saltem Apostolorum.

5. No-

5. Notandum III. Ex Seraph. Dot. 4. Dist. 3. Quæst. 3. Legalia tripliciter posse observari. I. Propter salutis necessitatem, ita ut censeatur, citra peccatum omitti non posse. II. Propter honestatem, quando scilicet retinentur, non quia spes ulla salutis in ipsis collocetur, sed ob alium finem honestum, ut V. G. ad denotandum, Legem Moysis à bono, non à malo Deo prodiisse, vel ad servandum ritum antiquissimæ familiæ, cujus insignia ex illo penderent. III. Ob Proximi infirmitatem, ne scilicet parvuli in Fide à Fide alienentur, existimantes Legem Mosaicam non servari, quia mala sit in se, & à malo Deo profecta. Quo pacto se gessit Apostolus Act. 16. 3.

SECTIO SECUNDA

Dicendum I. Legalia, ut talia sunt, cessasse; ita ut nullam ad salutem æternam consequendam utilitatem afferrant, & obligationem ad sui observantiam inducant.

6. Evincitur I. Ex Scripturis: Nam Apostolus ad Gal. 3. 2. Cum D. Petrum objurgasset, quod Gentiles exemplo judaizare compelleret, inquit, rationem reddens: *Non justificatur Homo ex operibus Legis, nisi per Fidem Jesu Christi, & nos in Christo Jesu.* v. 24. *Credimus, ut justificemur ex Fide Christi, & non ex operibus Legis, propter quod ex operibus Legis non justificabitur omnis caro.* Cum opera Legis Mosaycæ damnasset, ut minimè justificantia, subdit. *Itaque: Lex Pedagogus noster fuit in Christo, ut ex Fide justificemur: At ubi venit Fides, jam non sumus sub Pedagogo. Omnes enim Filii Dei estis per*

Fidem, quæ est in Christo Jesu. Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Et cap.5. ejusdem epist. v.2. *Ecce ego Paulus dico vobis: quoniam si circumcidamini, Christus vobis non proderit.* Et v. 6. quasi rationem reddens, subdit: *Nam in Christo Jesu, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed Fides, quæ per Charitatem operatur*; ergò Legalia non justificant: si serventur, Christus non prodest, adeoque omnino inutilia sunt ad salutem æternam consequendam; ergò cessarunt quoad obligationem.

7. Hinc Christus monet Apostolos, omnes cibos sibi oblatos indiscriminatim comedere, Lucæ 10. 7. 8. & Paulus confirmat ad Rom.14. & 1. Corinth.10. dummodo pusillorum absit scandalum.

SECTIO TERTIA

Idipsum ex Ecclesiæ Decretis evincitur.

8. Concilium Jerosolymitanum Act. 15. ob controversias inter Christianos ex Gentilitate, ac Judaismo conversos de Legalium observantia exortas, collectum, sententiam decisivam tulit: Petrus quidem, ut supremus Apostolorum vertex ante illa verba: *Viri fratres &c. Nunc ergò quid tentatis Deum imponere jugum super cervices Discipulorum, quod nec Patres nostri, nec nos portare potuimus: sed per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus salvari quemadmodum, & illi &c.* Apostoli verò simul sumpti Decretum edentes, & promulgantes: *Visum est Spiritui Sancto, & Nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immo-*

immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione, à quibus custodientes vos benè agetis.

9. Idcircò autem Idolothyta, Sanguis, & Suffocatum, ac Fornicatio vetita fuerunt, non quia censerent Apostoli cultum ullum, aut vim aliquam in hujusmodi abstinentia, aut in quocumque alio ritu Judaico existere; sed quia prò conciliandis Judæis cum Gentilibus, id fieri oportebat, ex August. lib. 31. Cont. Faust. Cap. 13. Hinc Idolothyta vetita sunt aut ratione scandali, aut quia professio erat falsæ Religionis, vel ad ipsam inductio: sanguis, & suffocatum ablata sunt, quia ab ipso Judæi magnopere aborrebant, ususque eorum à Deo ante Legem Mosaycam, Genes. 9. 4. 5. erat interdictus: Gentiles verò censebant, suffocatum esse Dæmonum cibum, ex Orig. Cont. Cels. Cap. 8. Fornicatio autem vetita fuit; tum quia non ad Cæremonialia, sed ad moralia pertinet, ex D. Thom. 2. 2. Quæst. 554. art. 2. bonis enim Matrimonii repugnat; tum quia Gentiles ab hoc scelere debuerant removeri, fornicationem non esse malam, utpote à jure civili minimè punitam, arbitrantes. Quarè sicuti nunc, deposita credulitate obligationis, aut utilitatis cæremoniarum, possent licitè illis uti, aut ab ipsis abstinere ob alios fines; ita tunc fecerunt Apostoli: cessante postea illo fine, præceptum illud Apostolicum de sanguine, & suffocato paulatim desiit.

10. Concilium Antiochenum sub D. Petro An. Christi 57. celebratum, cujus meminit Innoc. I. epist. 18., & Synod. Nicen. II. Act. 1. in quo Christifideles primò Christianos appellari debere statutum est Can. 1., pre-

 scri-

scribit Can. 2. nè quis baptizatus more judaico circumcidatur; ergò omnia Legalia fuere vetita, cum omnium sit eadem ratio.

11. Florentinum in Decret. pro Jacobitis: *Sacrosancta*, inquit, *Romana Ecclesia &c. Illam Mosaycæ legis ciborum mundorum, & immundorum differentiam ad cæremonialia asserit portinere, quæ surgente Evangelio, transierunt, & efficacia esse desierunt.* Hinc in professione Armeno-latina, jussu Urbani VIII. edita, ab Armenis, aliisque Orientalibus emittenda, continetur: *Profiteor, quæ in Florentina Synodo definita sunt, videlicet, Legalia veteris Testamenti, seu Mosaycæ Legis Cæremonias, Sacra, Sacrificia, & Sacramenta, Domino Nostro Jesu Christo adveniente, cessasse, & post promulgatum Evangelium sine peccato observari non posse. Ejusdem etiam Legis veteris ciborum mundorum, & immundorum differentiam ad cæremonialia pertinere, quæ, surgente Evangelio, transierunt.* Hanc Synodi Florentinæ decisionem sensus universalis Ecclesiæ confirmat, quæ numquam censuit se teneri ad Legalium observationem.

12. Idipsum antiquissimi Patres tenuerunt, ut Justin. Mart. in Dial. cum Triph. Epiphan. Hæres. 8. Athan. Orat. in illud; *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*. Chrysost. Homil. 39. in Genes. Basil. lib. de Spir. Sanct. Cap. 14. Cyril. Alexand. lib. 10. in Julian. Qui omnes Legalia, post Christi mortem, & solemnem Evangelii promulgationem, omnino cessasse, ac pro inde ad salutem esse superflua testantur; ergò non obligant.

SECTIO QUARTA.

Adducuntur nonnullæ rationes.

13. I. Umbra, & veritas, figura, & figuratum, perfectum, & imperfectum sunt incompatibilia: Legalia autem umbra erant, & figura Christi venturi, ipsiusque mysteriornm Religionis, I. Corinth. 10. 6. 11. Lex erat imbecillis, nec ad perfectum ducens, Ad Gal. 2. 10., ad Hæbr. 7. 19. Lex autem Evangelica veritatem continet. Joan. 1. 17., ad perfectum adducit, & perfectissimè salvat, ad Titum 3. 5. 6. ergò Lex Mosayca cessavit.

14. II. Lex particularis cedere debet universali prò salute Populorum omnium promulgata: Lex autem Mosayca pro natione tantum Hæbraica fuit lata, Evangelica verò pro omni natione, quæ sub Cœlo est, nullâ exlusâ, Act. 1. 8. & Marci ult. 15. 16. ergò Lex Judaica omnino cessavit, & consequenter etiam Legalia omnia.

15. III. Cessante fine, media quoque cessant, cum ordinentur ad finem: Finis autem Mosaycæ Legis fuit Christus in carne positus, ad Rom. 10. 4. Legalia verò dispositiva ad Christum, quem præfigurabant. Hinc ad Gal. 3. 24. *Lex pedagogus noster fuit in Christo*; ergò Lex Mosayca desiit obstringere, & omnino cessavit: optimè enim Hieronymus super hunc locum: *Priusquam Christi in toto Orbe Evangelium coruscaret, habuerunt suum fulgorem præcepta Legalia: postquam vero majus Evangelicæ gratiæ lumen effulsit, stellarum lumen absconditum est, & eorum radii*

caligaverunt; ergò Legalia jam desiérunt, nec ad sui observantiam obligationem inducunt.

SECTIO QUINTA

Dicendum est II. Legalia nedum mortua, sed mortifera esse; itaut observare illa cum opinione, quod sint significativa, vel obligationem inducant, peccatum sit læthale.

16. Ostenditur breviter. Observantia hujusmodi esset falsæ Religionis protestativa, ex D. Thoma 2. 2. Quæst. 122. Art. 4. denotaretur enim, Christum non adhuc venisse, nec redemisse Genus humanum: Legalia enim præfigurant Christum venturum, non verò pro nobis jam mortuum, atque à mortuis suscitatum; ergò est peccaminosa læthaliter hujusmodi observantia. Secundò, quia observantia ista cum opinione obligationis Fidem, & Spem in Christum Dominum evertit: Spes enim in Legalibus poneretur, & virtus aliqua in iis censeretur in esse, quæ non poneretur in Christo, & consequenter medium tolleret simpliciter ad salutem necessarium, cum tamen Act. 4. de Christo Domino dicatur 29. 30. *Non est in alio aliquo salus: nec enim aliud est sub Cœlo datum Hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*; ergò illa observantia esset graviter peccaminosa.

17. Tertiò; mortiferum piaculum est efficere, ac reddere Christum infructuosum, qui Joan. 10. 10. venit, ut oves suæ *vitam habeant, & abundantiùs habeant*: Observantia verò Legalium reddit Christum inutilem, & infructuosum, ex D. Paulo ad Gal. 3. 2. *Ecce Ego Paulus dicq vobis, quod si circum-*

cida-

cidamini, Christus vobis nihil proderit; ergò læthaliter delinquunt, qui cum opinione salutis, & obligationis Legalia observant.

18. Tandem accedit, Ecclesiam sub majoris Excommunicationis pœna vetere Christifidelibus-Rituum Judaicorum quemcumque usum, ex Elibert. Cap. 49. ex Leodicen. Cap. 39. ex Melden. Cap. 37. & in Jure Canon. Cap. *Omnes* 28. Quæst. 1.; ergò signum est peccare læthaliter eos, qui talia observant, ut talia sunt: Excommunicatio enim major numquam infligitur, nisi ob mortale peccatum.

SECTIO SEXTA

Solvuntur Objectiones contra primam Partem.

19. OBji. I. Lex Mosayca erat in æternum duratura, Gen. 17. 26. 27. & alibi passim, & loquitur universaliter de tota Lege: tum quia nulla datur oppositio inter Mosaycam, & Evangelicam, cum utraque sit à Deo: tum quia Legis Mosaycæ non legitur in Evangelio expressa revocatio; ergò adhuc durat.

20. Resp. ne. ant., ad cujus probationem nego Conseq. Loca enim allata, vel adducenda non de vera æternitate, sed de tempore diuturno debent intelligi; quia nimirum ad Christum disponebat, cujus mysteriorum erat typus, & figura. Umbræ autem, & figuræ cessant, adveniente veritate. Hinc æternitas pœnarum infernalium, & gaudiorum Paradisi, quæ dicuntur in æternum duratura, intelligi nequit de pœna temporali diuturna, ut Origenes censebat, eoquia cum non sint figuræ, sed figurata, absolutè sunt

inter-

interpretanda, cum etiam in Evangelio confirmetur. Nec verum est non dari oppositionem inter Legem Evangelicam, & Mosaycam, datur quippè maxima, nempe signi, & significati, figuræ, & figurati, servitutis, & libertatis, viæ, ac termini. Nec est novum; unum bonum alteri ratione status opponi; Matrimonium enim bonum, & sanctum est, & tamen opponitur Virginitati. Bona erat Lex Mosayca pro tempore suo: at Evangelio, ad quod ordinabatur, adveniente, desiit esse bona; & ad hoc quidem non opus erat expressa derogatione: noluit enim Deus ex semetipso solvere immediate Legem, quam ipse pro tempore determinato condiderat. Prodiit tamen pro Gentilibus, Deo inspirante, Decretum derogatorium Apostolorum, Act. 15. quod satis erat ad ejusdem Legis extinctionem: pro Judæis autem, etsi expresse non legatur, supponitur tamen, eoquia sequentibus temporibus, Hæretici existimati sunt, qui Legalia servassent, ut optime Subtilis Doct. Quæst. cit. §. *Respondeo*, & ad tertium inter Principalia.

21. Obji. II. Christus Dominus & factis & dictis docuit, non cessatura Legalia; ergò minimè cessarunt. Conseq. patet; Doctrina enim Christi in credendo, actio verò in operando nostra regula est. Prob. ant., nam de facto se circumcidi permisit, & alia multa Legalia observavit, ut comedendo Agnum Paschalem, Sabatha servando &c. dictis etiam docuit, nam Matth. 5. 17. *Nolite*, inquit, *putare quoniam veni solvere Legem, aut Prophetas: non veni solvere, sed adimplere*; ergò Christus non censuit Legem abrogandam; ergò Legalia non cessarunt.

22. Con-

22. Conf., quia enim Christus baptizari voluit, arguitur, nos quoque baptizari oportere; ergò quia Christus observavit Legalia, nos quoque servare eadem tenemur &c.

23. Resp. ne. ant., ad cujus probat. neg. Conseq. Idcircò enim se circumcidi permisit, non quia vellet, circumcisionem à nobis servari; sed ob alias rationes adductas à D. Thom. Part. 3. Quæst.37. Art. 1. Seraph. Bona. 4. Dist.3. Art. 3. Quæst. 1. Ut nimirum ostenderet, veram in se carnem habere, non ex materia cœlesti compactam: eam ex muliere habuisse, non de Cœlo datam: Ut se probaret de genere Abraham exortum, cujus signum in se habere voluit: Ut obedientiæ virtutem exemplo commendaret, quæ omnia impiissimi Hæresiarchæ erant negaturi. Dicitur autem venire, non solvere, sed adimplere Legem, quia, ut optimè August. Homil. de circumcis. Christus Legem implendo in radice abstulit, illa quippe posuit, quæ in Lege erant prædicata, & ideo ablata, quia impleta; uti de Sacramentis veteris Legis in adventu Christi impletis, & ideo ablatis, idem differit August. lib. 19. Cont. Faust. Cap. 9.: ideo non destruxit Legem, quia bona erat, sed implevit, & implendo cessare fecit, post mortem ipsius mysteriis Redemptionis omninò completis.

24. Ad Confirmat. falsum est ant. non enim præcisè baptizamur, quia Christus fuit baptizatus; ipse enim multa fecit, non ut imitemur, sed ut erudiamur: Christus itaque baptizatus est, teste D. Maximo Taurinen. Episcop. Hom. in Epiph. ut suo Baptismo Jordanis fluenta sacraret, suumque purificaret Baptistam, ut, vel facto suo Baptis-

mum instituerit, juxtà D. Thom. 3. Par. Quæst. 66. Art. 2. vel instituendum designaverit, uti docet Subtilis 4. Dist. 3. Quæst. 4. & ob alias rationes.

25. Obji. III. Ex hoc, quod Legalibus Evangelium successerit, non arguitur Legalia fuisse abrogata; ergò non cessarunt. Prob. ant. Ex hoc, quod Lex scripta Legi Naturali supervenerit, non arguitur Legem Naturalem cessasse: verè enim permansit cum suis Sacrificiis, Ritibus, & Sacramentis; ergò similiter. Prob. Conseq. Nam sicuti Lex Evangelica, utpote perfectior, nata est Mosaycæ succedere, ita Mosayca Naturali; ergò sicuti Mosayca stabat cum Naturali, ita Evangelica cum Mosayca stare poterit.

26. Deindè Legalia præter Christum, ejusque mysteria jam verificata, præfigurabant alia jam de Ecclesia Militante, & triumphante nondum posita, sed ponenda, ut V. G. Circumcisio, quæ Spiritus à sensualitate divisionem significat, & innuit Paulus ad Collos. 2. 11., ergò cum adhuc rationem figuræ, & typi retineant, robur suum habent, & servari possunt.

27. Resp. ne. ant., & Conseq. probat. non enim præcisè ob imperfectionem Mosaycæ Lex cessavit, Evangelica adveniente; sed quia ista supponit Christum venisse: illa autem venturum tantummodo prænunciabat; illa servitutis, hæc libertatis est; & propterea, Evangelio coruscante, debuit extingui. Lex autem Naturæ, & Scripta non ita: sed tantummodò ratione majoris, vel minoris perfectionis in eodem genere præfigurative opponebantur, additis solummodo cæremoniis, Ritibus, & Sacrificiis, Cultuque Dei magis

magis explicito, & utrãquè ad Christum venturum tendebat, nec erat typus, figura, umbraque Mosaycæ, sed ipsi tantummodo præsupponebatur, velut fundamentum, & propterea etiam Gentilibus communis, qui istam servantes Deo placuerunt, ut Job, Cornelius, Centurio, & alii.

28. Ad Conf. neg. Conseq. Legalia enim utique multa præfigurabant non adhuc in actu posita, sed futura, non tamen præcisè ut Legalia, sed qua signa tantum futuri: quatenus enim ut purè Legalia sunt, ad Christum tantum, ejusque mysteria præfiguranda dirigebantur: quæ cum reipsa evenerint, vim figuræ amiserunt, & propterea cessarunt.

SECTIO SEPTIMA

Solvuntur Objecta contra secundam Partem.

29. OBji. I. Qui nunc Legalia non observat, malè agit, ex Apost. ad Gal. 5. 3. dicente; *Testificor autem rursus circumcidenti se, quoniam debitor est universæ Legis faciendæ*; & ad Rom. 2. 25. *Circumcisio quidem prodest, si Legem observes: Si autem prævaricator Legis sis, Circumcisio tua præputium facta est*; ergò qui non observant Legem Mosaycam peccant, & malè agunt, sicut benè agunt eam observantes, cum eos juvet; ergò Lex Mosayca non est mortifera eam observantibus.

30. Resp. neg. ant., ad cujus probat. nè. conseq. Apostolus enim eo loco tantum vult, eos, qui putant ex conscientia erronea, Legem Mosaycam vigere, & circumcisionis

onus

onus adhuc esse sub præcepto, teneri ad universam Legem servandam, eo pacto, quo, qui suscipit Baptisma, ad observantiam totius Legis Evangelicæ se obstringit; Paulus ergò solummodo reprehendit eos, qui, tametsi circumcisionem, ut obligantem susceperant, asserebant non teneri ad cæterorum præceptorum observantiam, quod utique est falsum: eadem enim conscientiâ erroneâ ad utrumque tenebantur, quam quidem sub peccato obstringere, docent Theologi, cum D. Thoma 1. 2. Quæst. 19. art. 5. & 6. non verò Legem Mosaycam omnes obstringere, quod quidem toto illo capite, alibique Paulus condemnat, veluti eversivum salutis, quam in Christo consequimur. Eodem pacto est intelligendus Paulus ad Rom. 2. ubi vult, tantummodò Judæos circumcisione gloriantes, qui puram Legis literam servassent, absque mandatorum observantia, Dei intuitu, non Hominum, custodita, nihil juvasse, traditque regulam universalem, nempe observantiam Legis purè externam sine recta intentione; & solummodo intuitu Hominum nihil prodesse, ut optimè Maximus Turinen., vel quisquis alius apud Hieronym. tom. 4. At hoc nihil ad rem facit, cum nos loquamur de Legalibus post solemnem Evangelii promulgationem, & quidem quoad Christianos Legi Evangelicæ obstrictos.

31. Obji. II. Petrus, & Paulus etiam post solemnem Evangelii die Pentecostes promulgationem Legalia servarunt, & servari à Christifidelibus permiserunt, ut patet Act. 21., & ad Gal. 2. ergò Legalia non sunt mortifera, sicuti mortifera erat Fornicatio, & Idololatria, quam Apostoli numquam permiserunt.

32. Resp.

32. Resp. Cum Doct. Subtili. 4. Dist., & Quæst. Superius cit. §. *De singulis* conc. ant., & neg. conseq., nam post solemnem die Pentecostes Evangelii promulgationem, etsi Legalia quoad utilitatem, & obligationem essent evacuata, minimè tamen erat Judæis illa servare interdictum, dummodo nullam in his spem collocassent, & uti necessarium Religionis ritum non existimassent. Hęc autem prohibitio absoluta usque ad viciniora tempora dilata est, ne Synagoga à Deo ipso profecta statim, & cum verecundia cessaret, sed paulatim, & cum honore, ut inquit Augustinus, in sepulchro conderetur: & proindè, sicuti tunc non peccarunt Judæi servando, ita nec Apostoli permittendo, cum id facerent animo Fratres lucrandi, non intuitu Religionis. Cum verò Evangelium ubique diffusum est, & Ecclesia crevit in Virum perfectum, tunc, Synagoga Sepulchro conditâ, Legalia, ex Ecclesię Decretis, ipsiusque sensu communi, cœperunt esse mortifera. Petrus autem fuit à Paulo reprehensus, non quia præcisè Legalia servaret, vel eo tempore id Judæis permitteret; sed quia exemplo suo videbatur, Gentiles cogere ad Judaizandum, vel quia nimium Judæos timebat, quos corrigere debuisset, nec simulare decebat Supremum Pastorem, sed agere apertè.

33. Quæres I. An Orientales Sectarii, qui cuperent ad Christum converti, & egre Legalia relinquerent, possent permitti in eis permanere?

34. Resp. Quoties ipsi nullam spem salutis in iis ponerent, nec ritum facerent Religionis, sed ob alios fines intenderent politicos citra scandalum, posse permitti; secus verò si cul-

si cultum Religiosum in illis ritibus ponerent, vel spem aliquam collocarent in ordine ad vitam æternam. Meliùs tamen ageretur, Sedem Apostolicam, si facultas suppeteret, consulendo.

35. Quæres II. An Catholici comedentes sanguinem, & suffocatum læthaliter delinquant?

36. Resp. negativè: quidquid in oppositum Græci Schismatici adversus Latinos astruant, eos Legis Apostolicæ Act.16. editæ violatores, & propterea Ecclesiæ refractarios acerbè conclamantes. Ratio autem est apertissima: quia nimirum, cessante fine Legis in universali, cessat Lex, cap. *Cum cessante* de Appellat. & firmant communiter DD., eo quia finis est Anima Legis, ut optimè Jason. in L. *Petens* de Pac. cessavit autem finis, ob quem Lex illa de abstinendo à sanguine, & suffocato ab Apostolis fuit condita; ut nimirum Gentiles, & Judæi ad Christum conversi, faciliùs inter se cum tranquillitate viverent, Lex Judaica de abstinentia à sanguine, & suffocato ab ipsismet Gentilibus servaretur, & Fornicatio vetaretur, quæ apud ipsos censebatur licita, quod quidem magnum Judæis scandalum ingerebat. Antiqua quippè Synagoga paulatim desiit, cum honore sepulta; Ecclesia verò ex Gentilibus confecta ad culmen dignitatis, & amplitudinis emersit.

37. Lex positiva humana abrogatur per contrariam consuetudinem legitimè introductam: Consuetudo enim habet vim Legis, Cap. *Consuetudo* Dist. 1., Cap. *in His* Dist. 11. Sicuti per unam Legem abrogatur altera, si per legitimum feratur Legislatorem: at introducta est legitima consuetudo comedendi

san-

sanguinem, & suffocatum in Ecclesia Latina, cum id factum fuerit, scientibus, & videntibus, nedum inferioribus, sed Supremis Ecclesiæ Prælatis, nempè Romanis Pontificibus, qui res alias, etsi minimas curarunt: ista verò comestio secundùm se mala non est, sed indifferens; ergò Lex illa de sanguine, & suffocato fuit abrogata.

38. Nec defuit justa Causa, ne scilicet ansa præberetur Manichæis Ecclesiam Latinam reprehendendi, quasi sanguinem, & suffocatum uti res ex natura sua malas rejiceret. Ecclesia quidem Orientalis hæc dicteria contemnendo benè egit: at nec se malè gessit Occidentalis illis occurrendo, & ora Hæreticorum obstruendo, ne loquerentur iniqua.

39. Canones in oppositum à Græcis producti nihil evincunt, cum per legitimam consuetudinem fuerint antiquari: Ecclesia enim moderna eadem est, quæ antiqua, eademque pollens authoritate; adeoque, sicut antiqua edere, ità moderna potest abrogare Leges, cum soli Hæretici respuant modernam, antiquam solam venerantes Ecclesiam. Lex verò Divina Gen. 9. 4., & Levit. 17. 14. cum sit *cæremonialis*, post *Evangelii solemnem promulgationem*, minimè obstringit. Sicuti ergò Græci benè agunt Legem illam servantes, ità Latini minimè sunt reprehendendi, qui justis moti rationibus minimè illam ducunt custodiendam: Circa enim agibilia, temporum, locorum, & circumstantiarum varietatem prudenter Ecclesia perpendit.

CA-

CAPUT II.

Utrum Sacramenta Novæ Legis sint gratiæ effectiva, & quidem ex opere operato?

40. SAcramenta fuisse à Christo Domino instituta, nemo etiam ex Hæreticis in controversiam advocat, eaque Hominibus esse salutaria, ipsemet Isaias in Symbolo prævidit: nam cap. 12. 3. Legis novæ Fidelibus gratulans: *Haurietis*, inquit, *aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, & dicetis in illa die: confitemini Domino, & invocate nomen ejus.* Activitatem solummodo, & numerum, si de ipsis in genere sermo sit, Sectarii nonnulli Orientales in controversiam vocant, de quibus præsenti capite disputabitur.

SECTIO PRIMA

Nonnulla prænotantur.

41. NOtandum est I. Sacramenta posse dupliciter Gratiam causare, nempe per modum Causæ principalis, & instrumentalis. Primò modo contigeret, si hujusmodi virtutem Deus Sacramentis communicasset, itaut ipse in eorum effectus nullum alium influxum haberet, quam Causæ universalis, & primæ, uti concurrit cum omnibus causis naturalibus ad earum effectus producendos, eisdem non minus, quam Deo adscriptos. Secundo autem modo contigeret, quoties Deus revera ut causa præcipua effectus Sacramentorum produceret; at in eorum productione ut e-

retur

retur signis sensibilibus, veluti instrumentis, eo pacto, quo etiam in naturalibus animadvertimus, ab igne calorem ad comburendum, ab artificibus fabrilia sua ad artefacta efficienda adhiberi, quibus quoque in suo genere opus artefactum verè adscribitur.

42. Notandum II. Aliud esse Sacramenta effectus suos producere ex opere operato, aliud ex opere operantis. Primum contingit, quando effectus producitur virtute signi ipsius, non verò ex merito, aut precibus operantis vel recipientis, dummodo obex non inveniatur. Secundum verò accidit, quando effectus ponitur non virtute signi, sed ob merita, & preces operantis, vel suscipientis, uti erant Christi, ac Sanctorum miracula, & Sacramenta Veteris Legis in ordine ad sanctificationem. Armeni, aliique Etherodoxi Orientales, ut eis adscribit Guido Carmelita in suo Hæret. Cathal., putant in Sacramentis nullam esse vim sanctificandi, nisi ex merito suscipientium, ipsasque nihil aliud esse, quam puras notas Fideles ab Infidelibus distinguentes, ita edocti à veteribus Sectariis, quorum meminit Epiphan. Hær.57. Theodoret. lib.4. de Hæret. Fabul. cap.10. Damascen. lib. de Hæres. Quas pravas opiniones quoad aliqua saltem Sacramenta Sectarii Occidentales imprudentes sequuntur.



SE-

SECTIO SECUNDA

Dicendum est Sacramenta Novæ Legis Gratiam producere ex opere operato.

43. OStenditur ex Scripturis: Nam Marci ult. 16. ubi Baptismi fit mentio, dicitur: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Joannes 3. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Act. 2. 38. *Pœnitentiam agite & baptizetur Unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus Sancti.* De Pœnitentiæ Sacramento habetur Joan. 20. 23. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt:* Scimus autem, numquam deleri peccata sine infusione gratiæ; igitur si Baptismus, & Pœnitentia, quatenus Symbola sunt, & signa, peccatum remittunt; ergò signa sunt gratiæ causativa, cum effectum suum sortiri dicantur secundum se, prout contradistinguuntur à dispositione subjecti. Sic de Eucharistia Joan. 6. 16. *Caro mea verè est Cibus, & Sanguis meus verè est potus, qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem in me manet, & ego in eo.* Ut autem figura à figurato distingueret, ibidem ait; v. 59. *Hic est panis, qui de Cœlo descendit. Non sicut manducaverunt Patres vestri Manna, & mortui sunt: Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Ante verò mortis minas comedere renuentibus præmiserat v. 54. *Nisi manducaveritis Carnem Filii Homi-*

Hominis, & biberitis ejus Sanguinem non habebitis vitam in vobis: Deinde cibi istius confirmans efficaciam, v. 55. *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die*. Quæ promissiones, neque de Symbolis Veteris Testamenti, neque de pura dispositione requisita ad Symbola Novi possunt intelligi: sed ipsismet Symbolis contradistinctis à prævis dispositionibus, & secundum se spectatis, & quatenus à subjecto præparato distinguuntur, convenire dignoscuntur; ergò ex Divinis Scripturis Sacramenta Novæ Legis secundum se conferunt Gratiam, adeoque ex opere operato.

SECTIO TERTIA

Idipsum ex Ecclesiæ Decretis, & Patrum autboritate ostenditur.

44. Nicænum primum Oecumenicum, apud Gelaf. Cizicen. lib. 31. cap. 4., uti refert Bail. tom. 1. Par. 3. Concil. Nicæn: ubi nonnulli Canones ejusdem recensentur, quod *Doctrina de Baptismo*, inscribitur, hæc habet: *Baptisma nostrum non oculis corporeis considerandum est, sed mentis oculis: Aquam vides, considera virtutem Dei in aquis absconditam*: & infra: *Descendit quidem is, qui baptizatur, peccatis obnoxius, servitutis corruptione detentus: ascendit autem ab ea servitute, & peccatis liber hæres, & cohæres Christi*. Quid clarius dici potest?

45. Synodus Constantinopolitana I. sub Damaso, & Theodosio Seniore Augusto adversus Macedonii blasphemias celebrata, in

Symbolo ait : *Credimus unum Baptisma in remissionem peccatorum .*

46. Florentinum pariter Oecumenicum , cui Armeni quoque assensum præbuerunt , in Instruct. Armen. §. *Quintò* , postquam definiisset , septem esse Sacramenta , quæ ibi enumerat , subdit : *Quæ multum à Sacramentis differunt Antiquæ Legis : illa enim non causabant Gratiam , sed eam solum per Passionem Christi dandam esse figurabant : Hæc vero nostra & continent Gratiam , & ipsam dignè suscipientibus conferunt* ; Si igitur Sacramenta nostra continent Gratiam , quam non continebant antiqua , quam solummodo præfigurabant ; ergò eam causant instrumentaliter . Cum verò dicitur : *dignè suscipientibus* , satis innuitur , causalitatem Sacramentorum in dispositione suscipientis minimè consistere , sed eam solummodo præsupponere ; quo pacto multa Adversariorum argumenta evanescunt : nam Scripturæ , & Concilia requirunt quidem ex parte suscipientis Fidem , & alias dispositiones : at asserunt , non sufficere ista , sed requiri ipsamet Sacramenta , ut justificationis gratiam consequamur ; ergò causalitas ipsorum non oritur à dispositione , sed ab ipsismet signis Sacramentalibus .

47. Patres in idipsum conspirant . Clemens Alexand. Lib. 1. Pedag. Cap. 6. de Baptismo ita loquitur : *Multis modis vocatur hoc opus Gratia , Illuminatio , Perfectum , & Lavacrum , Lavacrum quidem , per quod peccata abstergimus : Gratia autem , qua remittuntur pœnæ , quæ peccatis debentur : Illuminatio autem , per quam sanctam illam , & salutarem lucem speculamur , hoc est per quam , quod est Divinum , perspicimus : Perfectum autem dicimus ,*

cimus, cui nihil deest, quid enim ei desit, qui Deum novit? Gregor. Nissen. lib. de Baptis. *Baptisma*, inquit, *peccatorum expiatio est, remissio delictorum, renovationis, & regenerationis Causa*. Cyril. Jerosol. Cathec. 3. in Præfat. *Magnum est sanè propositum hoc Baptisma captivitatis liberatio, peccatorum remissio, Animæ regeneratio, currus ad Cœlum.* Cyril. Alexand. lib. 2. in Joan. Cap. 42. *Quemadmodum viribus ignis intensiùs aqua calefacta non aliter urit, quam ipse ignis: Sic Spiritus Sancti operatione, qua baptizati corpus aspergitur, reformatur ad Divinam virtutem, & potentiam:* Et propterea in Apol. ad Theodos. scitè ait: *Justificamur per Sanctum Baptisma, mortem Christi annuntiantes.* Epiphan. in Ancor. *Aquæ non in uno Hominis membro fiunt, sed totum Hominis Corpus purificant, & circumcidunt, & ab omnibus malis liberant.* Qui lustrare cupit plures alias Patrum authoritates ex Græcis, Latinisque haustas, Jodocum Coccium adeat in Thes. Cathol. tom. 2. lib. 5. ex quibus habetur, Baptismum, & consequenter alia Sacramenta, non ratione dispositionum antecedentium, quas in Adultis requirunt, & præsupponunt, sed ipsiusmet Sacramenti Animas renovare, sanctificare, regenerare, in adoptionem vocare Filiorum Dei, Hæredes facere vitæ æternæ; ergò conferunt gratiam ex opere operato.



Adducuntur quoque nonnullæ rationes ad ipsum comprobandum.

48. I. NOnnulla Sacramenta, ut Baptiſmi, & Pœnitentiæ applicantur in mortis diſcrimine conſtitutis, ne in æternum pereant, & quidem à quocumque Miniſtro conferantur adminiſtrationis capaci, ex Florent. in Inſtruct. Armen., Carthag. IV. Can. 100., & Triden. ſeſs. 14. Cap. 7. Si autem nihil prorſus agerent, hoc eſſet ineptiſſimum; ergò &c.

49. II. Omnia Sacramenta proprium Miniſtrum habent, ut illicitè ab aliis conferantur, niſi in extrema neceſſitate, ſicut in Baptiſmate contingit: in aliquibus verò determinatæ Perſonæ, talique ritu conſecratæ ita exiguntur, ut, ſi opus Sacramentale ab aliis fiat, irritum penitus, & inane cenſeatur; quo pacto Euchariſtia, & Pœnitentia à Solis Sacerdotibus: Ordinatio verò, & Confirmatio à ſolis Epiſcopis conficiuntur: hoc verò rediculum eſſet, niſi Sacramenta ex Divina inſtitutione virtutem aliquam haberent, Gratiam, & Dona Cœleſtia conferendi: operari enim merito Agentis non eſt proprium Sacramentorum privilegium, cum interdum Laici Sacerdotibus ſint ſanctiores, & Deo acceptiores; ergò Sacramenta aliquid agunt, & quidem ex opere operato.

50. III. Sacramentorum Miniſtri non agunt nomine proprio, ſed Dei, cujus vices gerunt; & propterea, licet mali ſint, & improbi, adhuc validè operantur, ſi neceſſaria, ex inſtitutione requiſita adhibeant, ut optimè

Au-

August. Trac. 6. in Joan. ante med. Si autem Sacramenta nullum in Gratiam influxum haberent, vel solummodo ex operè operantis, nullatenus referret, an alieno nomine operarentur; ergò cum effectus ipsis adscribatur ministerialis, ex Apost. 1. Corinth. 4. 1. 2. *Sic nos existimet Homo, ut Ministros Christi, & Dispensatores mysteriorum Dei: Hic jam quæritur inter Dispensatores, ut fidelis quis inveniatur?* Profectò influxum habent erga effectus Sacramentales ex ipsamet natura signi, stante Divina Institutione, provenientes; ergò Sacramenta agunt ex opere operato.

51. IV. Materia, & Forma, ideft res, & verba, quibus, ex Florentino in Instruct. Armen., Sacramenta conficiuntur, ità sunt inter se distincta, ut quod uni Sacramento deservit, alteri sit omninò inutile, ac vacuum; & ità ad Sacramenta conficienda requiruntur, ut nisi res illæ, verbaque determinata adhibeantur, Sacramenta minimè conficiantur; nec Gratia conferatur. Hinc Nicænum I. jubet, rebaptizari ac reordinari Can. 18. Paulianistas Hæreticos, in forma Ecclesiæ minimè initiatos; quod de aliis Hæreticis minimè permiserat ad Ecclesiam revertentibus, legitimè baptizatis, atque ordinatis, Can. 8. Hoc autem esset stultissimum, nisi Sacramenta Gratiam verè, ut signa sunt practica, efficerent, cum Deus nullis alligetur ex se rebus corporeis ad sua opera efficienda; ergò Sacramenta Gratiam producunt ex opere operato.



SECTIO QUINTA

Solvuntur Argumenta in Oppositum.

52. OBji. I. Divinæ Scripturæ totam vim justificandi Fidei tribuunt actuali ex Mar. ult. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit salvus erit; qui verò non crediderit condemnabitur*. Et innumeris aliis locis, in quibus inculcatur Fidei necessitas, cui omnia adscribuntur; hinc videmus, Cathecumenos salvari etiam citra Baptismum, ut de Valentiniano II. Augusto scribit Ambrosius; ergò Sacramenta non sunt Gratiæ signa ex opere operato, sed solummodo ex opere operantis.

53. Resp. ne. ant., ut patet ex parvulis, qui citra Fidem cum Baptismate salvantur, & de Adultis, qui cum Fide absque Baptismo, vel ejus voto, si culpabiliter careant, damnantur: Scripturæ igitur requirunt quidem Fidem, ut præviam dispositionem, & propterea eâ destituti minimè justificantur: at præter ipsam Baptismum quoque exigunt ut causam veram justificationis: *Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in Regnum Cœlorum*, uti dicitur Joan. 3. 5. Idcircò autem Marci ult. post verba *non crediderit*, minimè additur, *nec baptizatus fuerit*, quia erant superflua, cum ex negatione dispositionis, arguitur etiam negatio effectus in Sacramento, non defectu virtutis in ipso, sed dispositionis ex parte subjecti. Valentinianus autem Augustus juxta Ambrosium fuit salvatus, quia Baptismum in re suscipere vetitus, morte interveniente, illum in voto suscepit cum debitis dispositionibus.

54. Obji.

54. Obji. II. Ex eo quia Scripturæ asserant, per Baptisma, cæteraque Sacramenta, nos renasci, renovari, regenerari, non arguitur in ipsis ulla in Gratiam Causalitas, nisi per Fidem, & ex opere operantis; ergò ex Scripturis pro Catholicis nihil colligitur. Prob. ant. ex 1. Corinth. 4. 15. ubi dicitur: *In Christo Jesu per Evangelium ego vos genui*; & ad Gal. 4. 19. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis*: Et tamen ex hoc loquendi modo Scripturarum, non arguitur in sermone, & prædicatione Pauli, nisi Causalitas, qua Fides excitatur, non verò Gratia immediatè causatur; ergò etiam nihil aliud colligitur ex aliis locis Scripturæ, quibus Homines dicuntur regenerari, & renasci per Sacramenta, nisi excitatio Fidei per signa illa, quæ exhibentur; quæ quidem sunt nata Fidem excitare, sicut verba, cum habeant similitudinem quamdam cum rebus, quas significant, & propterea inter se maximè distinguuntur, & quod uni deservit, alteri Sacramento penitus est inutile.

55. Resp. ne. ant., & conseq. probat. & disparitas est apertissima: Evangelium enim ex se natum est solummodo Fidem excitare, utpote sermo Divinus; & propterea illa parturitio Fidelium, quam sibi adscribit Paulus, non potest intelligi, nisi de illa, quæ fit, Christum Evangelizando, ipsiusque Fidem excitando, non verò immediatè justificando: dicuntur tamen parturiri, quia, cum Fides sit Justificationis radix, & fundamentum, habitâ Fide, cætera quoque dona induci possunt, non solum initiativè, dispositivè, ac radicaliter, quod fit per Fidem, sed pro-

priè, verè, formaliter per Gratiam sanctificantem, quam Sacramenta producunt. Neque alio pacto intelligi potest Fides purificare, sanctificare, mundare; alioquin Charitas superveniens esset omnino superflua, cum tamen illa sit, quæ nos Dei Filios, ac Templum efficit, juxta Apostolum ad Rom. 5. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*. Signa autem Sacramentalia non sunt ex se nata Fidem excitare, nisi valde remotè, & quidem scientibus mysteria, quæ ab ipsis indicantur, ac pro inde, cum Fidem excitare non possint, nisi remotissimè, & respectu tantùm eorum, qui signa intelligunt, propterea ex ipsis non valet illatio: hinc Sacramenta infantibus, rudibus, stultis, linguæ ignaris, & fræneticis interdum conferuntur, qui hujusmodi mysteria intelligere nequaquam possunt, & tamen prosunt illis per virtutem Christi: unde admirans Augustinus Tract. 80. *Unde*, inquit, *tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat?*

56. Obji. III. Patres totam Justificationem soli Deo adscribunt, non signis Sacramentalibus; ergò Gratiæ non sunt causativa ex opere operato. Conseq. patet. Prob. ant. nam Nissenus Orat. de Baptis. cum ejusdem effectus commendasset, subdit: *Hoc autem Beneficium non aqua largitur; esset enim omni creatura sublimior, sed Dei præceptum, & Spiritus, qui mysticè ad nostram libertatem venit accessus; aqua verò subservit ad ostendendam purgationem*. Basil. de Spirit. Sanct. Cap. 15. *Itaque si est Gratia in aqua, non est ex ipsius aquæ natura, sed ex Spiritus præsentia*. Nazianz. Orat. 40. *Duabus rebus constat*

ſtat Baptiſmus, aqua ſcilicet, & ſpiritu: illa viſibili, & corporeo modo accepta, hoc verò incorporeo, & inviſibili concurrente; illa typica, hoc verò & intimos Animæ ſinus purgante. Ambroſ. lib. 1. de Spir. Sanc. *In Baptiſmo invocatur Trinitas, ut inviſibiliter operetur per ſe, ſicut viſibiliter per miniſtrum.* Hierony. in Cap. 4. Iſaiæ: *Homo aquam præbet: Deus autem Spiritum Sanctum.* Auguſt. lib. 19. Cont. Fauſt. cap. 16. *Quid ſunt quæque Corporalia Sacramenta, niſi quædam verba viſibilia?* Ergò ex Patribus Sacramenta Novæ Legis nullam habent cauſalitatem, ſed mera ſunt ſigna indicativa, non practica.

57. Reſp. ne. ant., ad cujus probat. neg. Conſeq. Illæ enim Patrum loqutiones nihil aliud indicant, quam Sacramenta non eſſe Gratiæ cauſas principales. Niſſenus ergò dicit optimè, Beneficia in Baptiſmo collata ab aqua, nequaquam tribui ex natura ſua, ſic enim eſſet omni Creaturâ ſublimior, ſed ſolummodo ex Dei voluntate, & inſtitutione. Baſſil. Mag. nihil aliud intendit, quam res, & verba non habere ex ſe virtutem Gratiæ producendæ, quod nos fatemur; ſed quatenus à Deo veluti principali agente per miniſtrorum actionem adhibentur, & moventur, adeoque inſtrumentaliter: alioquin quomodo Baptiſmus ab eodem eximiis adeò laudibus commendaretur? Nazianz. ſolummodo vult, viſibile ſignum, ut præcisè tale, eſſe Typicum, quatenus ſignificat exteriùs, quod principaliter à Deo fit interiùs: attamen quatenus Spiritum continet vivificantem Dei inſtitutione inductum, aſſerit de ipſo, mirabilia ab eo recenſita operari, quod idem eſt, ac producere Gratiam per modum Cauſæ in-

ſtrumentalis: ante enim dixerat: *Hæc Baptiſmi Gratia, & facultas &c. Uniuscujuſque Hominis peccatum purgans, eaſque obſtructiones, & maculas, quæ vitio contrahuntur, prorſus abſtergens.* Ambroſ. hoc ſolummodo vult, quod nos quoque dicimus, nempe Trinitatem inviſibiliter, & per ſe, veluti cauſam principalem in Gratiæ productionem, viſibiliter per Miniſtrum, veluti per cauſam inſtrumentalem influere, Symbolo applicato; ſi enim nihil prorſus ageret, dici nequaquam poſſet, Trinitatem per Miniſtrum operari: & hoc pacto ſalvatur, Gratiam ſola divina virtute fieri, & nihilominus per modum inſtrumenti ſignum viſibile aliquid agere; alioquin quomodo Ambroſius de iis, qui initiantur myſteriis dicere potuiſſet: *Aqua eſt, qua Caro mergitur, ut omne abluatur peccatum, ſepelitur illic omne vitium*; & ſuper Lucam Cap. 22. Baptiſmum commendat? Idipſum docet Hieronymus loco in objeċt. cit. verè enim Miniſter aquam viſibiliter præbet, veluti inſtrumentum Juſtificationis, Spiritus Sanctus datur à Deo, ut cauſa principali. Quoniam verò non dat Deus Spiritum Sanctum, niſi per aquam, optimè arguitur aliquis influxus inſtrumentalis aquæ in Gratiam, cum ly *per* cauſalitatem indicet, non meram præſuppoſitionem, ut ipſiſmet Divinis Scripturis inſtruimur. Auguſtinus nobiſcum ſentit, dum aſſerit, Hominem præbere viſibile Sacramentum, Deum inviſibilem Gratiam; cum his verbis ſignificetur, Deum minimè Gratiam largiri, niſi per hoc viſibile ſignum; adeoque ſignum hoc aliquam cauſalitatem erga Gratiam exercere: alioquin ſi pura præſentia ſigni ſufficeret, non magis unum, quam

alte-

alterum Sacramentum ad quoscumque effectus producendos requireretur, quod aperte falsum est.

58. Obji. IV. ratione: Deus in Mundi Creatione nullo usus est instrumento; ergò etiam in ipsius renovatione per Sacramenta; cum in utroque se prodat Omnipotentem.

59. II. Effectus Sacramentales sunt Ordinis supernaturalis, Mundi Creatio in ordine naturali; ergò si in secundo casu nullo usus est instrumento, neque utitur in primo.

60. III. Gratia, & cætera Dona in Sacramentis collata, sunt nedum spiritualia, sed supernaturalia; ergò à Sacramentis attingi non possunt, quæ sunt res purè naturales, cum inter causam, & effectum debeat esse proportio, alioquin ex quolibet fieri quodlibet posset.

61. IV. Causa, ut agat etiam instrumentaliter, debet, dum agit, existere, ut per se notum est: Sacramenta verò non existunt, dum causare deberent, eo quia cum præcipuè in verbis consistant, quæ sunt successiva, existere, dum fit effectus, nequeunt; imò interdum causant etiam in longissima distantia, ut patet in Matrimonio per Procuratores Contracto; ergò Sacramenta nullam penitus causalitatem erga Gratiam exercent.

62. Resp. Ad Primum, neg. Conseq. tum quia hoc ab Omnipotentis Dei pendebat voluntate: tum quia in prima productione nullum supponebatur instrumentum, cum nihil adhuc fuisset productum: tum quia in secunda Mundi productione, nempe reparatione per Gratiam res agebatur moralis, non pure physica, nempè Hominum Justificatio ab eorumdem quoque pendens voluntate: Homi-

nes autem, cum sint corporei, signis etiam corporeis sunt salvandi, & iisdem quoque, non puris spiritualibus. Deus ab iisdem colendus.

63. Ad secundum ne. Conseq. ob easdem rationes: Cum enim Homines salvandi sint corporei, non autem puri spiritus, instrumenta quoque salutis esse debent corporea; tametsi dona, mediantibus ipsis collata, sint purè spiritualia.

64. Ad Tertium ne. Conseq. quamvis enim Sacramenta sint Symbola corporea, dona verò per eadem collata merè spiritualia, adest tamen proportio, & præcontinentia; principalis in Deo Gratiam producente; instrumentalis in Symbolo maximè respectu Dei Omnipotentis, cui omnia subduntur. Nec sequitur, ex quolibet fieri quodlibet, cum illud verificetur in Causa principali, non instrumentali, quæ ad quodlibet inservire non potest.

65. Ad Quartum dicendum est, Causam ante effectum existere debere aut physicè, aut moraliter, eo modo, quo effectus producitur: Cum autem Sacramenta moraliter effectum suum producant, utique eodem pacto causam suam existentem supponunt, ut patet ex exemplis in objectione productis. Quo pacto huic difficultati respondet cum Discipulis suis Doct. Subtil. 4. Dist. 1. Quæst. 5. Seraph. Doct. 4. Dist. 1. art. 1. n. 36. quem multi Neoterici sequuntur: sic etiam contactus quoque Signorum Sacramentalium explicatur, qui non semper physicus requiritur, sed moralis sufficit, ut patet de Matrimonio inter absentes per Procuratorem celebrato.

66. Cæterum modus explicandi D. Thom. & alio-

& aliorum Scholasticorum physicam causalitatem Sacramentis adscribentium suam habet probabilitatem, & nodos istos sufficienter abscindit, nec ab Adversariis hucusque ullo pacto fuit eversus.

67. Si tamen omnes istæ, vel aliæ rem hanc difficilem explicandi rationes plenè intellectui nequaquam satisfacerent, Sectariis tricas hujusmodi objicientibus eo pacto os obstrueretur, quo Cyrillus Alexand. Judæos modum, quo Christus in Sacramento Altaris manducetur, quærentes, compressit, inquit enim: *Quomodo ex Ægypto exivisti? Quomodo in Serpentem Mosayca virga conversa est? Quomodo in naturam Sanguinis aquæ transierunt? Quomodo Patres tui per media Maria, ut per aridam transierunt? Quomodo amaritudo aquæ per lignum in dulcedinem versa est? Quomodo à lapide fontes aquarum fluebant?* Sic eodem modo quærendum est ab Adversariis, quo pacto cum unitate Naturæ in Divinis stet Trinitas Personarum? Quomodo ex nihilo Mundus sit conditus? Quomodo Verbum Divinum absque sui mutatione Caro factum sit? Sicuti ergò omnia ista credunt Adversarii, etsi modum minimè percipiant; ita credere debent Causalitatem in Sacramentis, etsi modum, quo fit, nequaquam intelligant.

68. Obji. Ult. Admissâ Sacramentorum activitate ex opere operato, Christifideles essent alligati Symbolis corporeis, sine quibus salutem æternam consequi nequaquam possent: hoc autem videtur repugnare statui libertatis, in qua nos Christus sua morte, ac Passione collocavit; essemus quippè servi, & parvuli sub Elementis Mundi famulantes, quod Paulus condemnat ad Gal. 4. 3. ergò Sa-

Sacramentà nullàm ex opere operato activitatem habent.

69. Resp. Conc. maj. & ne. mi. Sacramenta enim Novæ Legis Gratiam dandam in alio Testamento minimè præfigurant, sed reipsa eam præbent: nec ad alium Salvatorem disponunt, sed ipsummet præsentem exhibent, & in se ipsis pauca, levia, nec omnibus necessaria sunt, nec pœnam temporalem ullam ipsa minimè suscipientibus universaliter præscribunt; adeoque servitutem nullam inducunt, aut statum parvuli præseferunt, sed perfectissimam libertatem, qua Christifideles assumpti sunt in libertatem, & adoptionem Filiorum, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi per veram sanctitatem, non legalem, & externam, ut in veteri Testamento, sed internam, & intrinsecam, qua Christo copulamur, ejusque munera cœlestia percipimus: adeoque non sequitur, Christianos servire Symbolis corporeis, sicut Judęos: illi enim sub umbra, & figuris veluti pedagogo famulabantur: isti verò in spiritu, & veritate Deum adorant, Sacramentis non tamquam Symbolis futuræ sanctitatis, sed tamquam instrumentis præsentis sanctificationis, ac tesseris futuræ hæreditatis utentes.

CAPUT III.

Utrum septem sint Ecclesiæ Sacramenta, nec plura, nec pauciora?

70. QUemadmodum in cæteris, sic etiam de numero Sacramentorum cespitant Orientales, eum plus justo augentes, vel minuentes. Videndum est, quo fundamento nitan-

nitantur? At quia de singulis Sacramentis in sequenti Tractatu septimo erit sermo; hic breviter, & in communi tantum; quæ necessaria sunt exhibebimus, maximè quia fundamenta eorum levis videntur momenti.

SECTIO PRIMA

Dicendum est Ecclesiæ Sacramenta esse septem, nec plura, aut pauciora.

71. PAtet hoc ex Doctrina Ecclesiæ in Florentino collectæ, cui & ipsi assensum præbuerunt; nam in Instruct. Armen. §. Quinto, sequentibus verbis Dogma hoc stabilivit: *Novæ Legis septem sunt Sacramenta, videlicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium*, quod quidem etiam in Tridentino confirmatum est adversus Occidentales Sectarios exprefsè Sess. 3. Can. de Sacràm. in gen. *Si quis dixerit Sacramenta Novæ Legis non fuisse omnia à Jesu Christo Domino Nostro instituta, aut esse plura, vel pauciora, quam septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremàm Unctionem, Ordinem, & Matrimonium, aut etiam aliquod horum septem non esse verè, & propriè Sacramentum, anathema sit.* Cætera verò Concilia sive Oecumenica, sive Provincialia idipsum supponunt, & docent, cum de eorum ministerio dignè præstando, ac de dispositionibus ad effectus eorum obtinendos requisitis differunt, ac decernunt. Patres verò, etsi non omnes explicitè numerum septenarium affirment; implicitè tamen faciunt, cum nemo ex ipsis afferat, plura esse Sacramen-

menta, neque aliquod ex ipsis in controversiam adducat, etsi qui sint, ab Adversariis sunt adducendi, quod hucusque minimè præstiterunt.

72. Nec de sunt congruentiæ, quarum duas tantum adduco ex Scholarum Principibus haustas. Primam quidem ex D. Thom. 4. Con. Gen. cap. 58. accipio: Quia nimirum in Vita Corporali ex parte singulorum Hominum quædam consideranda sunt; quædam verò ex parte Reipublicæ. Ex parte singulorum Hominum generatio, augumentatio, & nutritio spectandæ sunt necessariò requisitæ; per accidens verò remedia contra morbos, si contingant evenire, & reliquias morbi, si ægrotus perfectè convalescat. Ex parte Reipublicæ requiruntur Parentes, ut sobolem procreent: Magistratus verò, & Principes, ut prolem exortam ad normam Honesti dirigant. Hæc omnia in Vita Spirituali quoque exiguntur. Nativitas Spiritualis fit in Baptismo, Augumentatio in Confirmatione, Nutritio per Eucharistiam: Contra morbos Animæ militat Pœnitentia: Contra Reliquias morbi Extrema Unctio: Ordo ut Populus Sanctè gubernetur; Matrimonium pro Dei Cultorum propagatione.

73. Secundam subministrat Doct. Subtil. 4. Dist. 2. Quæst. 1. §. *Ad Secundum* quia nimirum in Vita Corporali si Personæ singulæ spectentur, requiritur generatio, roboratio, nutritio, & sanitatis deperditæ reparatio: in ordine ad Communitatem multiplicatio carnalis, constituitutio in gradu sublimiori pro exercendo actu necessario Reipublicæ. Ita in Vita Spirituali differendum est: Pro singulis Personis requiritur Baptismus, quo renasci-

mur

mur ad Christum: Confirmatio, quâ roboramur ad pugnam: Eucharistia, qua nutrimur ad vitam: Pœnitentia, qua post lapsum reparamur: Extrema Unctio, qua tolluntur impedimenta ad Deum liberè migrandi. Quo ad verò Communitatem datur Matrimonium, ut multiplicatio fiat carnalis Populi Deum verâ Religione colentis: Ordo verò ut fiat Ministrorum multiplicatio in esse Gratiæ pro perfecta Ecclesiæ administratione. Alias congruentias adducit Seraph. Bonavent. 4. Dist. 2. Quæst. 3. quæ ad easdem reducuntur; ergò Sacramenta Novæ Legis sunt septem nec plura, nec pauciora.

SECTIO SECUNDA

Solvúntur Objectiones.

74. OBji. I. Contra primam partém, quod nimirum sint septem, nec pauciora, pluribus argumentis coacervatis: I. Quia nulla urget necessitas plurium Sacramentorum, cum sufficiant Baptismus, & Eucharistia ad Hominum salutem: hinc ex latere Christi mortui Sanguis, & Aqua manarunt, Joan. 20. 34. & propterea colligunt Patres Sacramenta Ecclesiæ fluxisse; nempe Baptismum, & Eucharistiam, ut Chrysostomus Cyrillus Alexand., Augustinus in hunc locum; ergò duo tantummodo Sacramenta manarunt; ergò &c. II. Vetera Concilia septenarii numeri nullam mentionem faciunt. III. Eucharistia continet Christum, qui est Gratiæ plenitudo, Baptismus verò per Gratiam, quam præbet, non solum maculas præteritas abstergit, sed etiam ad futura certamina vires subministrare

ministrat ex Milevit. 2. Cap. 3. IV. Vulnerum nostrorum non sunt septem genera, sed duo tantum, scilicet pœna, & culpa; ergò non sunt septem Sacramenta: nam si species spectarentur, plura, quam septem admitti oporteret.

75. Obji. II. Contra Secundam partem; quod nimirum Sacramenta sunt septem tantum, non plura: Nam Sacramenta Legis Scriptæ sunt plura, quam septem: ergò etiam illa Legis Novæ sunt plura, quam septem. Prob. conseq. Nam Sacramenta Legis Novæ adduntur Legi Scriptæ, sicuti Sacramenta Legis Scriptæ Sacramentis Legis non Scriptæ: Sacramenta autem Legis Scriptæ sunt plura illis Legis non Scriptæ; ergo etiam Sacramenta Legis Novæ sunt plura Sacramentis Legis Scriptæ: sed illa plura sunt, quam septem; ergò multò fortiùs ista, cum in Lege Nova, quæ Lex est Gratiæ, plura debeant esse remedia peccati, quam in Lege Scripta, quæ Lex erat servitutis, & timoris.

76. Resp. Breviter ad argumenta contrà primam partem. Ad I. Conc. nullam esse omnium septem Sacramentorum absolutam necessitatem: at, quia Deus Misericordia Dives, & secundum suam Misericordiam salvos nos fecit, plures voluit esse Gratiæ fontes, & instrumenta, ut faciliùs æternam Beatitudinem consequamur. Ex latere autem Christi non Baptismus tantum, & Eucharistia per Aquam, & Sanguinem designata, sed omnia prorsus Sacramenta Novæ Legis fluxerunt tamquam instrumenta, ex Sanguine Christi effuso vim habentia, ex August. trac. 20. in Joan., licet id præcipuè Baptismo, & Eucharistiæ adscribatur, quæ per Aquam, & Sangui-

guinem magis exprimuntur: & propterea cum timore, & tremore ad illa accedere debemus, ut monet Chrysost. in cap. 19. Joan. veluti ab ipso Christi Latere bibituri.

77. Ad II. Etsi Vetera Concilia, & Patres expressa Septenarii numeri Sacramentorum nequaquam mentionem faciant, minimè tamen excludunt, & singula Sacramenta divisim commemorant.


78. Ad III. Neg. conseq. Si enim de absoluta necessitate sermo sit, nulla est neque Pœnitentiæ, neque Baptismi, cum Deus minimè sit Sacramentis alligatus: Si verò de necessitate Institutionis; utique cætera extra Baptismum, & Pœnitentiam Sacramenta non adeo sunt necessaria: attamen Christus Dominus, qui juxta Paulum ad Tit. 3. 5. *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam Misericordiam salvos nos fecit*: Ecclesiæ suæ dilectæ remedia non tantum necessaria, sed etiam utilia, & ad melius esse reliquit, ut Homines *vitam habeant, & abundantiùs habeant*, Joan. 10. 10.

79. Ad IV. ant. est verum in prima sui divisione, non verò si membra ista ulterius dividantur, ex quorum partitione septem vulnerum genera dimanant: nec tamen sequitur, Sacramenta plusquam septem esse oportere: pharmaca enim non multiplicantur ad individualem, aut specificam vulnerum distinctionem, sed penes solummodò suprema genera, quorum inferiora univocationem aliquam habent, ut V. G. Baptismus contra Originale, Pœnitentia contra Actuale: Sacramenta igitur septem sunt genera pharmacorum singulis morborum generibus applicabilia, adeoque non sequitur, ipsa debere esse

plus-

plusquam septem, nec ipsa esse septem pauciora.

80. Ad Argumentum contra secundam partem neg. conseq. Ad probat. nego maj. diversimodè enim Sacramenta Legis Novæ superadduntur Sacramentis Mosaycæ, ac Sacramenta Mosaycæ Legis Naturæ Sacramentis superadderentur: illa enim utpotè imperfecta, & solummodò inter se secundum magis, & minus diversa, semper in eodem statu typi, & umbræ Christi venturi permanebant; & ideo posteriora prioribus optimè poterant superaddi: Non sic Sacramenta novæ Legis, quæ cum Gratiam ipsam, & munera Cœlestia in veteribus promissa reipsa exhibeant, instituta sunt, *virtute majora, numero pauciora, utilitate meliora*; juxta August. lib. 19. Cont. Faust. cap. 13. nam juxta eumdem in Psal. 73. *Sacramenta novi Testamenti dant salutem: Sacramenta Veteris Testamenti premittunt Salvatorem.*



TRA-

TRACTATUS VII.

De Sacramentis in specie.

1. NEdum de Sacramentis in genere, sed etiam in specie, plurimum errant Sectarii Orientales; propterea de ipsorum in particulari in præsenti breviter tractandum est.

CAPUT PRIMUM

De Sacramento Baptismi.

2. PRimum omnium Sacramentorum, & eorum fundamentum est Baptisma, cujus rectam doctrinam Orientales Heterodoxi pessimè corrumpunt. De hoc igitur in præsenti agendum est.

SECTIO PRIMA

An parvuli absque Baptismo decedentes per Eucharistiam à Matribus sumptam salvi fiant?

3. ABysſini, & Ethiopes, Blasio III. in sua Syr. Sac. de Patriarchatu Alexand., & Dominic. à Trinitat. Bibliot. Theol. sect. 9. Cap. 1. referentibus, in eo versantur errore, ut putent, parvulos Originali peccato, quod ab Ethiopibus in controversiam minimè vocatur, infectos, absque Baptismi lavacro decedentes, per Euchariſtiam à Matribus sumptam adhuc æternam consequi salu-

lutem. Videndum est an hujusmodi Dogma sustineri queat? Ut autem Quæstio clariùs tractetur, eam in varios articulos dividemus.

ARTICULUS PRIMUS

Parvuli absque Baptismo decedentes minimè possunt salvari.

4. OStenditur ex Scripturis: Nam ad Ephes. 5. 26. habetur: *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.* Et ad Titum 3. 5. de Christo loquens, cujus benignitatem commendabat, ait: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abundè per Jesum Christum Salvatorem nostrum.* His verbis innuitur à Paulo Baptisma: dicit autem nos sanctificari, mundari, regenerari, & salvari Spiritu Sancto; ergò censet ad salutem esse omnino necessarium etiam parvulis, qui utique cum Originali nascuntur.

5. Fortiùs adhuc idipsum dicitur 1. Pet. 3. 2. in qua Baptismus Noe arcæ comparatur. *In qua pauci, idest octo Animæ salvæ factæ sunt per aquam. Quod & vos nunc similis formæ salvos facit Baptisma*; sicuti igitur nemo diluvii aquis salvatus est, nisi qui erat in Arca Noe sive adultus, sive parvulus; ita nemo extra Baptismum salvari potest sive adultus, sive parvulus sit.

6. At Clarius adhuc habetur Joan. 3. 5. ubi Christus Dominus loquitur apertissimè de Baptismo sermonem instituens: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest*

test introire in Regnum Dei; ergò nemo salvatur, nisi regeneretur ex aqua, & Spiritu Sancto, quod fit in Baptismate; sicuti nemo vitam aquirit carnalem, nisi ex Matre, secundum carnem nascatur; ergò Baptismus etiam parvulis est necessarius ad salutem, ad quam necessarium est nasci ex Spiritu; qui enim purè ex carne nascuntur, minimè salvantur: *Caro* enim, *& Sanguis Regnum Dei possidere non possunt*. 1. Cor. 15. 50.

ARTICULUS SECUNDUS.

Idipsum Ecclesia authoritate firmatur.

7. Milevitanum II. Concilium antiquissimum, anno quippe Christi 416. sub Innoc. I. Rom. Pontif. ac Theodosio Juniore Imperante celebratum Can. 2. Cum adversus negantes in parvulis recenter natis Originale peccatum, & necessitatem Baptismi Anathema dixisset, subdit: *Propter hanc enim Regulam Fidei, etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt*; ergò salus æterna parvuli absque Baptismo haberi non potest.

8. Idipsum censuerunt Braccar. 2. Anno 572. sub interregno Joan. III. Papæ celebratum Can. 17. Matiscon. II. an. Christi 588. sub Pelagio II. Cap. 3. Tolet. IV. sub Honorio I. an. 633. Cap. 5.

9. At firmiùs adhuc, & ineluctabiliùs Constantinopolitanum I. Oecumenicum sub Damaso I. Papa, & Theodosio Seniore Augusto

gusto an. Christi 381. celebratum in Symbolo Niceno scribit: *Credimus in unum Baptisma in remissionem peccatorum*: Cum ergò parvuli recenter nati peccatum habeant Originale, indigent remissione: hæc autem datur in Baptismo; ergò etiam parvulis ad salutem est necessarius.

10. Florentinum pariter Oecumenicum, cui Ethiopes, missis Legatis, assensum præbuerunt, ex Horatio Justiniano Par. 3. Act. Floren. & Spondano ad an. Christi 1442. in Instruc. Armen. habet: *Primum omnium Sacramentorum locum tenet Sanctum Baptisma, quod vitæ spiritualis janua est: per ipsum enim membra Christi, ac de corpore efficimur Ecclesiæ. Et cum per primum Hominem mors intraverit in universos, nisi ex aqua, & Spiritu Sancto renascimur, non possumus, ut inquit Veritas, in Regnum Cœlorum introire.* Quam Doctrinam etiam tradidere Lateranense IV. sub Innoc. III. Vienen. in Clemen. Cap. 1. Triden. sess. 5. Cap. 3. sess. 6. Cap. 4. & 7. ergò ex Doctrina Ecclesiæ Baptismus ad salutem etiam parvulis recenter natis est necessarius.

11. Hanc eamdem doctrinam Patres antiquissimi primitivæ Ecclesiæ tenuerunt. Clemens Romanus, cui Æthiopes adeo deferunt, ut ipsius Constitutiones veluti Dei Verbum, teneant, Epist. IV. cum necessitatem omnimodam Baptismi asseruisset longo sermone, subdit: *Confugite ergò ad aquas istas, solæ enim sunt, quæ possunt vim futuri ignis extinguere.* Origines Hom. 14. in Lucam. *Quia per Baptismi Sacramentum Nativitatis sordes deponuntur, propterea baptizantur, & parvuli. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non potest introire in Regnum Dei.* Cyril.

ril. Jerosolimit. Cathec. 3. cum plura de Baptismo dixisset encomia, subdit: *Et si quis non baptizatur, salutem non habet, præter solos martyres, qui vel sine aqua Regno Cœlesti potiuntur*. Chrysost. Hom. ad Neophit. Cum laudes plures Baptismi exposuisset, ait: *Hac de Causa etiam Infantulos baptizamus, ut non sint coinquinati peccato, ut iis addatur sanctitas, justitia, adoptio, hæreditas, fraternitas Christi, ut ejus membra sint omnes &c.* Similia tradunt Justin. Mar. quæst. 36. Nissen. Orat. in Sanc. Baptis. & alii plures, quos brevitatis gratiâ omittimus; ergò ex decisione Ecclesiæ etiam primitivæ, ac doctrinâ Patrum Baptismus parvulis quoque necessarius est ad salutem.

ARTICULUS TERTIUS

Idipsum ratione aliqua evincitur.

12. I. Extra veram Dei Ecclesiam non datur salus æterna, ut etiam ipsimet Ethiopes, imo Hæretici omnes confitentur, qui propterea solum Cætum suum putant esse veram Dei Ecclesiam: Hanc vero nemo ingreditur, nisi per Baptismum, qui Janua Sacramentorum est, quibus solummodo salus ex Christi institutione aquiritur; ergò parvuli non salvantur, non sumpto Baptismate, per quod Ecclesiam ingrediuntur.

13. II. Baptismus in Lege Evangelica successit Circumcisioni Veteris Testamenti, juxta Gregor. Mag. lib. 4. Moral. Cap. 2.: at in Veteri Testamento nullus parvulus salvari poterat absque Circumcisione, vel remedio Legis Naturæ ipsi æquivalente, ex August. lib. 4. de Baptis. Cap. 24., & Innoc. III. Cap. *Majores* de

Baptis.; ergò etiam absque Baptismo nemo salvatur in Lege Nova.

14. III. Ii solummodo salvantur, qui resurrecturi sunt cum Christo in resurrectionem Vitæ 1. Thessalon. 4. 15. 16. nec resurgere possunt, nisi cum Christo moriantur, ad Rom. 6. 8. at in Baptismo hujusmodi mors contingit, ad Colos. 2. 12., & ad Rom. 6. 4. ergò cum extra Baptismum non detur hujusmodi mors, neque dabitur resurrectio ad vitam, & salutem æternam.

15. IV. Sicut Adam est Caput nostrum carnale per propagationem, ita Christus Jesus Caput spirituale per Redemptionem: at nemo potest vitam corporalem aquirere, ut Filius Adæ, nisi generatione carnali; ergò nemo aquirere potest vitam spiritualem, nisi generatione spirituali, quæ fit per Baptismum, in quo Redemptio Christi applicatur: parvuli autem non baptizati minimè renascuntur ut filii Christi, generatione spirituali; ergò vitam spiritualem aquirere non possunt; ergò neque salvari: deest quippe vita spiritualis. Inde orta est Ecclesiæ solicitudo ministrandi Baptismum, ne scilicet parvuli pereant in æternum, & ideò ejusdem ministerium ex Divina institutione Laicis quoque, cogente necessitate, competit, apud Floren. in Instruc. Armen.; ergò nullus parvulus salvatur absque Baptismo, & propterea ipsis absolutè necessarius est.



ARTICULUS QUARTUS

Dicendum secundò, Eucharistiam non habere hanc virtutem ante Baptismum parvulos justificandi.

16. PArs ista secunda, præter rationes superius allatas, evincitur I. Quia Eucharistia supponit, cum datur, Hominem justificatum, & vitam spiritualem habentem: dicit enim rationem cibi, & potus, Joan. 6. 16. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*, qui non dantur, nisi viventibus; ergò Eucharistia non dat vitam spiritualem non habentibus, sed solummodo eam conservat habitam: hinc subditur ibidem V. 52. *Si quis manducaverit hunc panem, vivet in æternum*; ergò supponitur ab Eucharistia *Vita*, ut maneat, non verò tribuitur; certè enim cibus non datur, nisi viventibus.

17. II. Eucharistia, ut effectum suum sortiatur, peccatum læthale non debet invenire, ex Paulo ad Corinth. 1. cap. 11. 27. 28. *Quicumque manducaverit panem, vel biberit Calicem Domini indignè, reus erit Corporis, & Sanguinis Domini: Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de Calice bibat*: Si autem Eucharistia tolleret peccatum, uti facit Baptisma, & Pœnitentia, deberet illud præsupponere, ut tolleret, neque, an revera ibi adsit, priusquam suscipiatur, probari oporteret; ergò cum hoc absurdum sit, & à Scripturis alienissimum, Eucharistia non est nata tollere peccatum, adeoque supponit vitam spiritualem, non præbet.

18. III. Ecclesia semper consuevit à Sacra

 Sy-

Synaxi arcerè peccatores nondum absolutos, ex Ancyr. I. Cap. 4. 5. 6. & 7. Elibert. pluribus in Canon. & Nicæn. Can. 11. nec umquam censuit, Eucharistiam vices supplere Baptismi: nullus enim Canon assignari potest, qui hoc præscribat, imo potius oppositum, quoniam Cathecumenis in extremo mortis agone positis numquam Eucharistiam dari præcepit, bene verò Baptismum, si ipsum postulassent, ex Eliber. Cap. 38., & 39. Agat. Cap. 34. Cartag. III. Cap. 34.; ergò Ecclesia numquam censuit, Eucharistiam vices Baptismi supplere posse, ac tollere Originale.

ARTICULUS QUINTUS

Dicendum tertiò, etiamsi Eucharistia vices Baptismi supplere posset, adbuc tamen à Matribus perceptam minimè infantes juvare in earum uteris inclusos.

19. PAtet assertio ex Joan. 6. 54. nam de ratione Sacræ Eucharistiæ est personaliter manducari, cum sit per modum cibi, & potus instituta; ait enim Christus: *Nisi manducaveritis carnem Filii Hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: parvuli autem in uteris matrum inclusi carnem Christi comedere non possunt; ergò nequit ipsos juvare.

20. Nec sufficit manducatio mediata; quandoquidem Christus Gratiæ author nequaquam est in stomacho infantis, sed Matris: ad nutritionem autem spiritualem requiritur comestio immediata, inquit enim Christus Joan. 6. 57.: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in illo*; Ergò,

cum

cum Christus verè non maneat in parvulo, sed in Matre, non nutriret parvulum, sed Matrem: hoc autem falsum est: effectus enim debet redundare in parvulum, non in Matrem; ergò illa perceptio Eucharistiæ in Matre parvulo non prodest.

21. Et ratio est manifesta: nam parvulus in utero Matris est persona distincta à Matre; ergò sicuti peccatum originale Matris est distinctum à peccato Originali Filii, tametsi in utero inclusi; ita etiam sanctificatio Filii à sanctificatione Matris debet necessariò distingui; ergò ex eo quia Mater fuerit per Eucharistiam sanctificata, non sequitur sanctificatio Filii.

22. Urgetur: nam ex eo quia cætera Sacramenta fuerint Parentibus collata, sanctitas eorum in filios minimè redundat in utero inclusos, ut patet de Baptismo, & aliis, quæ collata Parentibus non censentur Filiis collata, etiam juxta ipsorummet Æthiopum sententiam, parvulos baptizantium post quadraginta dies; ergò idipsum de Eucharistia censendum est, cum sit eadem ratio: Sacramenta enim signa sunt sensibilia, quæ immediatè subjectis suis applicari debent, ut effectus suos producant.

ARTICULUS SEXTUS

Solvuntur objecta contra primum Assertum.

23. OBji. I. Ex Scripturis, quas Catholici adducunt ad probandam Baptismi pro parvulis necessitatem, hujusmodi necessitas nequaquam colligitur; ergò &c. Prob. ant. Nam Catholici vim magnam faciunt Joan. 3. 3. 5. ubi dicitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum*

 Dei.

Dei. Hujusmodi autem, & similia loca non videntur evincere, cum ex Joan. 6. 54. etiam dicatur: *Nisi manducaveritis Carnem Filii Hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*; & nihilominus nemo dicit, esse necessariam Eucharistiam necessitate salutis; sicuti nemo etiam dicit, Fidem actualem esse etiam parvulis necessariam, etsi ad Hæb. 11. dicatur: *Sine Fide impossibile est placere Deo*. Et Math. ult. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, qui non crediderit condemnabitur*; ergò ex his locis nihil colligitur; ergò &c.

24. Resp. ne. ant., ad cujus probat. ne. min. cujus instantiæ ex Joan. 6. deductæ falsa est conseq. Nam Baptismus per modum regenerationis spiritualis est institutus: Eucharistia verò per modum cibi spiritualis: regeneratio autem spiritualis est absolutè necessaria ad vitam spiritualem obtinendam; non autem necessarius cibus spiritualis ad vitam obtinendam, sed solummodo ad ipsam conservandam: sicut ergò impossibile est obtinere vitam carnalem absque nativitate carnali, non autem est omnino impossibile conservare eamdem saltem aliquo tempore citra cibum carnalem, ut experientia ipsa testatur; ita impossibile est obtinere vitam spiritualem absque nativitate, & regeneratione spirituali: non autem est impossibile eam saltem aliquo tempore conservare absque alimonia hac spirituali, cum alii cibi non desint spirituales animam reficientes, etsi iste sit principalior, & videmus defacto praxi ipsâ Fidelium, non omnes eodem modo refici, alios quidem frequentiùs, alios rariùs, ex Lateran. IV. Cap. *Utriusque sexus*, & Ecclesia ipsa non cogit eosdem ad cibi hujus manducatio-

tionem, nisi semel in anno: cogit tamen omnes infantes in Baptismate regenerari, quapropter ex locis citatis deducitur quidem Eucharistici cibi necessitas, sed non omnino absoluta, sicuti colligitur illa Baptismi.

25. Nec valet adducta ratio de fide actuali; illius enim sunt capaces adulti, & ideò, nisi ipsa præcesserit, fructuosè non baptizantur, quod de parvulis non verificatur, & ideò isti, non illi, absque fide actuali in Baptismate justificantur, & de illis Scripturæ intelliguntur, fidem actualem ante Baptismum necessariò requirentes.

26. Si verò etiam parvulis ad justificationem Fides requiratur, hæc utique, nempe habitualis, ipsis infunditur in Baptismate, qua, tametsi actu non credant, credunt tamen habitu, & in voto, & salvantur, sicuti salvantur Cathecumeni, non actu, sed in voto tantum baptizati, & hoc pacto parvuli satisfaciunt quoque præcepto percipiendi Corpus Christi, quod quidem accipiunt in voto implicito in Baptismate incluso.

27. Obji. II. Adulti salvari possunt absque Baptismo in re suscepto, ut patet in Cathecumenis; ergò etiam parvuli habent aliquod aliud remedium præter Baptismum in re susceptum, cum non sint deterioris conditionis, quam Adulti; eodem quippe pretio Sanguinis Christi sunt redempti.

28. Resp. neg. conseq. ad cujus probat. neg. conseq. parvuli enim deterioris conditionis non fiunt ex eo quia Baptismus flaminis ipsis desit, cum Baptismus fluminis, vel Sanguinis sufficiat pro omnibus institutus, & pro cujus solicita collatione Ecclesia providit, imponendo Pastoribus solicitam curam eamdem

conferendi, ex Nicolao I. ad Consul. Bulgar. Gelas.I. Quæst.9. Gregor.II. Epist.5.; & propterea in Casu necessitatis etiam Laici, & Fœminæ illum validè conferunt in forma, & intentione Ecclesię, ex Lateran.IV. cap.1. & Floren. in Decret. Union. Parentes verò urgentur præcepto Charitatis, & Pietatis, eos, ut celeriter baptizentur, curare. Si verò omnibus adhibitis conditionibus, adhuc sine Baptismo decedant, uti etiam inter Catholicos contingit interdum, Dei judicia inscrutabilia adorare oportet, juxta Pauli præceptum ad Rom.11. 33., & August. monitum Epist. 106., non remedia nova comminiscenda Ecclesiæ incognita. Et eodem pacto de parvulis inter Infideles nascentibus differendum est, quibus Sacramentum pro omnibus institutum minimè deest, sed ejusdem sola applicatio, non ex parte Dei, sed causæ secundæ.

29. Obji. III. In Regionibus, in quibus Evangelium minimè fuit propositum, durat adhuc remedium Legis Naturæ, aut Circumcisio, sicut durabat, Evangelio apud Judæos nondum solemniter promulgato; ergò saltem in illis Regionibus non est necessarium Baptisma, sed sufficit remedium Legis Naturæ, aut Circumcisio. Prob. ant. quia Lex non obligat, nisi sit promulgata, juxta communem Theologorum, & Juristarum sententiam; ergò Lex Evangelica Baptismi in Regionibus illis non obligat; ergò durat adhuc remedium Legis Naturæ; ergò Baptismus ibi non est necessarius ad salutem.

30. Resp. neg. ant. ad cujus probat. neg. conseq. concedo enim, ubi Evangelium non est promulgatum, Legem Baptismi nequaquam obstringere, & Infideles ignorantia invicibili ex-

excusari ne pereant, Baptismum non recipientes: at nego, eos Legis Naturæ, aut Circumcisionis remedio juvari, quod jam per mortem Christi fuit abrogatum; sicuti autem ante promulgationem Evangelii non peccabant Judæi Baptismum minimè recipiendo, nec tamen post Christi mortem Circumcisionis, aut Legis Naturæ remedio salvabantur, ita illi, qui Evangelium invincibiliter ignorant, utique Baptismum non recipientes minimè delinquunt: at, quia Lex antiqua abrogata est, nisi Baptismum suscipiant in re, vel in voto, damnantur, non ob Baptismi omissionem, sed ob alia peccata, quibus damnationem meruerunt.

31. Obji. Ult. Parvuli solo Baptismo flaminis Parentum suorum salvari possunt; ergò non est necessarius Baptismus fluminis. Conseq. patet, Prob. ant. Parentes optare possunt pro Filiis Baptismum, cum in ipsis, veluti in capite suo contineantur; ergò sicuti peccant peccato originis, quia in Adam Capite suo continentur, ita salvari possunt per Votum Baptismi, qui continentur in Parentibus veluti in capite suo.

32. Resp. neg. ant., ad cujus probat. neg. conseq. In tantum enim parvuli contrahunt Originale peccatum, quia in Adam veluti primo Capite voluntates eorum virtualiter continentur; & propterea verè peccant, non peccato Adæ, sed proprio, quod origine trahunt. Parentes autem non sunt Caput primum, sicuti Adam, sed subordinatum, & ab eo descendens, & propterea voluntates parvulorum in ipsis minimè præcontinentur: quare Baptismus flaminis, quod ipsis adultis prodesset, non prodest iisdem parvulis. Cæterum etiamsi hujusmodi continentia voluntatis parvulorum in voluntate Parentum adesset, hæc per Legem universa-

lem Baptiſmi fuit à Chriſto Domino ſublata, qui non minùs in ordine Redemptionis eſt Caput noſtrum, ſicut Adam in genere carnalis propagationis; quo circa, ſicut neminem voluit pro alio baptizari Baptiſmo fluminis, quacumque continentia non obſtante; ita voluit, neminem pro alio baptizari Baptiſmo flaminis pro ſalute æterna conſequenda.

ARTICULUS SEPTIMUS

Objecta ſolvuntur adverſus ſecundam Partem.

33. OBji. I. Divinæ Scripturæ vim juſtificandi Euchariſtiæ tribuunt; ergò Euchariſtia vices Baptiſmi ſupplere poteſt. Conſeq. patet, Prob. ant., ex Joan. 6. 32. cum Judæis dixiſſet Chriſtus: *Non Moyſes dedit vobis panem de Cœlo, ſed Pater meus dat vobis panem de Cœlo verum*, ſubdit: *Panis enim Dei eſt, qui de Cœlo deſcendit, & dat vitam Mundo*. Similia in aliis locis dicuntur; ergò Divinæ Scripturæ vim juſtificandi tribuunt Euchariſtiæ, adeoque & ſupplendi vices Baptiſmi.

34. Conf. Quia eſus Agni Paſchalis Euchariſtiæ præfigurativus primam juſtificationem tribuebat, ex Num. 9. 13. ubi habetur: *Si quis non fecit Phaſe*, ideſt eſum Agni Paſchalis, *exterminabitur anima illa de Populis ſuis*, ſicut Geneſ. 17. 14. de Circumciſione: *maſculus, cujus preputii caro circumciſa non fuerit delebitur anima illa de Populo ſuo*; ergò ſicuti eſus Agni Paſchalis juſtificationem tribuebat, etiam Euchariſtia idipſum faciet, quæ eſt præfiguratum.

35. Reſp. neg. ant., ad loca ex Scripturis addu-

adducta dico, illa intelligi oportere de vivificatione conservativa, non autem excitativa: modus enim vivificandi ibidem expressus fit manducatione, & potu, quæ mortuis nequaquam congruunt, sed vivis, quorum vitam conservant: attamen, etsi concederetur, Eucharistiâ mortuos vitâ Spirituali excitari ad vitam, non inde sequeretur, Eucharistiam vicem Baptismi supplere: Pœnitentiæ quippe Sacramentum mortuos vivificat, nec tamen supplet vices Baptismi habentis vim regenerandi eos, qui numquam Christo nati fuerunt, non autem eos resuscitandi Christo Defunctos, ut facit Pœnitentia.

36. Ad Conf. neg. ant., ad cujus probat. neg. conseq. Ille enim Textus significat pœnam temporalem mortis, non æternæ perditionis: Circumcisionis verò necessitas ex aliis rationibus deducitur, non præcisè ex illo Textu Scripturæ: tum quia Agnus Paschalis Circumcisionem supponebat, adeoque primam ab originali justificationem; comestio enim solis Judæis imperabatur, ut ex Capite illo manifestè apparet. Circumcisio verò parvulos octo tantum dierum afficiebat, qui nullum adhuc remedium pro Originali delendo perceperant, adeoque nec primam justificationem erant consecuti; quo circa argumentum ad rem non facit.

37. Obji. II. Patres, & Ecclesia asserunt, Eucharistiâ mundari homines à quocumque peccato, salvari ab interitu mortis æternæ, scelera ablui, remitti peccata, Vitam æternam tribui, renovari, ac justificari Animas nostras; ergò Eucharistia potest tollere Originale. Conseq. patet, his enim modis loquendi Patres utuntur, ad Baptismi, in quo renascimur, virtutem signi-

ficandam. Ant. autem evincitur ex Liturgiis Jerosolymorum, Syriæ, & Armeniæ, quarum Jacobus Frater Domini, Basilius Magnus, & alii Sancti Patres Authores fuerunt, ex Mag. Gregor. lib.4. Dialog. cap.58. ex August. lib.1. de Peccat. merit. & remiss. cap. 20. & aliis. Ecclesia verò idipsum sentire videtur in Brachar. III. de Consec. dist.2. Can. *Cum omne*, & Trident. sess.22. cap.2.; ergò ex Patribus, & Ecclesia Eucharistia prodest etiam parvulis sicut Baptisma.

38. Resp. con. ant., & neg. conseq. ad probat. dico, Patres, & Ecclesiam de Baptismo loquentes, non solum effectus in objectione memoratos referre, sed asserere quoque, Baptizatos ex filiis Diaboli filios Dei, ex immundis mundos, ex captivis liberos, ex æternæ damnationis reis, perpetuæ Beatitudinis hæredes, ex inimicis amicos, & fratres Christi, Deoque dilectos effici, novamque Spiritualem vitam in Christo, oppositam carnali, quam ex Adamo traxerant, comparare; quæ quidem omnia citra veram, & primam justificationem salvari non possunt, ac proindè virtus Baptismi ex illis loquendi formulis optimè deducitur: Dicta verò Patrum, & Conciliorum, etsi Eucharistiam magnopere commendent; his tamen loquendi formulis minimè utuntur, sed aliis universalioribus, quæ possunt Eucharistiæ optimè aptari, & explicari absque ullo Baptismi præjudicio.

39. Itaque Eucharistia optimè dicitur, homines à quocumque peccato mundare, vel quia dat auxilia non amplius labendi in peccata; vel quia pœnarum remissionem obtinet, & munera Cœlestia, quibus abluuntur; vel quia dat vires concupiscentiam refrænandi, & ambu-

lan-

landi alacriùs in via Domini, atque pericula peccandi arcet, & miram tribuit fortitudinem, pravis cupiditatibus resistendi, & suavitatem in Legis Dei observantia largitur.

40. Obji.III. Baptismus primam tribuit justificationem; ergò etiam Eucharistia. Prob. conseq. Ideo Baptismus eam tribuit, quia speciale signum est mortis, & sepulturæ Christi, cum quo, dum baptizamur, dicimur mori, & sepileri, juxta Apostol. ad Rom. 6. 4.: at hoc habet etiam Eucharistia, ex eodem Apost. 1. Corinth. 11. 24. exprimitur enim incruentè Sacrificium, quod cruentè in Cruce peractum est.

41. Et sanè videtur incredibile, instrumentum Baptismi primam gratiam tribuere, minimè verò Authorem ejusdem, qui in persona propria Eucharistiâ recipitur.

42. Resp. Conc. ant., & neg. conseq. ad cujus probationem neg. causalem: Non enim Baptismus ideo primam justificationem efficit, quia mortem Christi, ejusque Sepulturam commemorat; sed quia per modum regenerationis est institutus, qua morimur peccato, ac Deo renascimur, vetusque Adam in aquis sepelitur, numquam in eodem peccato surrecturus. Hæc autem expressio mortis, & sepulturæ Christi in Baptismo fit per modum regenerationis, & nativitatis Spiritualis: Eucharistia verò eamdem quidem Christi passionem exprimit, sed diversimodè, nempe per modum Convivii, quo nobis Christus ipse datur: cibus autem non datur nondum natis, sed ex utero Matris emersis, qui pascuntur cibo proprio, & potu.

43. Id verò quod subditur, levissimum est: non enim appropinquatio Christi purè physica salutem operatur, juxta August. serm. 14. de temp. cap. 4. cum Corpus Christi multi molestè

pre-

premant, pauci salubriter; alioquin etiam indigni fructuosè Christum reciperent, quod contradicit Apost. 1. Cor. 11. 29. dicenti: *Qui enim manducat indignè, judicium sibi manducat, non dijudicans Corpus Domini*: Sed quæ Fide, ac Charitate antecedente perficitur: cibus autem non datur mortuis, aut nondum natis, sed solis viventibus, qui cibo plerumque utuntur.

44. Obji. IV. Ex hoc quod Eucharistia non sit instituta ad delendum Originale, non sequitur minimè posse ab eo deleri; ergò Eucharistia potest supplere vices Baptismi. Conseq. patet. Prob. ant.; ex eo quia Eucharistia non sit instituta ad delendum mortale, non sequitur, non posse ab ea deleri per accidens; hoc enim docet D. Thom. 3. Part. Quæst. 79. art. 3. Doct. Subtil. 4. Dist. 9. Quæst. unica. Suarez Disp. 63. Sec. 1., & alii cum ipsis; ergò etiam licet Eucharistia non sit per se instituta ad delendum Originale, id poterit per accidens in iis, qui obicem non ponunt, quoties non habetur Baptisma, cum parvuli obicem nullum exhibeant: & sicuti Baptismus potest delere actuale peccatum, licet hoc non habeat ex institutione, cur Eucharistia non poterit Originale in parvulis, etiamsi hoc ex sua institutione non habeat?

45. Resp. neg. ant.: ad cujus probat. admisso antecedenti, quod est valdè controversum, illudque apertè negat Sanc. Bonavent. 4. Dist. 9. art. 2. Quest. 3. neg. adhuc conseq. Nam Eucharistia delendo per accidens mortale, ex linea institutionis suæ, nequaquam extrahitur, nempe rationis cibi, & potus, quorum natura est pascere, & nutrire benè præparatos, minimè verò non adhuc natos: illi verò, qui, præmissâ debitâ diligentiâ, cum peccato igno-

rato

rato, ad Eucharistiam accedunt, quantum est ex se sunt præparati, adeoque prodest ipsis Cibus ille cœlestis, non quidem per se, sed per accidens: at parvuli non adhuc baptizati, minimè adhuc nati sunt vita spirituali; ergò neque per accidens cibo spirituali juvari possunt ad Originale tollendum. Ideo autem Baptismus, etsi admittatur per se primò ad delendum Originale institutus, etiam delet actuale, quia extra ipsum nullum aliud datur medium in Lege Gratiæ pro delendo quocumque peccato: nam etiam Pœnitentia ipsa, quæ haberetur, votum Baptismi includit, quod sanè de Eucharistia dici nequit, ad hunc finem minimè instituta, & idcircò supponere debet homines nedum spiritualiter natos, sed etiam vivos vitâ Gratiæ, & sufficienter probatos, ideò nec per se, nec per accidens delere potest Originale.

ARTICULUS OCTAVUS.

Solvuntur objecta adversus tertiam partem.

46. OBji.I. Eucharistia instituta est per modum cibi; ergò prodesse potest Infanti in utero Matris incluso. Ant. patet, Prob. conseq. Cibus corporalis à Matre sumptus Infantulo prodest non sumenti illum in utero Matris; ergò etiam Eucharistia prodesse potest, etiamsi illam non sumat, cum cibi spiritualis major virtus sit, quam corporalis.

47. Resp. neg. conseq. Eucharistia enim instituta est sub speciebus panis, & vini, quæ non datur parvulis in utero Matris inclusis, etiamsi alio cibo indigeant, nec eos juvat, si mortui sint; igitur nec ipsos juvat Eucharistia,

cum

cum ipsos mortuos Christo inveniat, nec sub speciebus illis expressis ab iis sumi potest: etiamsi enim cibus spiritualis melior sit corporali, non extrahitur tamen à ratione cibi, qui non mortuis, sed vivis datur, solosque vivos juvat.

48. Obji. II. Sanctitas unius extremi potest in aliud redundare ab ipso realiter distinctum; ergò Eucharistia sumpta à Matre potest redundare in utilitatem Filii in utero inclusi; ergò supplere quoque vices Baptismi; conseq. patet: Nam Filius in utero inclusus facit unum cum Matre: hinc Legis præsumptione Matris conditiones fætum sequuntur utero inclusum C. fin. de ser. non ordin. L. 2. C. *Si mancipium*. L. fin. *Communia* de Matrum; ergò sanctitas Matris ex Eucharistia percepta in Filium redundare potest. Ant. autem prob. nam Humanitas Christi Verbo Divino copulata. Quod est Sanctitas substantialis, ex multorum gravium Theologorum sententia, apud Mastrium nostrum 3. Senten. Dispnt. 2. Quæst. 1. verè, propriè, ac formaliter sanctificatur; ergò sanctitas unius extremi potest redundare in aliud sibi copulatum; adeoque sanctitas Matris redundare in Filium utero suo inclusum.

49. Conf. Nam ad Rom. 11. 16. *Si radix sancta, & rami*; ergò si per Eucharistiam Mater est sancta, eadem sanctitate erit etiam Filius.

50. Resp. Dist. ant. Si extrema copulata sint supposita perfecta, & integra, neg. ant. alio modo, permit. ant., & neg. conseq. Filius enim si rationali Anima sit præditus, non facit unum cum Matre, nisi per aggregationem, à qua personaliter distinguitur: hinc negatur paritas adducta; nam admittendo cum plerisque Theologis sanctitate substantiali Verbi

Divi-

Divini, cui unitur, Humanitatem Christi sanctificari, quod tamen cum suis & aliis à Doctore Subtili negatur 3. Sent.Dist.2. Quæst.1., adhuc falsa est conseq.; Verbum enim, & Humanitas in una Persona subsistunt, ut Abyssini adversus Nestorium confitentur; hinc mirum non est, sanctitatem unius extremi in aliud redundare, quamvis realiter distinguantur. Parvulus autem indigens ab Originali mundari, ac sanctificari, est Persona à Matre distincta, solumque localiter unita, adeoque ex sanctitate unius, non infertur sanctitas alterius. Quod si argumentum hoc valeret, sanctitas quoque Matris baptizatæ in Filium redundaret, quod ipsismet Adversariis displicet, Baptismum parvulorum admittentibus à Baptismo Matris distinctum.

51. Ad conf. neg. conseq. Parvulus enim Anima præditus rationali excisus est à radice, & propterea sanctitas radicis in rami sanctitatem nequaquam influit: ideo autem dicit Apost. *Si radix sancta, & rami*; quia si Judæi, de quibus loquebatur, Fidem Patriarcharum, quorum erant posteri, secuti fuissent, eamdem sanctitatem consecuti essent; secus, amisissent, uti revera factum est; igitur non erat eadem numero sanctitas ramorum, & radicis.

SECTIO SECUNDA

An Baptismus possit iterari?

52. ABysini singulis annis die Epiphaniæ, stagno aquæ benedicto, tam Mares, quam Fœminas, trina mersione, præmissâ formâ, baptizant. Videndum est, an licitè hoc faciant, sive Baptisma propriè iterare intendant, sive ablutionem illam tantummodo facere velint in

in Christi memoriam, quando in Jordane baptizari voluit, ut salvaret nos; cujus mysterium die illa solemniter ab Ecclesia recolitur. Quæstio hìc agitatur, an Baptismus ritè collatus iterari queat? Vel si ob honorem, & memoriam Christi id fiat, etiamsi desit intentio verè baptizandi, adhuc liceat?

ARTICULUS PRIMUS

Dicendum est, Baptismum ritè collatum numquam repeti posse, etiam si id fiat animo Christum honorandi, & commemorandi.

53. PAtet ex Scripturis prima pars, ex Joan. 3. ubi aperte asseritur Baptismi necessitas illis verbis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*: Ubi fit comparatio inter nativitatem carnalem ex Adam, & spiritualem in Christo; at unica tantum vice nascimur carnaliter ex Adam; ergò unica tantum vice nascimur in Christo per Baptismum: hinc August. trac. 11. in Joan. super hunc locum: *Jam natus sum de Adam, non potest me iterum generare Adam. Jam natus sum de Christo; non potest me iterum generare Christus. Quomodo uterus non potest repeti, sic nec Baptismus.*

54. Item Baptismus est expressio in nobis, & similitudo mortis, & sepulturæ Christi, ex Apost. ad Rom. 6. 3. dicente: *An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambule-*

bulemus. Salvator autem nec denuò mori, ac sepeliri, nec resurgere potest, juxta eumdem Apostolum v. 9. *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors ultra illi non dominabitur*; ergò neque dari potest alius Baptismus, quo præfata repræsententur.

55. Rursus ad Ephes. 4. 5. 6. dicit Apost. *Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma, unus Deus, & Pater omnium*; ergò sicuti in unoquoque homine unica tantum debet esse Fides objectiva, sicuti unus Deus, ita unius debet esse Baptismus ejusdem Fidei protestativus; ergò ex Scripturis illicita rebaptizatio est.

ARTICULUS SECUNDUS

Idipsum Ecclesiæ, ac Patrum authoritate ostenditur.

56. Ecclesia ritè baptizatis secundum Baptismum vetat: Nam Carthagin. Primum sub Grato Archiepiscopo an. Christi 349. ex Binio post Sardicense celebratum hæc habet: *Illicitas esse sancimus rebaptizationes, & satis esse alienum à sincera Fide, & Catholica disciplina rebaptizari*. Chartagin. III. cap. 38. *Non licet fieri rebaptizationes, reordinationes &c.* De Consec. Dist. 4. Cap. *Non licet*.

57. Item rebaptizantes Sacerdotes, & Episcopi depositione, rebaptizati inhabilitate ad Clericatum, ex Felic. III. Epist. 5. aliisque pœnis plectuntur.

58. Rursus Baptizati ab Hæreticis, vel à quibuscunque aliis Infidelibus, dummodo in forma Ecclesiæ, minimè possunt rebaptizari, ex Nicæn. I. Can. 9. Arelat. I. Can. 8. Mogunt. IV. cap. 13. Cabilon. III. Can. 27. Tolet. I. cap. 15.

Late-

Lateran. IV. Can. 1. Florent. in Instruc. Armen. quod utique non fieret, si Baptisma licitè posset repeti; ergò &c.

59. Idipsum sentiunt Patres. Clem. Rom. quem Abyssini tanti faciunt, ut ejusdem Constitutiones Verbum Dei appellent, Lib. 6. c. 15., cum capite superiori alia retulisset Apostolorum præcepta Fidelibus imposita, subdit: *Eodem modo contenti uno solo Baptismo, qui in Domini mortem traditur, non ministerio abominandorum Sacerdotum Hæreticorum, sed probatorum Sacerdotum in Nomine Patris, & Filii, Spiritus Sancti*. Epiphan. Hæres. 69. cum dixisset, post primam pœnitentiam, quæ fit in Baptismo, omnem Hominem renovari; subdit; *Non enim duo sunt Baptismata, sed unum; neque bis Crucifixus est Christus, sed semel, neque bis pro nobis mortuus est, & resurrexit. Et hujus gratiâ muniri nos oportet, ut ne lapsi coronam renovationis perdamus*. S. Basil. de Spirit. Sanc. Cap. 15. *Non Judæorum more in quibusdam inquinamentis abluimur, sed unum novimus salutiferum Baptisma: quandoquidem una est pro mundo mors, & una ex mortuis resurrectio, quarum figura est Baptismus*. Similia tradùnt Gregor. Nazianz. Orat. 40. Justin. Mart. Orat. ad Orthodoxos, Quæst. 97., & loculentissimè Chrysost. Hom. 9. in Cap. 6. Epist. Pauli ad Hæb. ubi post adductas rationes, ob quas repeti nequit Baptismus, infert: *Non est ergo, non est secundum lavacrum: si est autem, est tertium, & quartum*: postremò concludit: *Quid ergò? Non est Pœnitentia? Est Pœnitentia, sed non est secundum Baptisma*. Et prosequitur ibi Pœnitentiam commendans, quæ fit post Baptisma; ergò ex Patribus ipsis Orientalibus Baptismus repeti non potest.

AR-

ARTICULUS TERTIUS

Idipſum rationibus aliquibus ſuadetur.

60\. I. Circumciſio, & remedium Legis Naturæ in Veteri Teſtamento unica tantum vice conferebantur, nec umquam repetebantur; ergò neque Baptiſmus iis longè perfectior, & præfiguratus repeti poteſt.

61\. II. Peccatum Originale, quod eſt Baptiſmi præcipua materia, circa quam verſatur, ex Floren. in Inſtruc. Armen. & docet Auguſt. in Enchir. Cap. 64. numquam redit, ſed penitus extinguitur; ergò neque Baptiſmus redire poteſt.

62\. III. Per Baptiſmum conſceramur Deò, cujus milites efficimur; ergò repeti nequit Baptiſmus: quæ enim Deo ſemel ſacrata ſunt, nova conſecratione non indigent, ut in Templis, & Altaribus animadvertimus, & habemus de conſec. Diſt. 1. Cap. *Solemnitates*, & Diſt. 68. Cap. *Sicut ſemel*, Cap. *Eccleſiis*; & Panis ipſe Euchariſticus unica tantum vice conſecratur; ergò ſemel quoque tantummodo confertur Baptiſma.

63\. IV. Uſus perennis, & antiquiſſimus Eccleſiæ numquam rebaptizandi ritè Baptizatos, ſed ſolummodo reconciliandi eos, qui ab Eccleſia deſciverunt; quæ conſuetudo in veteribus Conciliis apertè conſtat, ut Nicæn. I., Arelat., Anciran. & aliis, cui uſui numquam eſt derogatum, ſatis apertè oſtendit, cenſuiſſe primitivam Eccleſiam, de mente Chriſti inſtituentis fuiſſe, ut Baptiſmus numquam renovaretur: hinc ex Socrate lib. 7. cap. 17. cum Judæus quidam ritè baptizatus iterum ad Baptiſ-

ptiſmum redi iſſet, exclamavit Epiſcopus: *Aut veterator es, aut Baptiſmum ignoranter accepiſti*; ergò Baptiſmus iterari non poteſt.

64. V. Admiſſa iteratione, Baptiſmo fieret injuria maxima, innueretur quippè, ab ipſo Originale nequaquam fuiſſe deletum, nec pœnas, actualibus Baptiſmum præcedentibus debitas, pleniſſimè dimiſſas, quod omnino abſurdum eſt, ſupponeretur quippè, merita Chriſti in Baptiſmo primo applicata ad omnimodam peccati ſive Originalis, ſivè actualis dimiſſionem minimè ſufficere; igitur Baptiſmus ritè collatus nullo caſu iterari licitè poteſt.

ARTICULUS QUARTUS

Dicendum ſecundo, etſi Æthiopes nullam haberent intentionem verè rebaptizandi, adhuc tamen materiam, & formam repetentes, illicitè facere.

65. PRob. breviter I. Quia ponere ſignum à Deo ad effectus ſupernaturales practicè, & efficaciter ſignificandos inſtitutum eo animo, ut practicè non ſignificet, eſt intrinſecè malum; redundat quippè in contemptum Sacramenti ob defectum debitæ intentionis effectu fruſtrati, & Dei inſtituentis, quaſi ſignum illud ſit ad effectus illos efficaciter producendos inefficax: At mergere Homines aquâ, verbaque recitare, quæ in vero Baptiſmo proferuntur tamquam forma, eſt ponere ſignum à Deo inſtitutum eo animo, ut practicè non ſignificet, cum revera à Chriſto Domino res illæ, & verba ad finem Gratiæ producendæ fuerint inſtituta; ergò Abyſſini, qui aquâ, & verbis Baptiſmalibus utuntur alio fine, graviter peccant contra Religionem.

66. II.

66. II. Vel Æthiopes illa ablutione cum verbis Sacramentalibus rem sacram intendunt facere, cum exclusione Sacramenti, vel prophanam: si rem sacram facere intendunt, malum est, & contra Religionem, eo quia facere intendunt diversa intentione ab illa, quæ fuit à Christo Authore instituta: si verò actionem prophanam, adhuc graviter delinquunt, actioni prophanæ verba sacra, & ex se effectûs supernaturalis operatoria miscentes; est quippè irrisio, & notorius contemptus eo modo, quo si vasa sacra in usum prophanum converterentur: pejus autem agerent, si joco facerent; maximam quippè injuriam Deo irrogarent, dum rem sacrosanctam, ac mysteriis plenissimam, jocandi materiam efficerent, ac satis ostenderent, nullo pretio habere.

67. III. Quia cæterorum Sacramentorum formam super debitam materiam proferens absque intentione Sacramentum efficiendi, illicitè agit; illud quippe frustratorium efficit, & decipit Fideles, qui verum putant recipere Sacramentum, & propterea talia agentes in Sanctæ Inquisitionis Tribunali rigidissimè plectuntur; ergò etiam Abyssini graviter delinquunt absque intentione baptizandi, Homines mergendo aquâ, superque ipsos formam Baptismi etiam proferendo.

68. Si tamen absque formæ prolatione simpliciter Homines in stagno abluerent, in memoriam Christi Baptismo suo aquas sanctificantis, minimè in hoc delinquerent: Sacramentum enim nullum simularent, aut irritum efficerent, sed solummodo sacro illo ritu Baptismi Christi memoriam recolerent, quod pium sanè, ac Religiosum est.

AR-

ARTICULUS QUINTUS

Solvuntur objecta contra primam partem.

69. OBji.I. Ex Scripturis non habetur, Baptismum non posse repeti; ergò &c. Prob. ant. Nam loca adducta ex Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* non videntur evincere intentum: Nam etiam per Pœnitentiam Deo renascimur, cui eramus mortui per peccatum lethale, quæ tamen repeti potest. Neque alius ex Ephes. 4. quo dicitur: *Unus Deus, una Fides, unum Baptisma*; si enim aliquid probaret, evinceret quoque, quod sicut datur unicus numero Deus respectu omnium, ita dari deberet unus numero respectu omnium Baptismus, quod tamen absurdum est. Ita etiam si hujusmodi Textus aliquid probarent, ostenderent quoque, unicam numero Eucharistiam dari debere, cum dicatur 1. Cor. 10. 17. *Unus panis, unum Corpus multi sumus*, quod tamen absurdum est; ergò Baptismus iterari licitè potest.

70. Resp. ne. ant., ad cujus probat. neg. Conseq. Nam in Pœnitentia renascimur per modum judicii, & remissionis, &. propterea laboriosus Baptismus à Patribus appellatur, & secunda post naufragium Tabula: venia quippe, nisi magno fletu, dolorosa Confessione, ac pœnali satisfactione, minimè obtinetur. In Baptismate autem, citra Judicis absolutionem, ac Pœnitentis confessionem, omnes peccatorum maculæ penitus absterguntur, pœnæque condonantur, atque ad infantium innocentiam initiati reducuntur: Hinc 1. Pet. 2. 2. regenerati Baptismate, *Quasi modo geniti Infantes* nuncupantur.

71. Instantiâ quoque adversus Textum ad Ephes. 4. 5. *Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma*, nihil ad rem facit: illa enim verba convincunt apertissimè unitatem Baptismi modo sibi proportionato, non quod unicus sit Baptismus, sicut unicus est Deus, sed sicuti unicus datur Deus, ita unicus in unoquoque Fideli Deum colente debet esse Baptismus unius veri Dei protestativus, & unica in eum Fides ab unoquoque habenda.

72. Quod verò adducitur ex 1. Cor. 10. 17. ubi dicitur: *Unus Panis, unum Corpus multi sumus*, Adversariis nihil favet: loquitur enim Apostolus, non de Eucharistia formaliter accepta, sed de nobis in Christo copulatis, Eucharistia mediante: Cum enim dixisset Apostolus v. 16. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est? Et panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?* Subdit: *Quoniam unus Panis, unum Corpus, multi sumus, qui de uno Pane participamus*. Quibus verbis innuitur, nos Fideles Eucharistiam sumentes ità in Christo, atque inter nos invicem esse conjunctos, quo multa grana tritici in uno pane conjunguntur; sicut igitur ista faciunt unum Panem, ita & nos in Eucharistiâ Christum sumentes facimus unum Populum.

73. Obji. II. Stat Baptismus absque ullâ renovatione, ac nativitate spirituali; ergò saltem in illo casu iterari debet. Ann. est certum in ficto suscipiente Baptismum, absque fructu ullo ratione nullius, vel pravæ dispositionis, ex Floren. Instruc. Armen. & Triden. sess. 7. Can. 6., definientibus per Sacramenta Gratiam causari, nisi adsit obex. Conseq. patet: Nam illa renovatio à solo Baptismo pro-

venire poteſt ad Originale, cæteraque præcedentia peccata delenda inſtitutum; ſed à priori Baptiſmo provenire non poteſt; ergò à ſecundo.

74. Reſp. Diſt. ant., ex parte ſui, ne. ant., ex parte ſuſcipientis; Conc. ant., & neg. Conſeq. Ad probat. Conc. maj. ne. min. Illa enim renovatio, quæ fit in ficto, remota fictione, non provenit à ſecundo, ſed à primo Baptiſmo, cujus effectus fuit quidem ob fictionem ſuſpenſus, ſed non omninò ſublatus: accedente verò recta diſpoſitione, remotaque fictione, effectus Baptiſmi, nempe plena juſtificatio inducitur, & propterea ſecundus Baptiſmus minimè eſt neceſſarius, ut optimè Doct. Subtil. 4. Diſt. 5. §. *Reſpondeo*. Quamvis autem, recedente fictione, Baptiſmus phyſicè non adſit, adeſt tamen moraliter, & in eo ſenſu perſeverat. Nec per fictionem omnes penitus effectus Baptiſmi impediuntur, imprimitur quippe Character in Anima Baptizati, qui Eccleſiæ Filius efficitur, ſed ſolummodo illa dona, quæ in perfecta juſtificatione conferuntur: & propterea ſecundus Baptiſmus ob finem hunc nequaquam admittitur.

75. Obji. III. Ex eo quia unica tantum detur nativitas carnalis, non arguitur multiplicem dari non poſſe ſpiritualem; ergò iterabilis eſt Baptiſmus. Conſeq. patet: hac enim ratione Catholici utuntur ad probandum unicum Baptiſma eſſe oportere. Prob. autem ant. Stat unica tantum mors carnalis, & corporis reſurrectio cum multiplici nativitate ſpirituali, cum plures quotidie à peccatis reſipiſcant, & ſpiritualiter renaſcantur; ergò ſtat quoque unica nativitas carnalis, cum multiplici nativitate ſpirituali, cum nulla poſſit aſſignari diſpa-

ſpatitas, adeoque multiplicari quoque Baptiſmus, in quo ſpiritualiter renaſcimur.

76. Reſp. ne. ant., ad cujus probat. neg. conſeq. Nam vita ſpiritualis eo modo, quo in Baptiſmo aquiritur, numquam amitti poteſt, utpote oppoſita morti per Adam inductæ, nempe peccato Originali, quod unica vice extinctum numquam reviviſcit, adeoque, etiam vita ipſi oppoſita ex Baptiſmate aquiſita, numquam extinguitur, & propterea, quoniam numquam in Adamo morituri ſumus, neque per Baptiſmum novo Adæ nempe Chriſto ſumus regenerandi, & reſurrecturi; vita verò, quæ aquiritur per Pœnitentiam pluribus modis peccato actuali amitti poteſt, & ideò etiam pluries recuperari, ac per ipſam reſurgere: adeoque argumentum ad rem non facit.

ARTICULUS SEXTUS

Solvuntur objecta contra ſecundam partem, & quædam Quæſita enodantur.

77. OBji. I. Chriſtus, quando fuit baptizatus à Joanne, Joan. 1. 30. Matth. 3. 16. & Lucæ 3. 21. baptizatus fuit abſque intentione recipiendi Baptiſmum; ergò etiam Abyſſinis erit licitum recipere Baptiſmum Chriſti abſque intentione recipiendi. Conſeq. patet: nam licitum eſt imitari Chriſtum, qui eſt *Via, Veritas, & Vita* Joan. 14. 6. Prob. ant. etiam, quia Chriſtus non indigebat Baptiſmo ad ſui purificationem, cum careret omni peccato; ergò accepit Baptiſmum abſque intentione vera ipſum recipiendi quoad ſuum eſſe formale.

78. Reſp. ne. ant., verè enim Chriſtus intendit recipere Baptiſmum Joannis eo modo,

quo ab ipso conferebatur? Cum enim renueret Joannes ipsum baptizare, ait Matth. 3. 15. *Sine modo: sic enim decet, nos implere omnem justitiam*. Cæterum etiamsi non intendisset verè Baptismum illum recipere, adhuc nulla est consequentia: Baptismus enim ille utpote à Joanne institutus, Novæ Legis Sacramentum non erat, ex Triden. sess. 7. de Baptis. Can. 1. sed ipsius tantum præparatio: qui verò ab Abyssinis confertur, est verus Baptismus, cujus materiam, & formam reipsa ministrant: adeoque ex facto Christi nihil pro ipsis colligitur: neque omnia, quæ Christus fecit, nobis sunt regula agendi; ipse quippe ob varia gravissima motiva, quæ Patres commemorant, circumcidi voluit, nec tamen Fidelibus licitum est circumcidi, Paulo dicente ad Gal. 5. 2. *Dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit*; aliaque gessit, quæ nobis imitari omninò interdicitur.

79. Obji. II. Sumendo ablutionem illam cum formæ repetitione, nulla fit Sacramento injuria: nullum quippe fit, nec fieri intenditur Sacramentum, sed mera repetitio actionis Christi Baptismum facto suo instituentis, ex D. Thoma 3. Par. Quæst. 26. art. 1. & insinuat August. serm. 37. de Temp. non verò intenditur fieri verum Sacramentum; ergò licitè fit.

80. Conf. Nam licitum est etiam secundum Latinos repetere ablutionem, quæ est materia Baptismi, eo quia nullum intenditur Sacramentum; ergò etiam ob eamdem rationem licet repetere formam, cum etiam illa repetitione nullum intendatur Sacramentum, ad quod conficiendum non minus materia, quam forma requiritur.

81. Resp. ne. ant., & conseq. probationis:

nis: nam hoc ipso, quod non fiat, nec fieri intendatur Sacramentum, ipsi maxima fit injuria, dum ea omnia ponuntur, quæ, præcisâ intentione, Sacramentum conficere nata sunt, cum frustratorium reddatur, & inane, quod à Christo Domino pro salute Hominum institutum est.

82. Ad Conf. neg. Conseq. Nam aqua de se materia est indifferens ad plura significanda, & imperfectior pars signi Sacramentalis, & ptopterea fieri potest, & repeti ablutio, quin Sacramentum iterationis periculo subjiciatur: videmus enim Ecclesiam aquâ uti, & ablutione in aliis ritibus à Baptismo diversis. Forma verò super ablutionem applicata, quæ est materia proxima, non est amplius indifferens, sed determinata, & completiva Baptismi, qui verbis formæ prolatis perficitur, finemque ultimum imponunt composito Sacramentali: ac proindè irreverentia in secundo, non in primo casu committitur. De tempore verò institutionis Baptismi, quoniam Scholastica controversia est, differere non est opus.

83. Quæres I. Quid agere Minister debeat, dubio existente Baptismate?

84. Resp. Ad dubium tollendum omnem moralem diligentiam adhiberi oportere, Parentes Baptizati, Propinquos probabiliter conscios interrogando, Libros Parochiæ lustrando &c. Eo autem perseverante, is, de quo dubitatur, sub conditione baptizari debet, ex Alexand.III., *Extra*, de Baptismo, & ejus effectu Cap. *De quibus*. Quamvis enim sacrilegii discrimen effugiendum sit, saluti quoque Baptizandi consuli oportet, absque Baptismi lavacro profectò perituri: optimè enim Leo Mag. *Providere debemus, ne, dum speciem quam-*

dam Cautionis tenemus, damnum regenerandarum incidamus Animarum.

85. Quæres II. Quid faciendum sit in casu, quo licet doceri minimè possit, Baptismum collatum esse, nemo tamen oppositum potest demonstrare?

86. Resp. Inter Fideles, qui omni cura satagunt Infantes baptizari, nec adulti permittuntur diu absque Baptismo persistere, quoniam pro Baptismi existentia militat præsumptio, iterari Baptismum non posse, donec certissimis argumentis oppositum probetur, ex Innoc. III. *De Presbytero non baptizato* Cap. *Veniens*. Si verò casus inter Infideles contingat, cum Baptismi præsumptio desit, etsi oppositum probari non possit, utique conferri debet, ne scrupulosa nimium de iteratione Baptismi solicitudo Animæ infantis non regenerati officiat: In his enim casibus, ut inquit Leo Mag. Epist. 92. *Quod non ostenditur gestum, non finit, ut videatur iteratum.*

87. Quæres III. Quale dubium esse debeat, ut saltem sub conditione Baptismus iteretur?

88. Resp. Dubium tale requiri, ut omni adhibita diligentia, vinci non possit: tunc enim absque ullo peccato saltem sub conditione repeti potest. Hinc Innoc. III. Cap. *Veniens*, inquit: *Non intelligitur iteratum, quod ambigitur esse factum, nec malè de Sacramento sentitur, cum illud non Religionis contemptus, sed Articulus necessitatis excludit.* Cæterum, urgente necessitate, apposita conditio tollit maculam sacrilegii: ac proinde imminente parvuli morte, non ita de iteratione laborandum est: hæc quippe tollitur, apposita conditione, aliunde vero parvuli æternæ saluti providetur, in tali casu graviter periclitanti.

SE-

SECTIO TERTIA

An validus, ac licitus sit Baptismus, in quo sicuti ter mersio, ita ter quoque forma repeteretur?

89. SUppono hic trinam mersionem in Baptismate non esse absolute necessariam, sicuti neque unam præcisè. Ecclesia quippe variis temporibus, modò unam, modò trinam adhibuit: ut enim optimè Mag. Gregor. ad Sanctum Leandrum Hispalensem Archiepiscopum lib. 1. Reg. epist. 41. *In una Fide nihil officit Sanctæ Ecclesiæ consuetudo diversa*, dummodo substantia servetur, quod quidem sivè in una, sive in trina mersione custoditur, cum vera utraque sit ablutio à Christo Domino pro Baptismatis materia proxima instituta.

90. Porrò Armeni trinæ mersionis morem retinentes, juxta numerum mersionum, etiam formæ prolationem multiplicant, itaut in singulis mersionibus verba quoque proferant integræ formæ. Videndum est, an hujusmodi consuetudo possit sustineri?

ARTICULUS PRIMUS

Dicendum est juxta numerum mersionum formam iterari non posse; adeoquè Baptismum ità repetitum esse invalidum.

91. PRob. breviter: Baptismus semel ritè collatus, neque licitè, neque validè iterari potest, uti ex Divinis Scripturis ad Ephes.4. 5. Ad Hæb.10.23. ad Rom.6. 5., & perenni Ecclesiæ traditione, Patrumque una-

 nimi

nimi consensu, àc Floren. In Instruc. Armen. & Triden. sess. 7. Cap. 9. instruimur: in Baptismate enim Deo renascimur: sicuti autem duplex non datur nativitas carnalis in Adam, ita nec duplex nativitas spiritualis in Christo. Si autem ter in Baptismo, juxta trinam mersionem forma repeteretur, Baptismus iteraretur; ergò hæc replicatio formæ efficit Baptismum, nedum illicitum, sed invalidum. Prob. min. nam per primam mersionem, & formam prolatam perfectus habetur Baptismus; Sacramentum enim completur ex materia, & forma, ex Floren. hæc autem habetur in prima mersione, verbis à ministro prolatis; ergò in prima mersione habetur perfectus Baptismus; igitur iteratur in secunda, & tertia mersione; ergò illicitè, & invalidè.

92. Neque reponatur deesse Ministri intentionem, quæ non refertur ad primam, sed ad tertiam mersionem, & prolationem verborum. Hoc enim gratis dicitur, cum Minister in omni mersione baptizare intendat, & propterea verba formæ proferat: nec adest ratio, cur intentionem ad tertiam potiùs referat, quam ad primam ablutionem.

93. Si tamen Minister solummodo in tertia mersione verè baptizare intenderet, utique sola tertia mersio cum verbis formæ Sacramentum esset, dum mersionibus antecedentibus deesset intentio, quam Florentinum ibidem ad Sacramenti validitatem requirit: at peccaret gravissimè Sacerdos, ac Irregularitatem mereretur, de Apost. Cap. *ex Litterarum*, cum instar sacrilegii rebaptizatio semper in Ecclesia fuerit habita, de Consec. Dist. 4.

ARTICULUS SECUNDUS

Solvuntur Objectiones.

94. OBji. I. Non minus ad confectionem Sacramenti materia proxima, quam forma requiritur: est autem licitum trina mersione Baptismum conficere; ergò etiam ter formam proferre.

95. Resp. Falsam esse majorem: Quamvis enim utraque necessariò requiratur, Forma tamen est magis necessaria, utpotè completiva, & ultimo constitutiva compositi moralis Sacramentalis: sicut enim in physicis, ita etiam in moralibus Forma est illa, quæ sicuti dat ultimum esse, ita præbet esse specificum Composito, illudque à quocumque alio distinguit, utpotè materiæ determinativa ex se ad plura indifferentis: non ergò ex trina ablutione, trina quoque formæ repetitio in Baptismo argui potest.

96. Obji. II. In Extrema Unctione ad multiplicationem unctionum forma quoque repetitur; ex Floren. in Instruc. Armen. §. *Quintum Sacramentum*, & tamen unicum est Sacramentum; ergò etiam idipsum in Baptismate contingit, etiamsi forma repetatur: nec apparet ratio cur ungi possint plura membra, cum formæ repetitione, non possint quoque ablui eadem repetitâ formâ.

97. Resp. Conc. ant., & neg. conseq. nam Extrema Unctio est unum Sacramentum unitatè integritatis, non indivisibilitatis, uti notat eleganter Doct. Subtil. 4. Dist. 23. Quæst. unic. ad secundum: cujus argumentum est, formam verbis diversis proferri in unctione unius mem-

 bri,

bri, ac in unctione alterius, ex Ritual. Rom. Hoc autem adeo verum est, ut, si contingat, ob membrorum defectum, vel angustiam temporis, non omnia membra ungi, adhuc tamen formas omnes diversas, quæ in cæterorum membrorum unctione recitantur, ut Sacramenti effectus integer habeatur; proferri à Ministro oportere, ex Ponc. nost. Cur. Theol. Disp. 47. Quæst. 2. Hoc quippè Sacramentum fit per modum remedii purgativi, non regenerativi: Baptismus autem Sacramentum est per modum regenerativi, ac nativitatis spiritualis, & proindè indivisibiliter effectum suum confert; adeoque formâ, & materiâ membro alicui principali applicatâ, perfectum, & integrum fit Sacramentum.

98. Objl. III. Juxta Sanctum Thomam 3. Par. Quæst. 66. art. 8. ad tertium: Ita intentio Ministri ad Baptismi validitatem requiritur, ut ex illa unitas Baptismi desumatur: at ex eo quia in trina mersione Minister unum solummodò Baptisma intendit, unum tantummodò confertur Baptisma; ergò etiam si pluribus vicibus forma repetatur, si unum intendatur Baptisma, unicum erit Baptisma.

99. Resp. Conc. maj., & dist. min. ex eo quia præcisè intenditur, neg. min. ex eo quia ad unitatem Baptismatis indifferens est una, vel trina mersio, conc. min., & neg. conseq. Itaque intentio potest quidem efficere, ut si una tantum mersio fiat, cum forma proportionata unum fiat Sacramentum: at non potest efficere, quod si fiant tres mersiones, additâ ad singulas formâ, trina fiant Sacramenta, sed unum tantummodo, nempe in prima mersione, cui forma applicatur; cæteræ enim subsequentes cum forma repetita, Sacramenta non sunt, sed

sacri-

facrilegia, una enim tantùm fit nativitas Spiritualis, non plures, uti una est tantùm nativitas carnalis.

SECTIO QUARTA

An forma, qua Latini utuntur in Baptismate conferendo, legitima sit?

100. Latini Baptismum Conferentes hac forma utuntur: *Ego te Baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Orientales autem hac alia: *Baptizetur servus Christi in Nomine &c.* Armeni formam Latinorum reprehendunt, ac uti illegitimam proscindunt, eo quia Persona Baptizantis exprimitur dicendo: *Ego te Baptizo.* Ita Vartan. in monit. ad Armen. Cap. 2. Gregor. Dittavien. in lib. Interrog. Trac. 24. n. 29. Videndum an justè?

ARTICULUS PRIMUS

Dicendum est, Formam, qua Latini in Baptismate conferendo utuntur, esse legitimam.

101. Ostenditur ex Scripturis: nam Matth. 28. 19., ubi Baptismi promulgatio habetur, & institutio insinuatur, dicitur: *Docete omnes Gentes, baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Hic denotantur Baptizandi, & Baptizaturi: passio Baptizandorum, & actio Baptizantium, quarum utraque de necessitate exprimenda est: at Armeni non putant inutilia illa verba: *Baptizetur servus Christi,* quibus exprimitur passio Baptizatorum; ergò nec inutilia, aut illegitima censenda sunt ista alia: *Ego te Baptizo,* deno-

tantia actionem Baptizantis; in neutrà enim effectus Ministro adscribitur principaliter, sed Trinitati, cum in utraque forma dicatur: *In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; & sicut minimè condemnant Absolutionem Pœnitentialem, in qua dicit Sacerdos: *Ego te absolvo*, cur damnare debent formam Baptismalem, in qua dicitur; *Ego te Baptizo*? Ergò &c.

102. Deinde ad Corinth. 1. cap. 1. 14. 15. 16. asserit Apostolus: *Gratias ago Deo meo, quod neminem vestrum baptizavi, nisi Crispum, & Cajum, ne quis dicat, quod in nomine meo baptizati estis: Baptizavi & Stephanæ Domum: Cæterùm nescio, si quem alium baptizaverim.* Si autem in forma Baptismi nomen Baptizantis minimè in prima Persona fuisset expressum, nullam Corinthii causam ob Baptisma à Paulo receptum habuissent, eo quia in tertia Persona collatus fuisset solis Trinitatis Personis expressis; ergò Apostoli nomen primæ Personæ in conferendo Baptismo adhibebant; ergò nec peccant Latini eumdem morem servantes ex ipsissimet Scripturis.

ARTICULUS SECUNDUS

Idipsum ex Doctrina Ecclesiæ, & ratione suadetur.

103. CONcilium Floren. Oecumen. ex Latinis, & Græcis Patribus compactum in Bulla unionis, cui Armeni quoque assensum præbuerunt, utramque formam legitimam pronunciavit, rationem optimam afferens; quia nimirum: *Cum principalis Causa, ex qua Baptismus virtutem habet, sit Trinitas Sancta; instrumentalis autem sit Minister, qui tra-*

dit

dit exteriùs Sacramentum, si exprimitur actus, qui per ipsum Ministrum exercetur, cum Sanctæ Trinitatis invocatione, perficitur Sacramentum: In forma autem Latina exprimitur meliùs, & clariùs, quam in Armena, & Græca cum ad primam Personam Ministrantis dirigatur. Idipsum ex Later. IV., cui Orientales Patriarchæ mediatè, vel immediatè assensum præbuerunt, & adstiterunt, ex Abb. Uspergensi, in Cronic. ad an. Christi 1215., & Mat. Paris. ad an. 1213. ubi damnantur Græci Latinos rebaptizantes; eo quia in forma exprimeretur prima Persona Ministri baptizantis; ergò sicuti bona est ex istis Conciliis forma Græcorum, & Armenorum, ita æquè bona est forma Latinorum.

104. Et ratio ipsa suffragatur: tumquia forma, qua Latini utuntur, ab ipsismet Apostolis perenni traditione accepta est: hinc D. Thom. 3. Part. Quæst. 66. art. 1. ad Primum putat, Patres Græcos primam Personam Ministri in forma non exprimentes ab usu antiquissimo Ecclesiæ recessisse: tumquia intentio Christi institutoris æquè benè, imò meliùs servatur in forma Latina, in qua exprimitur actio Ministri, Matth. 28. insinuata, quam in Græca, aut Armena: tumquia forma practica, qualis esse debet Sacramentalis, æquè benè, imò meliùs exprimitur in forma Latina, ac in Græca, & Armena: tumquia intentio Ministri faciendi, quod facit Ecclesia, & voluit Christus, ad validitatem Sacramenti necessario requisita, meliùs in Latina forma innotescit, in qua Ministri actio in prima Persona exprimitur, quam in Græca, & Armena, implicitè tantum eam denotante, cum dicitur: *Baptizetur Servus Christi*; ergò forma Latina nullo pacto ut illegitima reprehendi potest.

AR-

ARTICULUS TERTIUS

Solvuntur Objectiones.

105. OBji.I. Ex hoc, quod Christus Dominus Matth.28. jusserit, à Ministris Baptismum perfici, & quidem in Nomine Divinarum Personarum, non arguitur, formam, qua perficitur, esse debere: *Ego te Baptizo in Nomine &c.* ergò male asseritur, in forma exprimi debere actionem Ministri. Conseq. patet, nam Mar. ult. 18. dicitur de Apostolis: *In nomine meo Dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent*; nec tamen in eorum executione dicere oportuit: *Ego Dæmonia ejicio, serpentes tollo*; ergò similiter in Baptismi collatione dici non debet: *Ego te Baptizo.*

106. Resp. Ad futile hoc argumentum, cui Græci quoque, & Armeni satisfacere debent, cum in ejectione Dæmonum, aut Infirmorum sanatione non dicerent Apostoli: *Liberetur Servus Christi à Dæmonibus, vel sanetur ab infirmitate*: conc. ant., & neg. conseq. Nam sanatio Infirmorum, & cætera alia à Marco recensita non erant opus Sacramentale, & ideo verba determinata minimè requirebant: verba autem formæ Baptismalis sunt effectiva Sacramenti ex opere operato; & ideo explicitè, vel saltem implicitè actionem Ministri exprimere debent: quod fit verbis illis Latinæ formæ: *Ego te Baptizo*: implicitè in forma Græca: *Baptizetur Servus Christi.*

107. Obji.II. Verba illa: *Ego te Baptizo*; sunt supervacanea; ergò forma Latina est illegitima. Conseq. patet, nihil enim in collatione

Sa-

Sacramentorum superfluere debet, sicuti nec deesse. Ant. autem patet: nam Latini concedunt formam Græcam, aut Armenam, in qua omittitur: *Ego te Baptizo*, esse legitimam; ergò verba illa, *Ego te Baptizo* superfluunt.

108. Resp. Admiss. ant., quod falsissimum est, adhuc neg. conseq. nam diminutio tollit substantiam Sacramenti, non verò superfluitas: sicuti ergò, licet superfluat in forma Græca, & Armena ly *Servus Christi*, cum præberi posset in secunda Persona, dicendo: *Baptizare*, vel in tertia, dicendo: *Hic sit Baptizatus*, adhuc permittitur ut legitima; ita reprehendi non debet forma Latina, in qua dicitur: *Ego te Baptizo*. Cæterum assumptio falsa est: etsi enim explicita positio primæ Personæ Ministri in forma non sit omninò necessaria, est tamen congrua, atque ad explicandum baptizantis ministerium opportuna, adeoque reprehendi nequaquam meretur.

109. Obji. III. Fundamentum præcipuum Adversariorum: Apponendo in Forma Baptismi primam Personam Ministrantis, ex vi sermonis datur intelligi, ipsum esse Causam principalem Baptismi: hoc autem magnum incommodum est; nam datur ansa Baptizatis beneficium regenerationis non in Christum præcipuum Authorem, sed in Ministrum ipsum refundendi, quod quidem magnum absurdum est, & multarum seditionum origo, uti Paulus insinuat, 1. Cor. 1. 12. ergò malè a Latinis in forma Baptismi ponitur prima Persona Ministri dicentis: *Ego te Baptizo*.

110. Resp. neg. maj. Quandoquidem apponendo verba: *In Nomine Patris, & Filii; & Spiritus Sancti*: satis datur intelligi, regenerationem spiritualem, quæ in Baptismate

præ-

præbetur, Deo veluti Causæ principali; Ministro autem veluti tantummodo instrumentali tribui oportere: quare Schisma, vel Seditio non magis ex forma Latina, quam ex Armena, vel Græca oriri potest: nam etiam in ista implicitè ministerium baptizantis exprimitur; proculdubio enim compertum est, neminem à seipso posse baptizari. Quod ergò Patres Græci, ut seditionibus occurrerent, Personam Baptizantis censuerint omitti, quæ virtualiter in tertia Persona passivè exprimebatur, infirmitati Fidelium consulentes benè egerunt: at non sunt Latini reprehendendi, qui Apostolicę inhærentes Traditioni antiquissimam formam retinuerunt, hujusmodi scandala, seditionesque in suis Fidelibus minimè formidantes, qui numquam à Patribus Græcis fuere reprehensi, etsi nomen Baptizantis in prima Persona reticerent.

SECTIO QUINTA

An Baptismus à quolibet ministrari queat?

III. Certum est, ordinarium Baptismi Ministrum non esse quemlibet, sed Sacerdotem esse oportere, & quidem Jerarchico Ordine servato, uti optimè Mag. Leo animadvertit *Epist.*88. ad Germaniæ, & Galliæ Episcopos; sed difficultas est, an validè à quovis etiam Laico, aut Fœmina ministrari possit? Armenorum Magistri negativam: Catholici affirmativam sententiam tuentur.

ARTICULUS PRIMUS

Dicendum est, Baptismum à quocumque etiam Laico, aut Fœmina collatum, si necessaria ponantur, esse validum.

112. PRob. ex Sacris Scripturis: Nam Circumcisio, quæ in Veteri Testamento Baptismum figurabat, & Originale delebat, ex Gregor. Mag. 4. Moral. cap. 2. Innocen. III. Cap. *Majores* de Baptismo, ex August. lib. 4. de Baptismo cap. 24. à Mulieribus quoque fuit ministrata: Nam Exod. 4. 25. Sephora Moysis Uxor Filium suum circumcidit: hoc autem Domino placuisse, patet; per illam enim Moyses à vitæ discrimine fuit ereptus, qui ob ejusdem omissionem occidi à Deo periclitatus est. Item 2. Mach. 6. 10. vigente Antiochi Gentilis adversus Judæos Fideles persecutione, duæ Mulieres delatæ sunt infantes suos circumcidisse, & propterea, iisdem ad ubera suspensis, per mænia præcepitatas; igitur licebat tunc Fœminis circumcidere; ergò multo fortiùs nunc licet baptizare.

113. Ex novo Testamento habemus, Baptismum non semper à Sacerdotibus collatum: Philippus Diaconus utique Sacerdos non erat, & tamen Act. 8. 12. 18. baptizabat: Paulus Apostolus recenter ad Christum conversus, ab Anania simplici Discipulo, nec Sacris adhuc initiato, salutaribus aquis fuit regeneratus, Act. 9. 18. Vivente quoque Christo, Discipuli ejus Baptismum conferebant; nec sanè ullo Ordine fulgebant, non adhuc instituto; igitur ex Scripturis etiàm Laici baptizare validè possunt, urgente necessitate.

AR-

ARTICULUS SECUNDUS

Idipsum ex Ecclesiæ Decretis, ac Patribus ostenditur.

114. Eliberitina Synodus antiquissima, Nicænum quippè primum præcessit, cap.38. docet, Fideles quoque Laicos posse baptizare, cum Ecclesia procul abest, & Cathecumenus est morti proximus. Lateran. IV. Oecumen., cui per se, vel per Legatos adstiterunt quoque Orientales cap.1. *Sacramentum Baptismi*, ait, *quod ad invocationem individuæ Trinitatis, videlicet Patris, & Filii & Spiritus Sancti, consecratur in aqua, tam parvulis, quam adultis in forma Ecclesiæ à quocumque ritè collatum proficit ad salutem*. Floren. in Istruct. Armen. §. *Primum omnium: Minister hujus Sacramenti est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare: In casu autem necessitatis non solum Sacerdos, vel Diaconus, sed etiam Laicus, & Mulier, imò etiam Paganus, & Hæreticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiæ, & facere intendat, quod facit Ecclesia*. Huic Doctrinæ concinunt Gelas. Papa ad Episc.Lucan. & Brut. cap.9. & Urban.II. Epist. ad Vit. quibus Baptismus à Laicis, & Fœminis collatus approbatur.

115. Idem Dogma Patres tradunt, Tertullian. secundi Sæculi Author. lib. de Baptis. cap.17. cum dixisset, jus baptizandi in Sacerdotibus ratione gradus esse, subdit: *Quo salvo, salva pax est, alioquin etiam Laicis jus est; quod enim ex æquo accipitur, exequo datur*. Hieron. Dial. adver. Luciferian. idipsum dicit de jure Sacerdotum, & subdit: *Si tamen necessitas*

cessitas cogat, scimus, etiam Laicis licere. Idipsum docet August. ad Fortunat. Isidor. Hispal. de Offic. Ecclesiast. lib.2. cap.24., aliique quamplures, cum sit communis opinio; ergò ex Decretis Ecclesiæ, & sensu Patrum, etiam Laici validè baptizant.

ARTICULUS TERTIUS

Adducitur quoque Ratio.

116.I. QUia ex D.Thoma 3.Par. Quæst.67. art. 3. & 4. in corp. Sacramentum Baptismi est omnibus necessarium, & commune, ut omnibus indigentibus subveniatur; ergò etiam Laici baptizare possunt, cum sæpè contingat, Ministros Ecclesiæ procul abesse.

117. II. Ob summam hujus Sacramenti necessitatem, ejus materia est omnibus communis, & obvia, nempe aqua elementaris; ergò etiam Minister in casu necessitatis debet esse communis; ergò extenditur etiam ad Laicos, & Mulieres.

118. III. Ex D. Bonav. 4. Dist. 5. art. 1. Quæst.1. in corpor. Baptismus est regeneratio spiritualis; ergò à quocumque in casu necessitatis ministrari potest, sicut cuicumque generatio competit activa carnalis. Nec Fœminæ repelli debent: in Christo enim non distinguuntur à Viris, Apostolo dicente ad Gal.3.27.28. 29. *Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis: Non est Judæus, neque Græcus, non est servus, neque liber: non est masculus, neque fœmina: omnes enim unum estis in Christo Jesu.*

AR-

ARTICULUS QUARTUS

Solvuntur Objectiones.

119. OBji.I. Sicuti Matth. ult. 19., dum dicitur; *Docete omnes Gentes baptizantes eos &c.* Baptizare, & docere solis Apostolis præcipitur; ita etiam remittere peccata eisdem reservatur, Joan. 21. 23. dum dicitur: *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*: sed remittere peccata ita competit Apostolis, & eorum Successoribus, ut etiam in casu necessitatis, qui Sacerdotes non sunt validè peccata remittere non possunt; ergò etiam qui Sacerdotes non sunt, nequeunt validè baptizare.

120. Resp. majorem esse veram de publico, & solemni Baptismo, quoties nulla cogit necessitas, cujus collatio ad solos Presbyteros, & de eorum commissione ad cæteros pertinet Sacerdotes, non verò de privato, qui potest à quocumque conferri.

121. Nec valet paritas de Sacramento Pœnitentiæ: illud enim confertur per modum Judicii; propterea, & validè, & licitè solis committitur Sacerdotibus jurisdictione pollentibus: Baptismus autem per modum regenerationis confertur; sicut autem ad Judices temporales minimè restringitur generatio carnalis, etsi leges ferre possint circa modum generationis: ita etiam in generatione Spirituali etsi Sacerdotes, ut publicos Ministros præferri oporteat; attamen alii minimè excluduntur, dum solemniter non fit, & necessitas cogit. Et sicuti Homines simplices magisterium publicum nequaquam exercentes, privatim instruere possunt, etsi

etsi publicum magisterium Sacerdotibus competat, cur non etiam privatim baptizare, necessitate compellente?

122. Obji.II. Baptizare est actus jurisdictionis, quo quis Cœtui Christianorum adscribitur; ergò soli Sacerdotes, & Episcopi baptizare validè possunt, cum ipsi soli in Ecclesia jurisdictione gaudeant.

123. Resp. neg. ant., in rigore loquendo: nam sicut in carnalibus generare non est opus jurisdictionis, sed naturæ, ita in spiritualibus regenerare: in tantum verò baptizare solemniter ad solos Prælatos pertinet, quia, cum Baptizati in Ecclesiæ potestatem deveniant, cui subditi fiunt, agnosci ut oves à Pastoribus debent, ac in ovile publicè introduci, etsi aliundè ingredi queant. Cæterùm Apostolorum proprium non est baptizare, dicente Apost. 1. Cor. 1. 17. *Non misit me Christus baptizare, sed Evangelizare*. Quare si quis Laicus citra necessitatem baptizat, peccat quidem, quia alterius officio se immiscet, validè tamen facit, ut optimè Mag. August. lib. 2. con. Epist. Parmen. cap. 13.

124. Obji.III. Eucharistia ita necessaria est ad Vitam spiritualem sustentandàm, sicut Baptismus ad eam primo producendam; sicut enim Joàn. 3. 5. dicitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*: sic etiam Joan. 6. 54. habetur: *Nisi manducaveritis Carnem Filii Hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, & tamen Eucharistia à solis Sacerdotibus confici potest; ergò etiam Baptismus à solis Sacerdotibus, cum in institutione de iisdem solis fiat mentio, sicuti etiam in institutione Eucharistiæ.

125. Cons.

125. Conf. Non obstante quacumque necessitate, sola aqua naturalis in Baptismo pro materia adhiberi potest, cum de ea sola in institutione fiat mentio; ergò non obstante quacumque necessitate, soli Apostoli, & eorum Successores baptizare possunt, cum in institutione Baptismi ipsi soli pro ministerio commemorentur.

126. Resp. neg. maj. Nam ad Vitam inducendam spiritualem in nondum regeneratis unicè Baptismus est necessarius, ut Fideles Christo nascantur: ad Vitam autem tuendam spiritualem, non sola datur Eucharistia, sed etiam alii cibi spirituales, sicuti nec ad vitam corporalem tuendam unicè panis est necessarius, etsi præcipuus, & quotidianus cibus sit. Vita quoque spiritualis conservari aliquo tempore potest absque cibo spirituali, sicuti carnalis absque cibo carnali; hinc videmus, ab Ecclesia quotidianam Eucharistiæ sumptionem minimè præscribi, neque etiam in omnibus permitti: Joan. autem 6. cum Eucharistiæ perceptio adultis præcipiatur, satis innuitur, eam requiriri quidem ad salutem, sed necessitate tantùm præcepti, non medii.

127. Ad Conf. neg. conseq. major enim Ministri necessitas est materiam applicantis, & determinantis, quam aquæ: quia tamen aqua materia est communis, & omnibus obvia, quemadmodum ex ejus universalitate Baptismi extensio ad omnes colligitur, ita deducitur quoque, Ministros esse debere communes, quotiescumque necessitas urgeat: quare loca adducta Scripturæ de solemni, non autem privato Baptismo intelligenda sunt.

CA-

CAPUT II.

De Sacramento Confirmationis.

128. POst Baptismum, sequitur ordine Confirmatio, seù Chrismatio, ut vulgò appellatur, de qua in præsenti sermo instituitur: hìc enim non minus, quam in cæteris, Orientales à veritate aberrant: & propterea de ipsa differendum est.

SECTIO PRIMA

An Chrismatio sit de Baptismi essentia?

129. CHrismatis nomine venit I. Quod in consecratione aquæ Baptismalis ter Crucis specie Sabbato Paschæ, & Pentecostes infunditur. II. Oleum benedictum Cathecumenorum, quo baptizandus à Ministro in scapulis, & pectore ungi solet. III. Oleum, quo baptizatus in vertice capitis ungitur. IV. Illud, quo baptizati frons ab Episcopo ungitur. Armeni ex Guido Carmel. de Hæres. V. *Armeni*, & Simeone Thessalon. apud Arcud. lib. 1. de Sacram. cap. 13. Chrismatis unctionem de substantia putant Baptismi. Videndum est an rectè Armeni in hoc sentiant?



AR-

ARTICULUS PRIMUS

Dicendum est Chrismatis unctionem ad Baptismi validitatem minimè esse necessariam.

130. PAtet ex Scripturis: quia nullibi de Unctione, ubi Baptismus, aut ejusdem necessitas commemoratur, ulla fit mentio, sed ablutionis solummodo, & aquæ, ut constat Joan. 3. 5. Ad Ephes. 5. 27. Ad Titum 3. 5. Matth. ult. 19. Marci 16. 16. 1. Petri 3. 21. nec Apostoli, aut eorum Discipuli alia materia usi sunt, Act. 8. 38., & Act. 10. 48.; ergò Chrismatio quæcumque illa sit, nullo pacto ad substantiam, & essentiam pertinet Baptismi; ubi enim Scriptura Unctionem vult adhiberi, eam exprimit, ut de Extrema Unctione constat, cujus unctiones, Jacobi 5. 14. 15. demonstrantur.

131. Idipsum docent Oecumenica Concilia, quæ solam aquam, non autem Chrisma pro materia Baptismi assignant, ut Lateran. IV. Cap. *Firmiter*, & Floren. in Instruc. Armen. §. *Primum*, Unctionem verò Chrismatis pro Confirmationis Sacramento conferendo, & Oleum simplex pro Extrema Unctione; ergò censent ad Baptismatis substantiam nec Chrismate, nec unctione opus esse.

132. Praxis ipsa Ecclesiæ idipsum docet, cui non assentiri, insolentissima est insania, juxta Mag. August. de Baptis. lib. 4. cap. 4. numquam eos, qui purâ aquâ citra ullam unctionem fuere regenerati, denuo baptizantis.

133. Ratio autem est manifesta: nam si Chrisma de necessitate Sacramenti ad Baptismum

mum requireretur, Baptismus, & Confirmatio non duo, sed unum essent Sacramentum, cum eadem esset materia, & forma: hoc autem absurdum est, etiam secundum Armenos, qui Baptismum à Confirmatione distinguunt: hinc immediatè post ablutionem, & ante omnem unctionem Chrismate confectam Minister Armenus hæc verba profert: *Christi Sanguine redemptus, & à peccati subjectione liberatus es, in Filium Patris Cœlestis adoptatus, & hæres Christi factus, & Templum Spiritus Sancti*; quod profectò falsum esset, si Baptismi essentia in Unctione quoque Chrismatis sita esset; ergò Chrismatis Unctio, quæcunque illa sit, nequaquam ad Baptismatis substantiam pertinet, etsi ritus sit antiquissimus ab Ecclesiæ primordiis introductus, cujus meminerunt Basil. de Spirit. Sanc. cap.27. Cyril. Jerosol. Catec. Mystag.2. Nazianz. orat.40. de Sac. Baptis. Chrysost. Hom.6. in cap.2. Epist. ad Colos.

ARTICULUS SECUNDUS

Solvuntur Objecta.

134. OBji.I. In eo consistit Baptisma, per quod Baptizatus recipit Spiritum Sanctum, ex Joan.3. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*: at recipit Spiritum Sanctum per Unctionem Chrismatis, ex Act.8. 17. ubi de Apostolis confirmantibus dicitur: *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum*: in impositione autem manuum Unctio chrismativa includitur; ergò in Unctione consistit essentia Baptismi.

135. Resp. conc. maj. & dist. min. Spiritus

Sanctus eo modo, quo recipitur in Baptismo conc. min. alio modo, neg. min. & conseq. Itaque Spiritus Sanctus in omnibus Sacramentis recipitur, sed diversimodè: in Baptismo per modum regenerationis spiritualis, in Confirmatione per modum roborativi, in Eucharistia per modum cibi: dicitur autem speciali ratione in Confirmatione Spiritus Sanctus dari, quia in primitiva Ecclesia pro Fidei confirmatione visibilibus signis super Confirmatos apparebat, quo persusi linguis loquebantur, & prophetabant, & signa faciebant: hinc Simon Magus Spiritum Sanctum ab Apostolis, oblatâ pecuniâ, postulavit, Act. 8. 19. quo sensu Scripturæ adductæ sunt explicandæ.

136. Obji. II. Patres asserunt, Baptismum Confirmatione compleri, ac perfici, ut Ambros. lib. 3. de Sacram. cap. 2. Cyril. Jerosol. Cathec. 3., & 4. Cyprian. lib. 1. Epist. 2. & alii; ergò Baptismus consistit in Unctione chrismativa, quæ fit in Confirmatione: si enim, illâ non indigeret, adhuc esset completum, & perfectum.

137. Resp. neg. conseq. Patres enim allati, & alii, quicumque adduci possunt, ideo dicunt, Baptismum unctione confirmativa perfici, & compleri, non quia ad ejusdem essentiam pertineat, cum apertè Baptismum integrum, & perfectum à Confirmatione distinguant, & asserant omnium esse januam Sacramentorum; sed quia Christifideles, cum in Baptismo Christi milites fiant, pro ejusdem, confessione pugnaturi, utique robore indigent, ut Fidem, quam professi sunt, publicè confiteri non vereantur: quod robur præcipuum, ac speciale à Baptismate non tribuitur, à quo tantummodo regenerantur, ut optimè Mel

chiad.

chiad. Papa ad Hispaniæ Episcopos scribens, ait: *Spiritus Sanctus, qui super aquas Baptismi salutifero descendit lapsu, in Fonte plenitunem tribuit ad innocentiam: in Confirmatione augumentum præstat ad Gratiam: in Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum confirmamur ad pugnam: in Baptismo abluimur, post Baptismum roboramur.*

138. Obji. III. In primitiva Ecclesia confirmatio simul cum Baptismo dabatur, ab eaque videbatur inseparabilis, ut innuit Melchiades Papa cit. Epist. ad Episcop. Hispan.; ergò Baptismus in Unctione confirmativa situs est, alioquin hujusmodi inseparabilitas intelligi non potest.

139. Resp. neg. conseq. Nam etiam Eucharistia in primitiva Ecclesia statim post Baptisma dabatur, cum tamen ab eo veluti diversum Sacramentum omninò distinguatur; solummodo enim sequitur hoc, quod cuicumque Sacramento, veluti janua, præsupponitur. Confirmatio igitur, & Eucharistia quoque cum Baptismo conferebatur in Ecclesia primitiva, quia, cum urgeret Tyrannorum persecutio, Fideles omni remedio, quod ex Confirmatione in ratione roboris, ex Eucharistia in ratione cibi, & potus haberi poterat, muniri oportebat, ut hoc pacto alacriùs, & firmiùs in agone persisterent: at hujusmodi conjunctio eorum Sacramentorum cum Baptismo identitatem non evincit, sed meram præsuppositionem, & hoc tantùm vult Melchiades citatos in Decret.

140. Obji. IV. Baptizatus fit miles Christi, cum Diabolo, & hostibus Christi, & Ecclesiæ pugnaturus; ad hanc enim pugnam subeundam ex ipsamet militia obstringitur; ergò in Bapti-

ſmate includitur Unctio confirmativa. Conſeq. patet: nam ex quo fit miles, eodem ſigno viſibili, quo Chriſto naſcitur, etiam vires accipere debet ad pugnandum adverſus Fidei hoſtes, ſicut in Matrimonio accipiuntur ad ejus onera ſuſtinenda, & in ſacra Ordinatione ad Ordines ritè exercendos: iſtæ autem vires dantur in ſacra Unctione confirmativa; ergò hæc in Baptiſmo includitur veluti pars intrinſeca.

141. Reſp.I. neg. ant., nam in Baptiſmo præcisè loquendo non fit miles, ſed ſolummodo Eccleſiæ, ac Chriſto naſcitur Homo, ſicuti etiam nemo carnali generatione naſcitur miles, ſed fit, quando militiæ adſcribitur; vel ſi militiæ Chriſti adſcribatur, communi quadam ratione contingit, quatenus adverſus Mundi illecebras, ac Dæmonis tentationes pugnare debet.

142. Reſp.II. neg. conſeq. ad cujus probat. dico, ad militandum adverſus Tyrannos dari quidem in Baptiſmo vires ſufficientes, non tamen uberes, ac ſuperabundantes, quæ in Confirmatione ſuppeditantur, ut audacter coram Tyrannis Fidem confiteri non timeamus, idcircò Sacramento diverſo tribui debuerunt. Vires itaque accipimus in Baptiſmo, ut cum Fidei inimicis luctemur, ſed nativitati ſpirituali congruentes: ut enim pulcherrimè D.Thom. Par.3. Quæſt.72. art. 1. alia eſt actio Hominis recenter nati, alia ejuſdem, cum ad virilem ætatem pervenerit. Vires autem fortiores, quæ viro competunt, in Confirmatione tribuuntur.

143. Quod autem in Ordinatione, & Matrimonio vires congruæ ſtatibus illis accipiantur, hoc evenit, quia ſtatim poſt Sacramentum, actio-

actiones sibi competentes exerceri debent, quod non convenit baptizato Infanti, qui non illicò, sed data tantum opportunitate, cum inimicis Fidei congressurus est.

SECTIO SECUNDA

In quanam actione consistat Confirmatio, in Unctione scilicet, vel in Chrismatis Confectione?

144. SAcramentum Confirmationis, uti cætera alia, duplicem materiam admittit, remotam scilicet, & proximam. Remota est Oleum Balsamo admixtum, quod Chrisma vocatur, ejusque confectio solis Episcopis reservatur. Proxima verò est Unctio Baptizati in fronte, & apud Orientales in scapulis, & aliis corporis partibus. Oritur nunc difficultas, an Confirmationis essentia in consecratione Chrismatis consistat, vel potiùs in frontis unctione, veluti proxima materia. Vartanus Armenorum Magister cum suis sequacibus apud Dom. à Trinit. Bibliot. Theol. sec. 10. cap. 8. Gabriel Philadel., Nicolaus Cabas., & Marcus Ephesius apud Archud lib. 2. de Confirm. cap. 6. tenent, Sacramentum Confirmationis in consecratione Chrismatis consistere, veluti in proxima materia. Catholici econtra in ipsamet Unctione partium situm esse existimant. Videndum est, cuinam ex his sententiis veritas faveat?



ARTICULUS PRIMUS

Dicendum est, Sacramentum Confirmationis in sacra Unctione consistere, non verò in Chrismatis consecratione.

145. OStenditur breviter: Nam Spiritus Sanctus sub speciali ratione roborativi datur in Unctione, non autem in Chrismatis præparatione, Act. en. 17. & 19. Spiritus Sanctus datus ab Apostolis dicitur advenisse, postquam per manuum impositionem, in qua Unctio includebatur, Confirmationis Sacramentum Baptizatis collatum est, non Chrismatis præparatione; ergò in ea unctione consistit Sacramenti collatio, veluti proxima materia; nam in eò consistit formale Sacramenti, per quod fit signum practicum infusionis Gratiæ Sacramentalis; sic etiam Baptismus in ablutione, non verò in aquæ præparatione, Ordo in unctione, & tactu Instrumentorum, non in eorum præparatione confertur.

146. Idipsum ex Doctrina, & sensu Ecclesiæ habetur, in usu, non in Chrismatis consecratione vim hujus Sacramenti collocantis: Laodicęna enim Synodus antiquissima, Anno quippè Christi 320. sub Silvestro Papa, & Nunechio Phrigiæ Metropolita celebrata, cap. 48. ita pro nobis loquitur: *Oportet eos, qui illuminantur, post Baptisma jungi supercælesti Chrismate, & esse Regni Cœlestis participes.* Et Clemens Rom. Papa lib. 7. Constit. Apòst. cap. 22. docens Episcopos hujus Sacramenti administrationem: *Unges*, inquit, *prius Oleo Sancto, deinde baptizabis aqua, postremò signabis unguento Chrismatis, ut sit Oleum unctionis par-*

participatio Spiritûs; *aqua sit Symbolum mortis, unguentum Chrismatis sigillum passionum*. - Floren. in Instruc. Armenor. §. *Secundum Sacramentum*, asserit, Unctionem impositioni manuum successisse, non unguenti præparationi, inquit enim: *Loco illius manûs impositionis datur in Ecclesia Confirmatio*. Sed ex eodem Spiritus Sanctus post impositionem manuum dabatur, non autem post Chrismatis consecrationem, citat enim c.8. Act. Apost., ubi manuum impositio cum Spiritus Sancti adventu legitur copulata; ergò nunc datur post Unctionem, in qua ex eodem consistit Confirmatio.

147. Nec deest ratio ipsa Theologica: nam alia Sacramenta, preter Eucharistiam, non in materiæ præparatione, sed in ipsamet collatione conficiuntur, ut in Baptismo, & Extrema Unctione animadvertimus; ergò etiam in Confirmatione, cum non sit assignabilis disparitas.

148. II. In eo consistit, & fit Sacramentum, per quod applicatur forma proximæ materiæ, ut in omnibus Sacramentis animadvertimus: at forma Confirmationis non profertur in præparatione Chrismatis, sed in ipsamet Unctione: dum enim illa fit apud Latinos, hæc verba ab Episcopo proferuntur: *Signo te signo Crucis, confirmo te Chrismate salutis*. Apud Armenos verò, ut patet ex ipsorum Rituali, dum frons signatur: *Unguentum suave in Nomine Jesu Christi effusum est super te, signaculum donorum Cœlestium, in Nomine Patris &c.* ergò Sacramentum hoc non in præparatione Chrismatis, sed in Unctione consistit.

149. III. Unctio in fronte fit, dum forma profertur, cum trium Divinarum Personarum invocatione, dicendo: *In Nomine Pa-*

Patris &c. ut ipſamet continet forma Armena, & propterea ab eadem cavetur: *In Unctione tantum primi membri invocandam eſſe Trinitatem*; igitur ſupponunt Armeni, ea Unctione Sacramentum perfici, non Chriſmatis præparatione, quæ verbis determinatis non fit, neque neceſſariò Trinitatis invocationem pro validitate poſtulat.

150. Tandem in aliis Sacramentis præparatio materiæ proximæ non eſt ipſum Sacramentum: ſic Aquæ pro Baptiſmo conficiendo, Chriſmatis pro Epiſcopis, aut Altaribus conſecrandis, ſolemnis Sacratio, à neminè Sacramenta vera, & formalià Baptiſmi, & Ordinis exiſtimantur; ergò etiam conſecratio, ſeù confectio Chriſmatis pro Confirmatione conferenda non eſt ipſummet Sacramentum Confirmationis, ſed ejuſdem ſolummodo præambulum; & propterea neque verba determinata pro iiſdem conſecrationibus adhibentur.

ARTICULUS SECUNDUS

Solvuntur Objectiones.

151. OBji. I. In eo conſiſtit eſſentia Sacramenti ejuſdem, actioque Sacramentalis, in quo Miniſtri, prout à Miniſtris cæterorum Sacramentorum ſecernitur, poteſtas exercetur: at hęc exercetur in conſecratione, ac benedictione Chriſmatis, non autem in Unctione; cum conſecratio Chriſmatis à ſolo Epiſcopo haberi poſſit, Unctio autem chriſmativa, vel impoſitio manuum, cui æquipollet, etiam à Preſbyteris, vel aliis Miniſtris fieri queat, ut patet Act. 9. 18. ubi Paulo ad Fidem converſo ab

Ana-

Anania simplici Discipulo, non Apostolo, Spiritus Sanctus datus, narratur, & ex Arausicano I. Can. 1. & 2.; ergò Confirmatio in sola Chrismatis consecratione consistit: hinc in primitiva Ecclesia statim post Baptisma præbebatur, ex Dyonis. Areop. de Ecclesiastic. Hierarc. Par. 3. cap. 4. Constat autem, Baptismum non à solis Episcopis, sed etiam ab inferioribus Ministris conferri.

152. Resp. conc. maj., & neg. min. Potestas enim Episcopi quatenus Confirmationis Minister est, non in confectione Chrismatis, sed in Unctione ipsa confirmativa consistit: nam ejus consecratio pertinet quidem ad solum Episcopum; at non est actio Sacramentalis, quandoquidem ad solum Episcopum etiam Ecclesias, Vasa sacra, Sanctimoniales benedicere, & sacrare pertineat, quæ tamen actiones Sacramentales à nemine censentur: sola Unctio in fronte actio est Chrismativa ad solum pertinens Episcopum, veluti Ordinarium Ministrum, ex Floren. in Instruc. Armen., & Triden. sess. 7. Can. 13.

153. Exemplum Ananiæ ad rem neutiquam facit; illa enim impletio Spiritus Sancti, de qua fit mentio Act. 9. 18., non erat ea, quæ in Confirmationis Sacramento tribuitur; nondum enim Paulus erat baptizatus; sed alia diversa: nempe curativa cæcitatis: vel si erat confirmativa, denotabatur danda tempore suo, cum ibi dicatur: *Ut implearis Spiritu Sancto*, non verò tunc collata.

154. Ad authoritatem Synodi Arausicanæ Primæ dico, Canones illos intelligi vel de Chrismatione in vertice, quæ Baptismalis erat, non confirmativa; vel de reconciliativa, qua tunc temporis Hæretici ad Ecclesiam reduces

admittebantur Chrismate delibuti, ex Arelat. I. cap. 8., non Sacramentali: vel si Sacramentalis erat, hæc à Presbytero fiebat quidem, sed per dispensationem, quod utique licere, docet Floren. in sæpè cit. Instruc. Armen. In primitiva autem Ecclesia Confirmatio statim post Baptismum tribuebatur: at Baptismus solemnis ab Episcopis conferri consueverat; ergò, & confirmatio: hoc autem quid pro Armenis concludit? Baptismus enim privatus etiam sine Confirmatione tribui poterat, uti fit etiam in præsenti.

255. Obji. II. Fabianus Papa Epist. 2. asserit, confectionem Chrismatis esse novum verissimum Sacramentum, & singulis annis conficiendum, à Parochis petendum ex Carthag. IV. Can. 36., & à Subdiaconis solummodo deferendum; ergò confectio Chrismatis est verum Sacramentum Confirmationis; ea quippe reverentia Chrismati non videtur deberi, nisi ratione Sacramenti.

156. Resp. neg. conseq. Vult enim solummodo sanctus ille Pontifex, confectionem Chrismatis esse materiam Sacramenti, & ad alias sacras functiones destinatam, & propterea singulis annis renovandam; & quia sacrum Chrisma talibus usibus est assignatum, magna veneratione, & à solis Ecclesiæ Ministris tractandum; & propterea post ejus confectionem ab Episcopo, & Clericis salutatur dicendo: *Ave Sanctum Chrisma*, eo modo, quo Crux à D. Andrea salutabatur, cum diceret, *Salve Crux pretiosa*, & res quoque aliæ inanimes eodem quoque pacto affectivis verbis afficiuntur.

157. Obji. III. Sacramentum Altaris non consistit in usu, sed in materiæ consecratione, ut


ut conftans eft Catholicorum doctrina: nam confecratione Corpus, & Sanguis Chrifti fub Speciebus panis, & vini introducuntur, non ufu exiftentiam Corporis Chrifti fub fpeciebus fupponente; ergò etiam Confirmatio in confecratione Chrifmatis confiftit. Prob. Confeq. nam quemadmodum per vèrba confecrationis Panis, & Vinum fiunt Corpus, & Sanguis Chrifti: ita unguentum per verba confecrationis fit Chrifma Chrifti; ergò ficuti arguitur tunc fieri Sacramentum Euchariftiæ, ita quoque ex eo quia confecratione unguentum fit Chrifma Chrifti, arguitur tunc fieri Sacramentum Confirmationis.

158. Conf. hoc, ex Cyril. Jerofol. Cathec. miftag. 3. Ubi ait: *Sacrum Unguentum habere poft Confecrationem Spiritum Sanctum*, ficut Panis poft Confecrationem continet Corpus Chrifti, & facit comparationem converfionis Panis in Corpus Chrifti, & Unguenti poft confecrationem in Chrifma Chrifti; fed panis Species poft confecrationem verè continent Corpus Chrifti; ergò facrum Unguentum poft confecrationem continet Spiritum Sanctum; ergò verbis confecrationis in Confirmatione introducitur Spiritus Sanctus, adeoque tunc fit Sacramentum.

159. Refp. ne. Confeq. ad cujus probat. Conc. ant. neg. confeq. nam Panis definit effe in confecratione, atque Corpus Chrifti efficitur, & propterea diftributio ejus non eft Sacramentum, cujus effectus primarius eft Corporis Chrifti introductio, atque permanfio, donec diftribuatur, & fit per modum cibi, & potus: per confecrationem autem Chrifmatis non deftruitur Unguentum, fed aquirit tantummodo effe morale, ut effe poffit Gratiæ in-

ſtrumentum, dum actu Confirmatio perficitur, adeoque confectio Chriſmatis non eſt ipſummet Sacramentum. Unguentum ergò in conſecratione aquirit hoc, ut poſſit eſſe Confirmationis proxima materia, & propterea ſolum Epiſcopum habet Miniſtrum, à quo unicè perfici poteſt.

160. Ad Conf. neg. Conſeq. Cyrillus enim tantummodo vult, quod, ſicuti conſecratione Panis non eſt amplius Panis, ſed Corpus Chriſti, in quod convertitur; ita Unguentum non eſt ampliùs Oleum prophanum, ſed ſacrum, deſerviens ad Confirmationem, quatenus unctione corpus tamquam viſibili ſigno perungitur: *Anima ſancto, vivificoque Spiritu ſanctificatur*; & propterea: *primùm frons illinitur, ut eum abſtergat à vobis pudorem, quem primus Homo tranſgreſſor perpetuò circumferebat, ſimulque efficiat, ut poſſitis vultu non velato Gloriam Domini intueri*: quibus verbis ſatis innuitur, Spiritum Sanctum dari quidem, ſed in unctione, non verò in Chriſmatis confectione; alioquin ſi argumentum convinceret, poſſet dici de Oleo: *Hoc eſt Spiritus Sanctus*, ſicuti poſt conſecrationem dicitur de Pane: *Hoc eſt Corpus meum*; & hoc ſenſu Patres omnes intelligendi ſunt, qui dicunt, Unguentum, poſt conſecrationem Spiritum Sanctum continere; id enim verum eſt effectivè in unctione, non verò formaliter poſt conſecrationem.



SE-

SECTIO TERTIA

Quinam sit Confirmationis Sacramenti Minister?

161. Minister Sacramentorum in duplici versatur differentia. Alius quippe est Ordinarius, qui ex proprio munere, & institutione Sacramentum debet conficere. Extraordinarius ille est, qui non ex proprio munere, sed aliena authoritate Sacramentis se miscet ministrandis; vel si propriâ, non id præstat publicè, & solemniter, sed privatim tantummodo, & in casu necessitatis. Videndum est nunc, quinam sit Confirmationis in utroque sensu Minister? In primo sensu solummodò cum Armenis concertationem habemus, existimantibus, etiam à Sacerdotibus non Episcopis posse conferri.

ARTICULUS PRIMUS

Dicendum est, Ordinarium Confirmationis Ministrum esse solum Episcopum.

162. Ostenditur breviter ex Verbo Dei: nam in Scripturis non leguntur, nisi Apostoli confirmasse, & dedisse Spiritum Sanctum per manuum impositionem, cum inferiores Discipuli frequenter baptizarent, ut patet Act. 8. 17. & 19. 6. ubi solus Petrus, Joannes & Paulus leguntur manus imposuisse Baptizatis: Philippus verò, & alii ex Discipulis, Baptismum ipsum contulisse. Hac ratione utuntur Patres, & Pontifices, ut Euseb. Papa, epist. 3. ad Episcop. Tus., & Camp. Leo I. epist,

epist. 86. Damasus I. epist. 4. cont. Corepisc. & Alii.

163. Nec Ecclesiæ authoritas deest: nam Innoc. I. ad Decen. cap. 3. *de consignantibus*, inquit: *Infantibus non ab alio, quam ab Episcopo fieri licere: nam Presbyteri, licet sint Sacerdotes, Pontificatus tamen apicem non habent*. Gregor. Mag., quem Orientalis quoque Ecclesia tanti facit, lib. 3. epist. 9. *Presbyteri baptizatos infantes signare in frontibus Chrismate non præsumant, sed Presbyteri Baptizatos ungant in pectore, ut Episcopi postmodum ungant in fronte*. Similia scribunt Leo Mag. epist. 37. Cap. 2. Urban. I. ad univer. Episcop. Joan. III. in Epist. Decret. 3. ad finem hunc edita.

164. Ecclesiæ quoque Decretà suffragantur: nam præter Elibert. Cap. 38. Meldense Cap. 6. Parisien. lib. 1. cap. 33. Hispal. II. cap. 7. Cabilon. II. cap. 27. Florent. Armenis profectò venerabile, atque ineluctabile in eorumdem instructione, cum formam, & materiam perscripsisset, subdit: *Ordinarius Minister est Episcopus: & cum cæteras unctiones simplex Sacerdos valeat exprimere, hanc non nisi Episcopus debet conferre*. Idipsum à Triden. sess. 7. de Confir. Can. 3. decisum est.

165. Eadem scribunt Patres: Diony. Areopag. de Ecclesiast. Hierarc. Cap. 2. Part. 2. Amphiloc. in Vit. S. Basil. Epiphan. Hæres. 21. Chrysost. ad Cap. 8. Act. Apost. Isidor. Pelusiot. lib. 1. Epist. 450. & alii plures; ergò ex Scripturis, Conciliis, & Patribus solus Episcopus est Confirmationis Ordinarius Minister.

166. Nec deest ratio I. ex Seraph. Doct. 4. Dist. 7. art. 1. quia Ecclesiæ authoritas ad primum membrum fuit derivata, ejusdem ordine

sir-

servato: sed soli Apostoli, qui prima erant membra, poterant hoc Sacramentum conferre; ergò nunc soli Episcopi eorum locum tenentes idem conferre possunt.

167. II. In hoc Sacramento juxta dicta Patrum datur Gratiæ plenitudo; ergò etiam ab habentibus plenitudinem potestatis conferendum est: hi sunt Episcopi in sua respective Diœcesi; ergò &c.

168. III. In Confirmatione Fideles speciali aliqua ratione fiunt Christi milites, armantur, & roborantur, ut strenuè prò Christi Confessione dimicare valeant; hoc autem robur Duces militiæ ministrare instrumentaliter debent, quales sunt Episcopi, qui primi stare debent in acie pro Domo Israel; ergò &c.

169. IV. Tandem quia Fideles omnes Sacramentum aliquod ab Episcopis accipere debent, ut eorum dignitatis eminentiam agnoscant: hoc autem non est nisi Confirmatio, qua perfecti, & consummati Christiani constituuntur. Hinc ait Areopag. de Ecclesiast. Hierarc. Cap. 5. *Episcopatum esse Perficientium, Presbyteratum Illuminantium, & Diaconatum Purgantium*: ergò soli Episcopi, qui perficere possunt, uti fit in Confirmatione, Sacramentum illud ut Ministri Ordinarii valent conferre.

ARTICULUS SECUNDUS.

Solvuntur Objecta.

170. OBji. I. Ex hoc, quod in Scripturis soli legantur Apostoli Confirmationem ministrasse, minimè arguitur, Episcopos esse hujusmodi Sacramenti solos Ordinarios Ministros; ergò revera tales non sunt. Conseq.

seq. patet; nam in hujusmodi ratione Catholici videntur fundari, ut hucusque visum est. Ant. autem patet: etenim ex hoc, quod soli Apostoli legantur, Eucharistiam, ac Pœnitentiam ministrasse, non arguitur, Episcopos esse solos Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Ministros, cum certum sit, inferiores quoque Sacerdotes talia Sacramenta ex officio ministrare; ergò neque arguitur Episcopos esse solos Ordinarios Ministros Confirmationis.

171. Resp. etsi permitteretur ant., adhuc falsam esse consecutionem inde deductam, cum multa ex Verbo tradito sciamus, quæ in scripto minimè continentur: habetur autem vetustissima traditio, cujus initium ignoratur, præter Apostolos, Confirmationis collationem ad solos Episcopos pertinere.

172. Nihilominus ne. ant. certè enim quando Samariam Apostoli missi sunt, ut hoc Sacramentum ministrarent, inferiores Sacerdotes non deerant, cum Ecclesia jam propagari cœpisset, Christique Discipuli suppetebant, quorum saltem aliquos fuisse post Christi mortem Sacris Ordinibus initiatos, verisimile videtur; sic etiam cum Paulus Act. 19. 6. manus imponebat, baptizandi munere aliis relicto, certè non deerant inferiores Sacerdotes; & proindè optimè arguitur, ex eoquia soli Apostoli Confirmationem ministrarent, aliis inferioribus exclusis, solis ipsis, & ipsorum Successoribus Episcopis hujusmodi authoritatem reservari. Falsum est quoque ant. probationis, nempe in Scripturis non haberi, alios ab Apostolis Eucharistiam, ac Pœnitentiæ Sacramentum ministrasse; legitur enim Act. 2. 42. Discipulos fuisse in fractione Panis frequentes, & Populos ipsis confessos peccata sua, Act. 19. 18. Ca-

18. Cæterum neg. Conseq. nàm in Scripturis nullum datur exemplum, quo ostendatur, Apostolos Sacramenta Eucharistiæ, ac Pœnitentiæ confecisse, ac ministrasse cum exclusione aliorum, uti datur de Confirmatione, quam scimus à Paulo, Petro, & Joanne collatam cum exclusione aliorum, ac propterea Samariam missi sunt. Quare optimè colligitur ex hoc, quod soli Apostoli Confirmationem ministrarint, solos Episcopos eorum Successores posse legitime hoc munere fungi, non autem ex hoc, quod soli Apostoli Eucharistiam confecisse legantur, arguitur, inferiores Episcopis non posse conficere, aut ministrare, ut Ordinarios Ministros Sacramenta Eucharistiæ, aut Pœnitentiæ.

173. Obji. II. Ex Can. 55. Nicæni I. ex Arabico translati, habetur, Corepiscopos debere in Ecclesiarum visitatione Sacramentum Confirmationis tribuere: Corepiscopi autem non erant veri Episcopi, sed Presbyteri seniores, ex Ancyr. Can. 12. Damas. I. Epist. 3. Leo I. Epist. 88.; ergò Confirmationem conferre ad Episcopos non pertinet, ut Ordinarios Ministros.

174. Resp. Quidquid de Can. Nicæn. ex Arabico translat. sit, majorem esse veram de Corepiscopis, qui verè erant Episcopi, etsi Ecclesias sibi concreditas minimè haberent, uti etiam nunc fit in Ecclesiis Cathedralibus, quibus magni Principes præsunt, ut in Germania contingit: isti enim verè sunt Episcòpi, & propterea Confirmationis quoque, & Sacræ Ordinationis Sacramenta conferre possunt; Episcopis tamen consentientibus: non autem de illis Corepiscopis, qui tantummodo erant Seniores Presbyteri, quibus multa negotia Ec-

cle-

clesiarum committebantur. Quoniam verò multa plus æquo sibi arrogabant, & præ cæteris Confirmationis collationem; propterea Leo Mag. Damas. I. aliique Pontifices jubent, eorum nimiam præsumptionem coerceri, atque ad juris regulas redigi.

175. Dici quoque potest Corepiscopos, etiamsi non essent veri Episcopi, Confirmationem ministrasse, non quidem authoritate Ordinaria, sed Extraordinaria, & ex commissione, ac dispensatione Romani Pontificis, quod quidem fieri posse, tenent Scholasticorum Principes. D. Thom. 3. Part. Quæst. 72. art. 11. ad *secund.* Doct. Subtil. 4. Dist. 7. Quæst. 1. ad *Tertium*, cum eorum Discipulis, & Canonistis, in Cap. *Pervenit* Dist. 95. Gregor. Mag. ad Januar. Calar. Episcop. authoritate præcipue nitentes, hujusmodi dispensationem pluries contigisse scribentis, ut de facto asseruit Florent. in Instruc. Armen. Etsi autem hujusmodi dispensatio non legatur, supponi tamen debet. Nec est credibile, tot Sanctissimos Presules, qui eadem usi sunt, fuisse sacrilegos. Innoc. verò III. *Extra* de Consuet. Cap. *Quarto*, eam revocans, de Presbyteris Latinis loquitur privilegio abutentibus, non verò de Orientalibus. Legatur Arcud. lib. 2. de Sacrament. Cap. 15.

176. Obji. III. Episcopus ex institutione Divina non habet ut hujusmodi Sacramenti sit Ordinarius Minister; ergò &c. Conseq. patet. Prob. ant., ex Anastas. dicente in Vit. Sanc. Silvest. Papæ: *Hic constituit, Chrisma ab Episcopo confici, & privilegium Episcopis dedit, ut Baptizatum consignarent propter hæreticam suasionem*. Idipsum habetur in Concil. Rom. sub eodem Silvestro Can. 5. Hinc Hieronymus de sept. Grad. Eccles. & epist. ad Evagr. *Quid facit*

cit Episcopus, excepta Ordinatione, quòd non faciat etiam Presbyter? Ergò Ordinarius confirmationis minister non est solus Episcopus.

177. Resp. ne. ant., & Conseq. probat. Silvester enim verbis citatis, sicuti non vult significare, Chrismatis confectionem ad solum Episcopum minimè pertinere, juxta ipsam quoque Armen. Senten., qui munus hoc ex Divina Institutione soli Episcopo reservant; ita non vult, ipsammet collationem Confirmationis ex Christi instituto ad alios præter Episcopum, spectare. Idcircò autem dicitur constituisse, ac privilegium dedisse, ut Episcopi solummodo Sacramentum hoc ministrarent; non quia ipse primus contulerit, cum ab aliis Pontificibus, ipso vetustioribus, ut Urban. I. Fabian. Joann. III. Eusebio, & aliis memoratum legatur; sed quia, cum Presbyteri nonnulli idipsum præstare auderent, ad eorum audaciam comprimendam, oportuit novo Decreto sanciri, & privilegium Lege recente reservari.

178. Quantum verò ad Hieronymum spectat, cum constet apertissimè, eum cum Ecclesia sensisse, mentemque suam, quantum ad hoc lucidè aperuisse Dialog. adversus Lucifer., dicendum est, Lib. de sept. Grad. nullius esse authoritatis, cum Hieronymi non sit, sed alterius Authoris, apertamque contineat falsitatem, nempe simplices Presbyteros Chrismatis conficiendi potestatem habere, quod quidem nec ipsimet Armeni opinantur. Cum verò dicit Epist. ad Evagrium, nihil Episcopum, præ simplici Presbytero, excepta Ordinatione, habere, verissima prædicat: in ipsamet quippe Ordinatione potestas confirmandi Baptizatos includitur: & propterea, quia Confirmatio non est necessitatis Sacramentum, sed ad melius

esse,

esse, ob honorem potiùs Sacerdotii solis Episcopis reservatur; alioquin, ut inquit ipse, lugendi essent, qui ob Præsulum inopiam, à solis Presbyteris baptizantur, non item semper obtinent ab Episcopis confirmari.

CAPUT III.

De Augustissimo Eucharistiæ Sacramento.

179. UTi in cæteris, ita etiam in hoc haud mediocriter à veritate deviant Orientales Heterodoxi, & propterea errores eorum circa adorabile hoc Sacramentum, quantum Deus dederit, perstringendi.

SECTIO PRIMA

Utrum Eucharistia in Azymo confici debeat; vel fermentato?

180. SUppono unicuique, quid sit Panis azymus, quid fermentatus, innotescere. Constat utique, Panem aliquem, veluti Eucharistiæ materiam ex Christi Domini institutione necessariò requiri: at controvertitur, utrum hujusmodi Panis azymus esse debeat, aut fermentatus? Latini arbitrantur, fermentatum æquè ac azymum pro Sacramenti validitate sufficere; etsi revera Christus Dominus Sacramentum in azymo instituerit; & propterea Græcis permittunt conficere in fermentato juxta vetustam Ecclesiæ Orientalis consuetudinem, ut patet apertè ex Floren., in quo dogma hoc stabilitur. Græci è contra mordicus sustinent, Azymis in Eucharistia uti pro materia Sacramenti nequaquam licere, Latinosque

proin-

proindè in contemptum Azymitas appellant, eosque veluti Hæreticos, atque à vero alienos Sacrificio proscindunt. Ità ipsos docuit Michael Cærularius Constantinopolitanus Patriarcha, simul cum Leone Acridano Bulgarorum Archiepiscopo, infandi Photiani Schismatis excitator, odio adversus Latinam Ecclesiam percitus acerbissimo, quique Antecessoris Photii in Rom. Pontif. Primat. evertendo fidelissimum se prodit hæredem, ut ex Epist. ad eumdem à S. Leone IX. Papa datis, apertissimè constat. Videndum est nunc breviter, quinam ex his veritate nitantur, atque Apostolica fulciantur Traditione?

ARTICULUS PRIMUS

Quædam præmittuntur ad Quæstionis intelligentiam.

181. Notandum I. Solemnitatem Agni Paschalis fuisse diversam ab illa Azymorum. Prima ortum duxit, quando Deus percussit Primogenita Ægypti, certis quibusdam ritibus celebranda: illa verò Azymorum, quando Israelitæ ab Ægyptiorum fuere captivitate educti, quorum utrumque Exod. 12. 26. legitur institutum ad eorum beneficiorum memoriam perpetuò servandam, ritusque ipsis competentes ibidem præscribuntur. Solemnitas in esu Agni ritu determinato, ac die 14. Mensis Martii in Vespera consistebat; Azymorum verò Festum septem diebus durabat, quibus sub pœna mortis, fermentato pane interdicto, solus azymus permittebatur. Incipiebat autem hujusmodi solemnitas à die 14. in Vespera, usque ad vigesimamprimam perdurans, quarum dierum prima nempe 15. & ultima festivæ, ac

so-

solemnes erant, itaut ab opere servili Hæbreis abstinendum esset, ex cit. Exod. 12. 42. & Levit. 23. 6.

182. Porrò Vespera diei 14. duas cœnas fieri consuevisse docet Chrysost. Hom. 81. in Matth, Legalem, qua Judæi juxta Legem Exod. 12. Agnum Paschalem stantes, & baculos in manibus tenentes comedebant; Vulgarem verò, qua cibis consuetis vescebantur, dempto Fermentato, cujus prohibitio illâ Vesperâ per universum Israelem incipiebat, solo Azymo permisso, qui simul cum Agno Paschali edebatur.

183. Notandum II., Apud Judęos Dies cœremoniales, seu festivas, à Vespera prima incepisse, seù ab occasu solis diei antecedentis Festum, usque ad Vesperam diei Festi, nempe secundam Vesperam, & solis occasum diei subsequentis Levit. 23. 5. 6. & notat August. ad Casul. itaut finis unius Festi posset esse principium alterius, ut etiam inter Christianos accidere videmus. Vespera tamen completè sumpta in duas partes dividebatur. Prior post meridiem incipiebat, Sole jam ad Occasum declinante, ab hora nona usque ad Occasum. Posterior autem erat post Occasum Solis usque ad finem crepusculi vespertini. In priori Agnus Paschalis immolabatur, in posteriori comedebatur ex Joseph lib. 7. Belli Judaic. cap. 17. Porrò Menses apud Judæos lunares erant, non solares, atque à Novilunio incipiebant, ex Philon. Hæb. de Vit. Moy. quare idem erat dicere Lunâ 14., ac die 14. His præmissis, tria sunt resolvenda. Primum, an Christus Pascha celebraverit Lunâ 14., vel 15.? Secundò, utrum in Fermentato, vel Azymo Eucharistiam confecerit? Tertiò, an licitè in Azymis nunc conficiatur?

A R-

ARTICULUS SECUNDUS

Dicendum est, Christum Pascha celebrasse Luna quartadecima. Est Communis inter Catholicos.

184. PRob. breviter: Quod enim Paschâ celebraretur à Christo, constat apertissimè ex Matth. 26. 18. Marci 14. 15. Lucæ 22. 11. Ubi Discipuli à Christo sciscitantur, an vellet, & ubi comedere Pascha? Ipse respondit affirmativè, locumque designavit, & revera cum Apostolis mensæ accubuit: Legem nimirum servaturus, uti in cæteris omnibus præstitit. Quod verò id acciderit Lunâ 14. in Vespera, patet, nam Christus manducavit, & celebravit Pascha, quando fuit à Discipulis interrogatus, ubi vellet manducare: hoc autem contigit Lunâ 14. in Vespera, dies enim Azymorum Exod. 12. 16. Levit. 13. 5. in Lunam 14. in Vespera incidebat; ergò Lunâ 14. Pascha manducavit in Vespera; nec anticipavit una die, ut Græci prætendunt, Cum Christus legem rigidissimè custodierit, quæ jubebat, Pascha celebrari Lunâ 14. in Vespera, ad quam sequitur immediatè Solemnitas Azymorum, nempè Luna 15. hæc autem sequebatur Lunam 14. non 13.; ergò non anticipavit Christus: & ita sentiunt vetustissimi Patres, ut Tertul. lib. cont. Judæ. Cyprian. de C-en. Dom. Origenes Tract. 35. in Matth. Chrysost. Hom. 85. in Matth. Theodoret. Quæst. 24. in Exod. Theophil. Alexand. apud Bedam lib. de ratione temp.

185. Ulterius: Christus priùsquam occideretur celebravit Pascha, ex omnibus Evangelistis seriem rei narrantibus; ipse autem occisus est

est Lunâ 15. nempe die Azymorum prima, quæ erat Festiva, non prophana. Hinc Pilato necem Christi, ut ipsimet præstarent, Judæis offerenti noluerunt aquiescere, quia eis die Festivo neminem licebat occidere; Joan. 18. 32.; ergò dies, qua fuit Christus interfectus, erat Festiva: Præses enim unum ex vinctis dimittere solebat, & de facto Barabbam dimisit: hic autem erat dies Festus ex Matth. 27. 17. Marc. 15. 6. Lucæ 23. 17., nec poterat esse ultimus post dies octo, sed primus quando dimissus est Barabbas; Lunâ ergò 15. fuit Christus occisus; igitur Lunâ 15. non 14., quæ erat prophana; adeoque celebravit Pascha Lunâ 14. non 13. Et sentiunt ita Origen. Hom. 23. in Num. Epiph. Hæres. 70. Cyr. Jerosl. Cathec. 13. Aug. Tract. 10. in Joan. Leo Mag. serm. 7. de Pasch. Ansel. in c. 26. Matth. Tandem veritas hæc ostenditur quia Ecclesiæ Asiaticæ eo prorsus, quo Judæi, modo Pascha celebrabant, ex Epiphan. Hæres. 50. Ex Euseb. de Vit. Constantini cap. 17. Et ex Historia ejusdem lib. 5. cap. 23. Ecclesia autem Asiatica Lunâ 14., non 13. Pascha celebrabat; nam idcircò Asiatici Quartadecimani sunt appellati; quia more Judaico Lunâ 14., quacumque die in Hebdomada contigisset, Pascha celebrabant, ex Augustin. lib. de Hæres. cap. 29., non verò Tertiadecimani, eo quod Lunâ 13. Pascha celebrando anticipassent, & propterea à Victore Primo Papa excommunicati, ex Euseb. lib. 5. Histor. cap. 23.; ergò Judæi Lunâ 14., non 13. Pascha celebrabant, quos Asiatici mordicus sequebantur, Christum ipsum imitari censentes; ergò Christus non Lunâ 13. sed 14. Pascha celebravit.

A R-

ARTICULUS TERTIUS

Dicendum est, Christum Dominum in Azymo, non in Fermentato Sacramentum Eucharistiæ instituisse.

186. OStenditur breviter: nam in eo pane Christus Eucharistiam instituit, quo usus est in Cœna Paschali conficienda, cum nullus alius exhiberi posset: at in ipsa usus est Pane azymo, non fermentato: Azymus enim solus tunc erat in usu in omnibus finibus Israel, & licitus erat, fermentato interdicto, nempe in Vespera Lunæ 14. uti expressè jubetur Exod. 12. 18. Levit.23. 5., & Num.28. 16, 17. 18; ergò Christus Azymo tantum usus est, non Fermentato in Sacramenti Eucharistici institutione.

187. Dicere autem cum Græcis, in Cœnâ communi celatum sub floribus fermentatum fuisse adhibitum, ut Judam lateret, vel divinitus sublatum Azymum, ac substitutum Fermentatum, vel in eum conversum, mera sunt verborum ludibria, cum Christus omnia palam effecerit, nec eum clam operari decebat, ac simulationem in actibus suis ostendere: nec opus erat confugere ad miracula, ut Lex violaretur præcipiens, Lunâ 14. in Vespera Pascha celebrari cum Fermentati exclusione per totam octavam. Nec debuerat in Cœna legali uti Azymo, in communi verò Fermentato, cum utraque in Vespera Lunæ 14. fieri deberet, qua Fermentatum erat vetitum in omnibus finibus Israel.

188. Adsunt quoque Congruentiæ, ob quas Christus potiùs in Azymo, quam in Fer-

mentato Sacramentum debuit instituere, quas insinuat Innoc.III. lib.4. de Myst. Missæ, & Alii apud Baron. tom.11. Annal. ad calcem. Prima, quia Panis Azymus puriùs, decentiùs, & faciliùs conficitur. II. Quia ab omni corruptione est immunis. III. quia per Azymum, nedum donotatur immaculata Carnis Christi puritas, sed etiam mundities recipientium illibatissima, ut ipsimet Corpori Christi, qui cibus mundissimus est, assimilentur.

ARTICULUS QUARTUS

Dicendum est III. Usum Azymorum apud Latinos in Sacræ Eucharistiæ confectione, nedum validum, sed licitum esse, eosque in hoc minimè errare.

189. PRob. breviter: nàm validè, & licitè fit, quod à Legislatore praxi in ipsamet institutione præstitum est; Legislatoris enim praxis, & institutio, regula est operandi: hinc 1. Cor.11. 24. dixit Christus: *Hoc facite in meam commemorationem*: Christus autem in Azymis Sacram Eucharistiam instituit, quæ tunc erant usualia, ut superiùs probatum est: idcircò Paulus, ut innueret, in Azymis Sacrificium nostrum fieri oportere, 1. Cor. 5. 8. ait: *Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus: itaque epulemur non in Fermento veteri, neque in Fermento malitiæ, sed in Azymis sinceritatis, & veritatis.*

190. Nec quidquam ad rem facit, Scripturas non afferere institutionem Sacramenti in Cœna legali, sed in communi accidisse, in qua licitum erat fermentatum: quamvis enim id concedatur, nihil efficitur, cum Lunâ 14.

in

in Vesperà Cœnâ celebrari debuerit, in qua Fermentatum erat illicitum, nec credibile videtur, à Christo Domino cætera legalia omissa, quorum erat severissimus Custos, etsi expresse descripta minimè legantur.

191. II. Ostenditur idipsum: nam sivè azymus, sivè fermentatus sit Panis, substantia materiæ Sacramenti adhibetur à Christo Domino instituti, nempe Panis triticeus usualis ex farina triticea, aquaque naturali compactus, & concoctus optimè habetur, sicuti habetur substantia Baptismi sivè ex aqua pluviali, sivè fluminis, sivè Maris, quæ substantialiter non differunt; ergò licitè, & validè Panis adhibetur in Sacramento conficiendo, sivè azymus, sivè fermentatus, qui purè accidentaliter differunt penes majorem, vel minorem coctionem.

192. Et profectò mirum videtur, Vinum, quod pro Calicis consecratione requiritur, à Græcis admitti album, aut rubrum, unius vel alterius speciei, ex quacumque regione proveniat, dummodo ex vite reipsa sit, non arte fabrefactum; respui autem azymum Panem, qui purè accidentaliter, & quidem in eadem specie differt à fermentato.

193. Sicut ergò à Latinis ob eamdem rationem minimè Græci arguuntur Fermentato utentes, eoquia quoad substantiam ab Azymo non differt, etsi Christus Dominus in Azymo Eucharistiam confecerit, & instituerit; ita adversus Latinos acerbè adeò irasci Græci non deberent, eoquia Azymo utuntur, quem à Dominica, & Apostolica traditione acceperunt.

194. Imò hujusmodi consuetudinem nedum Occidentales omnes, verum etiam nonnullæ Orientales Ecclesiæ ab ipsismet incuna-

bulis retinuerunt, uti de Jersol. cit. Cardinal. Umbertus narrat de ipsa, ac de Alex. Michael Cerular. conqueritur literis ad Petrum Antiochænum Patriarcham datis. De Maronitis Antiochæno Patriarchæ subjectis idipsum scribit Abraham Echellen in annotatione ad Cathal. lib. Caldaic. De Armenis idipsum testatur Nicetas Choniates lib.2. cap.3., in Isacio Angelo, Nicephor. Calist. lib. 8. cap. 53. Demetrius Cizicen. opusc. de erroribus Armen., & Jacobit. aliisque, quos congerit eruditè Christianus lupus Differt. de actis S. Leonis Papæ Noni.

ARTICULUS QUINTUS

Solvuntur objecta contra primam Partem, nempe à Christo Lunâ 14. *Pascha fuisse celebratum*.

195. OBji.I. Dies, qua Christus Pascha manducavit, nequit esse Luna 14. ergò fuit 13. Conseq. patet. Prob. ant. nam de die, qua Christus comedit Agnum Paschalem Lucæ 22.1. habetur, quod tunc *Appropinquabat dies Festus Azymorum, qui dicitur Pascha*: ille autem nequit esse Luna 14. alioquin appropinquasset sibi; ergò Christus comedit Pascha Lunâ 13., non 14.

196. Eo magis quia Matth. 26. 2. dixit Christus Discipulis suis Pascha celebraturus: *Scitis quia post biduum Pascha fiet, & Filius Hominis tradetur, ut Crucifigatur*; ergò si eadem die celebravit Pascha, dies sibi ipsi appropinquasset, cum biduum non possit eadem die compleri, & verificari.

197. Resp. neg. ant., ad cujus probat. neg.

neg. min. ad cujus probationem dico, non esse absurdum, eumdem diem secundum esse naturale appropinquare sibi secundum esse artificiale: certè enim etiam apud nos, Vesperæ artificiales appropinquant Festo, ut est dies naturalis, adeoque dies Azymorum in Vespera artificiali antecedenti Lunâ 14. appropinquare sibi poterat, ut dies naturalis, nempe Luna 15.

198. Eodempacto solvitur instantia, negando quippe conseq. Nam ly *Biduo* non significat duos integros dies, sed partem duarum dierum, nempe Luna 14. in mane usque ad horam nonam Lunæ 15., qua Christus est occisus, eo pacto, quo Christus dicitur in Sepulchro tribus diebus jacuisse, juxta illud Matth. 12. 40. *Sicut fuit Jonas in ventre cæti tribus diebus, & tribus noctibus, ita erit Filius Hominis in corde terræ, tribus diebus, & tribus noctibus*. Quo pacto explicatur optimè, quomodo idem dies possit sibi verissimè appropinquare secundum diversa. Neque ex eo quia cap. 14. Marci dicatur Pascha fuisse paratum, & manducatum, ac dixerit Christus: *Post biduum Pascha fiet*, sequitur eodem die omnia contigisse, cum illa verba non asserantur prolata Lunâ 14.

199. Obji. II. Christus fuit interfectus Lunâ 14. non 15.; ergò celebravit Pascha Lunâ 13. nempe die antecedenti morti suæ. Prob. ant. nam Christus fuit interfectus die prophano, nempe in Parasceve, quæ Pascha antecedit, in eo quippe opera servilia exercita fuerunt, nempe Processus criminalis: Joseph ab Arimathæa sindonem emit pro Christi Corpore involvendo: Mulieres necessaria ad sepulturam paraverunt, & Corpora Crucifixorum fuere à Patibulis deposita, ex Joan. 19. 31.: quæ omnia profectò servilia sunt. Conseq. quoque est

manifesta! nam Lunâ 15. erat dies Festivus; hinc Matth. 26. 5. & Marci 14. 2. in Concilio Pontificum consultum est, ea die nequaquam Christum occidi oportere, *ne fortè tumultus fieret in Populo*; ergò si die prophana Christus fuit occisus, non fuit occisus Lunâ 15., sed 14. quæ erat dies prophana; ergò Lunâ 13. comedit Pascha, non 14.

200. Resp. neg. ant. cum assumpto probat.; illa enim dies, qua Christus fuit interfectus, non erat dies prophana, sed festiva, ac dicebatur Parasceve, idest præparatio Paschæ, non quia in se Festum non esset, sed quia præparabat ad Sabbatum, quod erat omnium Festorum maximum, ex Mar. 15. 42. *Erat autem Parasceve, quod est ante Sabbatum*, cum Luna 15. contigerit in Feriam sextam; quæ Sabbatum antecedebat, nempe prima die Azymorum, ut dies naturalis est, non artificialis.

201. Die autem prima Azymorum, etsi festiva, quia non erat Sabbatum, quod erat Festum omnium maximum, servilia aliqua fieri licitè poterant, ut præparatio Ciborum, Exod. 12. 16. Processus autem criminalis, depositio Corporis Christi de Cruce, emptio Sindonis, & alia similia, etsi servilia, non erant tamen de illis, quæ vetabantur in Sabbato; hinc Joan. 19. 31. dicitur: idcircò Crucifixorum Corpora fuisse deposita: *Ut non remanerent in Cruce Corpora Sabbato, erat enim magnus dies ille Sabbati*.

202. Obji. Ult. Fundamentum præcipuum Græcorum: Christus debuit mori Lunâ 14.; ergò comedit Pascha Lunâ 13. Conseq. patet: Prob. ant. Christus debuit mori eo die, quo Agnus paschalis immolabatur, ut Figuratum typo responderet: Agnus autem Paschalis ty-

pus

pus erat Christi in Cruce immolandi; ergò si Agnus Paschalis immolabatur Lunâ 14. non 15., debuit etiam Christus immolari Lunâ 14. non 15. Tumquia eo die Christus fuit interfectus, qua Pontifices, & Judæi manducabant Pascha, Joan. 18. 28. *Ipsi non introjerunt in Prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha*: Pascha autem manducabant Lunâ 14.; ergò Christus fuit interfectus Lunâ 14.; ergò comedit Pascha Lunâ 13., cum illam comederit ante necem suam. Tumquia Christus comedit Pascha, & Eucharistiam instituit *Ante diem Festum Paschæ*. Joan. 13. 1.; Hic enim erat Festum immolationis Agni Paschalis, quando comedebatur festinanter, cum lactucis agrestibus, & baculo in manibus, juxta præscripta Exod. 12. 11. iste autem erat Luna 14. in Vespera; ergò Christus manducavit Pascha Lunâ 13. non 14.

203. Resp. neg. ant., ad cujus probat. negàri potest maj. cum sua probatione; non enim figuratum typo, sed typus figurato debet assimilari: nihilominus conc. maj. dist. min. Agnus Paschalis erat typus Christi immolandi, incruentè, vel cruentè: conc. min. cruentè tantum; neg. min. & conseq. Itaque immolatio Agni Paschalis erat quidem typus Christi immolandi, sed incruentè, quantum ad principale significatum: hoc autem factum est Lunâ 14. in Vespera, quando Christus Eucharistiam in ultima Cœna instituit, & seipsum immaculatum obtulit cruentè Lunâ 15. in Cruce offerendum, tamquam parte 14. ut dies artificialis est, ut optimè Epiphan. Hæres 50. adversus Quartadecimanos disserens, advertit.

204. Ad primam confirm. dist. maj. die, qua debebant secundum Legem; neg. maj. qua

defacto contigit; conc. maj. & eodem modo dist. min. neg. conseq. Quamvis enim debuissent Pascha comedere Lunâ 14. in Vespera, ut Legi satisfacerent Exod. 12. 18., odio tamen adversus Christum Cœnam usque ad diem sequentem Lunæ 15. in Vespera distulerunt, donec Christum occisum viderent, ut notat Chrisost. Hom.84. in Joan. Itaque zelus non ingrediendi Prætorium Gentilitate immundum fuit inanis scrupulus excolantium Culicem, Camelum autem intrepidè glutientium, quos optimè Christus Dominus Matth. 23. 24. & Lucæ 11. 42. derisit.

205. Si autem Chrysost. Hom.82. in Joan. videatur dicere, Christum in Cœna comedenda diem prævenisse, ut sibi reservaret morituro Parasceve, quo mos olim erat Pascha celebrari, debet sic intelligi, ut sibi in Hom.84. cohæreat; nempe Christum prævenisse quidem Pontifices Legem transgressos in Paschate comedendo, ut iræ indulgerent, non tamen Populum, qui Legem adamussim servavit, Agnum Paschalem Lunâ 14. comedentem.

206. Dici quoque posset ly *Pascha* non significare Agnum Paschalem, sed victimas, Cibosque Paschales, qui per totam Octavam comedebantur, Deuter. 16. 4. & Numer. 28. 19. quos, nisi purificatis, & mundis, comedere minimè licebat: hinc Pontifices mortis Christi Authores Prætorium ingredi non audebant, minimè adhuc purificati, Cibos Paschales comesturi: at hoc quid facit ad propositum, cum de vero Paschate sit sermo?

207. Tertium pluries jam solutum est, nempe Christum dici posse Pascha celebrasse, & ante Festum, & in Festo: ante Festum quidem, ut dies Paschæ naturalis est; in Festo ve-

rò,

rò, quatenus artificialis; nàm Vespera Lunæ 14. est pars Festi sequentis, ut dies artificialis est, ut contingit etiam apud nos, quando Officium Ecclesiasticum celebramus.

208. Propterea Evangelistæ videntur aliquo pacto variare: nam Matth. qui Hebręis, & hebraicè scribebat, juxta morem Hebręorum, Festa non à die naturali, sed à Vespera antecedente artificialis Festi computabat; ita etiam Marcus egit, Matth. Epitomen conficiens. Joan. verò Græcis scribens, Festa juxta seriem naturalem enumerans, Paschæ manducationem more naturali expressit, dicendo: *Ante diem Festum Paschæ*: quare nulla inter Evangelistas est contradictio. Legatur Chrysost. Hom. 11. in Matth. August. de consen. Evangelis. cap. 2. Baron. ad Annum Christi 41. n. 17.

ARTICULUS SEXTUS

Solvuntur Objecta contra secundam Partem, nempe Christum in Azymo confecisse.

209. OBji. I. Christus pro materia Eucharistiæ verum, & proprium Panem assumpsit, 1. Corinth. 11. 23. Azymus autem non est verus Panis, cum non sit elevatus, qualis est Fermentatus; fermentare enim idem significat, ac attollere; nec signum sit lætitiæ cujusmodi Eucharistia esse debet, spem Vitæ æternæ excitans, & incendens; ergò Azymus non est verus Panis.

210. Secundò Panis azymus non dicitur simpliciter Panis, sed cum addito *Azymus*; ergò non est verus Panis, sicuti non verus Homo, Homo pictus.

211. Tertiò, Christus utpote Sacerdos Se-

cundum Ordinem Melchisedech Psal. 109. 4. debuit uti Pane, quo in sacrificio Melchisedech usus est, à quo fuit præfiguratus: at Melchisedech in suo sacrificio non est usus Azymo, sed Fermentato; priùs quippè vixit, quam Azymi in Lege præciperentur, Exod. 12. 6. & Levit. 23. 15. ergò Christus in institutione Eucharistiæ usus est Fermentato; adeoque &c.

212. Resp. Conc. maj. ne. min. ad cujus probationem neg. Conseq. nam sicut fermentatus Panis habet suas morales significationes elevandi cor ad spiritualem lætitiam, eamque significandi ab Eucharistia collatam; ita Azymus habet suas, nempe significandi Animæ internam munditiam, & elevandi animum ad cœlestia; & sicuti Azymus deprimit ad humum, seù ad inferiora propter soliditatem; ita Fermentatus idipsum facit propter corruptionem, ut optimè Theodoret. Quæst. 55. in Exod. nihil igitur ex hujusmodi ratiunculis adversus Latinos colligi potest.

213. Ad secundum neg. conseq. nam sicuti licet Pani simpliciter addatur, quod sit *Fermentatus*, non arguitur quin sit simpliciter Panis; ita ex hoc, quod Pani simpliciter addatur *Azymus* non tollitur, quin sit simpliciter Panis, eoquia Fermentatio, & Azymitas conditiones sunt accidentales Panis, non substantiales: restringunt, non alienant, uti facit ly *Pictus* respectu Hominis, cujus substantiam non restringit, sed distrahit, & omnino alienat; & propterea in Scripturis Panis usualis modò Azymus, modò Fermentatus, modò absque istis restrictionibus nuncupatur, & supponitur vitam alere, sivè Azymus sit, sivè Fermentatus.

214. Ad Tertium: maj. est vera quoad substan-

ſtantiam ſigni, & figurati: non verò quoad omnia accidentia; alioquin ſignum eſſet res ſignata: adeoque nec Panis, quo uſus eſt Melchiſedech neceſſariò debuit eſſe Azymus, ut Euchariſtiam præfiguraret: min. quoque dubia eſt; nam conſtat, tempore Melchiſedech fuiſſe Azyma in uſu: Gen. enim legimus 19. 3. de Loth, qui cum Angelos in ſpecie adoleſcentium Sodomam venientes domum ſuam adduxiſſet, *Fecit Convivium, & coxit Azyma*. Quod ergò Moyſes induxerit Azyma, hoc ex Azymorum novitate minimè proveniebat; ſed quia ex novi Ritus inſtitutione multa futuræ Eccleſiæ myſteria indicabantur.

215. Obji. III. Si Chriſtus in Azymo Euchariſtiam inſtituiſſet, Eccleſia non poſſet Græcis permittere, ut conficiant in Fermentato: Eccleſia enim Sacramentorum ſubſtantias mutare non poteſt; hoc autem eſt falſum, ex Floren. ſæpè cit. in Decret. unionis; ergò Chriſtus inſtituit Euchariſtiam in Fermentato. Nec valet reponere, Fermentatum ab Azymo ſolum accidentaliter differre: nam etiam amydum, & paſta à Pane uſuali non differunt ſubſtantialiter, ſed penes ſolum majorem coctionem, & tamen ob Chriſti inſtitutionem neque validè, neque licitè adhiberi poſſunt in Sacramento; ergò ſi Chriſtus inſtituit in Azymo, nec licitè, nec validè poteſt confici in Fermentato.

216. Reſp. Diſt. maj. ſi inſtituiſſet præcisè in Azymo cum excluſione Fermentati, con. maj. ſi inſtituiſſet in Azymo, ut Panis triticeus eſt, præſcindendo ab Azymo, & Fermentato, ne. maj. & eodem modo diſt. min. neg. Conſeq. Itaque Chriſtus inſtituit quidem in Azymo, dum Azymo uſus eſt: attamen non uti Azymus, ſed ut Panis triticeus erat; non præci-

piendo, sed exemplum præbendo, quatenus externo signo internam Animæ refectionem significat, tam Azymo, quam Fermentato æquè expresso; sicuti Aqua Baptismalis sivè frigida sit, sivè calida, sivè maritima, sivè pluvialis, æquè ad Baptismum apta est: quamvis Christus Dominus in ejusdem institutione aqua aliqua determinata usus sit, & sic etiam de vino pro materia Calicis differendum.

217. Nec valet paritas de pasta, amydo, & aceto: nam quamvis physicè à Pane cocto, & Vino fortasse non differant, attamen moraliter, & in esse usuali, & nutritivo differunt. Fermentatus autem, & Azymus in esse usuali, atque ad nutritionem, & comestionem aptitudine nequaquam differunt, ut experientiâ docemur; igitur paritas nulla est. Idcirco autem Ecclesia vult, à Græcis Fermentatum, à Latinis Azymum adhiberi, non quia uterque non sit aptus; sed quia vult ab unaquaque Ecclesia mores suos, & consuetudines respectivè intactas servari.

ARTICULUS SEPTIMUS

Solvuntur objecta contra tertiam Partem Asserti, nempe licere Latinis usum Azymorum.

218. OBji. I. Ex hoc quod Christus Azyma in Sacrificio adhibuerit, non arguitur id licere Christianis, sicut ex eo quia Christus circumcisus fuerit, & Legalia servaverit, non arguitur idipsum Christifidelibus licere; ergò neque arguitur esse licitum Azyma in sacrificio adhibere.

219. Conf. Pascha nostrum, in quo Christus

stus est immolatus, debet distingui à Paschate Judæorum: non distingueretur autem, si Azymis uti liceret; ergò illicita sunt, ne cum Judæis convenire videamur. Hinc Ebionitis Hæreticis Fermentatum abjicientibus, & Azymum adhibentibus, Ecclesia censuit Azyma repellenda, & amplectendum Fermentatum, ex Decreto Alexand. I.; ergò nunc non licet uti Azymis, cum à Judæis non minus distingui Christiani debeant, quam ab Hæreticis.

220. Resp. ne. ant., & paritatem: idcircò autem colligimus, Azyma Christianis in Eucharistiæ confectione licere, quia, cum ipsa sit Novæ Legis Sacramentum, quoties Azymus Panis adhibetur, non fit more Judaico, sed Christiano; & propterea optimè colligitur, cum in Institutione Eucharistiæ Christus Azyma adhibuerit, etiam Christifidelibus in eodem sacrificio conficiendo licere: at quia Christus morte sua, & Evangelii promulgatione Legem Judaicam abrogavit, ex hoc, quod ipse ante abrogationem fuerit circumcisus, non sequitur idipsum à Christianis fieri posse: hoc enim esset falsæ Religionis protestatio, si more Judaico fieret; secus autem ob alios fines, nec more Judaico: tunc enim res est omnino indifferens.

221. Ad Conf. Dist. maj. ratione rei oblatæ, & modi oblationis; conc. maj. absolute; ne. maj. & eodem modo dist. min. neg. conseq. Pascha igitur Christianorum à Judaico, etsi Azyma adhibeantur, longissimè dissidet: tum quia res oblata est Corpus ipsum Christi Domini, quod cruentè in Cruce oblatum est: tum quia ipsamet oblatio diversa est, quia fit ritu Christiano, non Judaico, & cum relatione ad Christum præsentem, non venturum, ut Ju-

dæi faciunt. Si autem intentio Judaica, ejusque Ritus circumscribantur; sicut Græci multis utuntur, quibus utuntur Judæi, quin ullo pacto judaizare putent, cur id Latinis erit interdictum? Et profectò neque aqua ipsa posset in usum deduci, cum eam Judæi in suis Cæremoniis adhibeant.

222. Quod verò de Ebionitis objicitur, ne. conseq. nam Ecclesia non ideo Fermentatum permisit, ut ab illis Hæreticis distingueretur apertè judaizantibus: nam utendo Azymis more Christiano, ab ipsis plenissimè distinguebatur: sed quia contendebant, Azyma ita esse necessaria, ut Fermentatum penitus excluderetur; idcircò ad errorem hunc eliminandum, & ostendendum, etiam cum Fermentato Eucharistiæ validitatem stare posse, usum Fermenti permisit, eo pacto, quo pro grassantibus Manichæis dignoscendis, qui Vinum vituperabant tamquam Draconis fel, ex August. de Hæres. cap. 56., & Epiphan. Hæres. 5. Gelasius I. utramque speciem in Eucharistia præscripsit, etiamsi optimè sciret, etiam sub una tantum specie verum Sacramentum contineri.

223. Obji. II. Sub gravibus pœnis tam Ecclesiasticis, quam Laicis Sacræ Leges apertè interdicunt usum Azymorum, ut Canones Apostolici Can. 70. alias 69. Laodicen Can. 38. Trullen. Can. 11. ergò illicitè Latini Azymis utuntur; in re enim sacra conficienda Judæos sequuntur.

224. Resp. Canones interdicere quidem Azyma, sicut cæteros alios Judaicos Ritus, non in esse materiali, quatenus res sunt particulares in esse suo naturali spectatæ; alioquin quomodo Græci pullos, columbas, carnes, aquam ipsam naturalem, quæ omnia in Ritibus Judaicis

cis adhibebantur, ad usum proprium frequenter revocant? Sed in esse formali, quatenus Religioni Judaicæ deserviunt, & in ejus cultum cedunt. Imò nec Fermentato uti liceret, cum Levit. 7. 13. interdum Cæremoniis hebraicis miscebatur. Scopus ergò Canonum est solummodo Communionem cum Judæis in Sacris, & quantum fas est, etiam in prophanis, interdicere non verò res ipsas, sive Azyma sint, sivè alterius generis, quæ Judæorum usui inserviunt, præciso ritu, ac intentione Religionis, secundum se spectatas repellere.

225. Obji. III. Ecclesia etiam Latina in ipsismet primordiis, & etiam sæculis subsequentibus, Missæ Sacrificio Fermentatum apposuit; ergò Latini moderni malè agunt Azymo adhibendo. Conseq. patet, cum usibus antiquæ Ecclesiæ se opponere videantur. Ant. autem evincitur ex Vit. Gregor. Mag. à Joan. Diac. scripta ex Can. 6. Tolet. 16. ex Lib. Pontif. Melchiadis Papæ, ex Siricio Papa in Pontif., ex Innoc. I. ad Decent. Eugub. Episcop., ex Alexand. I. lib. Pontif. apud Platinam in Vit. Pontif., ubi nedum fit mentio Fermenti, sed videtur usus supponi, imò præscribi, & quidem in Ecclesia Primitiva, in quâ Patres, & Pontifices relati floruerunt; ergò Ecclesia Latina censuit Azyma illicita, & licitum solummodo Fermentatum.

226. Resp. cum eadem sit Ecclesia Latina moderna, cum vetustissima Primitiva, sicuti sanctè tunc uti potuit Fermentato, ita sanctè nunc uti Azymo posse, variatis motivis, & circumstantiis; Christus enim non præcepit Azymorum usum, sed solummodò exemplo suo Panis tunc usualis necessitatem constituit ad Eucharistiæ Sacramentum conficiendum. Nihilominus

227. Resp.

227. Resp. II. nė. ant. neque adducta ex adverso quidquam evincunt: nam authoritas Joan. Diaconi solum ostendit, eo tempore morem fuisse Panem in sacrificio offerendum in Domibus privatis ab ipsismet offerentibus confici; non verò esse Fermentatum, qui certè Azymus fieri poterat, & Sacerdotibus præberi in Altari offerendus, & si decursu temporis mos fuerit introductus Panem Eucharistiæ deservientem à solis Ministris Ecclesiæ sacra veste indutis ferro ex sacrario desumpto confici, ex Umbert. de Syl. Cand. epist. ad Cærul.

228. Toletanum VI. solummodo decernit, morem à nonnullis Sacerdotibus exteris in Ecclesiam Hispanicam introductum conficiendi in Fermentato tolli oportere, veteremque restitui consuetudinem; quodquidem potius oppositum demonstrat: supponit quippe usum introductum esse abusum, nec omnibus communem.

229. Melchiades, Siricius, & Innocentius Adversariis neutiquam favent: nam si Eulogiæ Christi Corpus minimè continebant, sed merum erat signum Ecclesiasticæ Communionis, ut tenet ex Patribus August., Paulino, Nazianz. & Aliis Baron. ad ann. Christi 311. tunc argumentum evanescit: si verò cum Christiano Lupo Dissertatione de actibus Sanc. Leonis IX. sustineatur, Eulogias fuisse verum Sacramentum, adhuc nihil evincitur, nam Panis ille non erat Fermentatus, sed Azymus: & ideo dicebatur Fermentum, non Fermentatum: hoc autem pacto vocabatur ad denotandam Ecclesiasticam unitatem, quia juxta phrasim Chrysost. Hom. 24. super epist. 1. ad Cor. Quemadmodum Fermentum omnes partes farinæ ad se trahit, & in unam massam compaginat,

nàt, sic, mediante Euchariſtia, in qua Fideles Carnem Chriſti ſumentes unum cum eo efficiuntur, inter ſe quoque arctiſſima compage junguntur: at hoc quid confert ad probandum uſum Fermentati in Primitiva Eccleſia pro Euchariſtia conficienda?

230 Ultimum quod adducitur ex Alexàn. I. præterquam vetuſtiſſimum in Eccleſia Azymi uſum oſtendit, ſub Adriano quippè Imperatore an. Chriſti 120. Martyr occubuit, minimè probat, Fermentatum ante in uſu fuiſſe; illud enim Decretum, vel ad firmandam, & roborandam Apoſtolica ſanctione vetuſtam Azymorum traditionem, vel ad recidendum abuſum aliquem, qui fortaſſe paulatim in Latinam Eccleſiam irrepſerat adhibendi Fermentatum, formari potuit; eo pacto, quo à Pelagio I. Commemorationem Defunctorum in Eccleſia vetuſtiſſimam, & ab ipſomet Alexandro aquam luſtralem ſtatutam legimus, etiamſi hæc in Conſtitutionibus Clementis lib.8. cap.38. multò ante ſancita legantur.

231. Nec movere debent verba Platinæ: *Sicut ante fiebat*: Illa enim non ad Fermentum, ſed ad Azyma ſunt referenda. Cum enim aliqui à priſco more à Chriſto, & Apoſtolis accepto, de Azymis adhibendis recedere cæpiſſent, decretum eſt, Azyma, ſicut antea fiebat, retineri. Cæterum eodem motivo Ebionitis reſiſtendi Eccleſia Orientalis Fermentatum introduxit, ne cum ipſis Judaizantibus convenire videretur, ac in eo, quem aſſumpſit more, conſtanter perſeveravit, ſalva tamen fraterna cum Occidentali ſervata uſque ad fatale ſchiſma, quo nunc ab ea ſejungitur, unitate. Occidentalis verò Azyma tueri cenſuit, & adhuc ſervat innocua, ne ob ſtultorum, & impio-

impiorum Hominum inania dicteria, quam à Christo Domino, & Apostolis acceperat, consuetudinem derelinquere culparetur.

ARTICULUS OCTAVUS

Nonnullæ Quæstiunculæ enodantur.

232. Quæres I. An graviter Græci delinquant in usu Azymorum Ecclesiæ Romanæ ritum sequi detrectantes?

233. Resp. cum Græci ex Leone IX., & Florent. permissionem nacti sint Ecclesiæ suæ consuetudinem servandi incolumem, quam quidem Innocentius III. in Lateranensi IV. ratam voluit, nec eam posteriores Pontifices umquam revocaverint, sed potiùs confirmaverint; utique ex hoc præcisè minimè delinquere. Si tamen obfirmato sint animo morem suum retinendi, Romano licèt contradicente Pontifice, tunc graviter ipsos peccare dicendum est ob pertinaciam, qua legitimo Superiori in oppositum præscribenti obtemperare detrectant.

234. Quæres II. An Sacerdos Latinus in Fermentato conficiens graviter delinqueret?

235. Resp. Sacerdotem Latinum inter Latinos versantem in Fermentato celebrantem graviter peccare, cum ab eo nedum vetustissima Ecclesiæ suæ consuetudo, sed etiam Decreta Pontificum id expresè vetantium in re gravi violentur, nisi magna urgeat necessitas, ob quam Leges omnes humanæ, qualis etiam ista de Azymo, & Fermentato censenda est, minimè obstringunt. Si autem inter Græcos versetur, adhuc morem Ecclesiæ suæ retinere debet, nisi, ut superius dixi, magna, & inevitabilis urgeat necessitas, qua sola in quocumque

loco

loco fit, ut in Fermentato conficere valeat, dispensatur, ut si esset non peregrinus, sed incola, nec propriam haberet Ecclesiam, in qua liberè posset Ritu suo conficere; ita discurrit Cardinalis de Lauræa in 4. Scoti, Disput. 18. art. 2. n. 44.

236. Quæres III., utrum Sacerdos Græcus in Azymo consecrans peccaret?

237. Resp. Negativè. Nam ex Doct. Subtil. 4. Dist. 11. Quæst. 6. Privilegiatus non tenetur uti privilegio, sed observare potest Legem rigidè statuentem. Cum ergò Romana Ecclesia jusserit, à Latinis in Azymo confici, Græcos verò Fermentato uti permiserit; sicut non peccarent Græci omnes, si hujusmodi Legi positivæ obtemperarent, Decreto permissivo minimè utentes; ita nec Sacerdos particularis si scandalum abesset: eo pacto, quo non peccassent Judæi, non repudiando uxorem minus gratam, etiamsi hujusmodi permissione, ob eorum duritiem Matth. 19. 8. gauderent. Ita præfatus Cardinalis loco cit. n. 45. & 46. dummodo scandalum absit. Non desunt tamen, qui censeant, Sacerdotem Græcum apud suos existentem peccare, si Azymis uteretur, eo quia ritum Ecclesiæ suæ, in qua actu versatur, & quem jubetur servare, dum inter Græcos degit, omittit.

SECTIO SECUNDA

An Vinum ex Uvis siccis aqua dilutis expressum ad Sacri Calicis consecrationem sit materia sufficiens?

238. Abyssini, & Æthiopes Calicem Sacrum consecrantes, etsi in cæteris nequaquam errent, umorem tamen quemdam ob

ob veri Vini inopiam ex Uvis ficcis aqua dilutis expressum adhibent, existimantes, hoc sufficere ad Sacramentum verè conficiendum. Videndum est, an hujusmodi humoris usus, quem veri Vini usualis inopia induxit, valeat sustineri?

ARTICULUS PRIMUS

Quædam prænotantur scitu digna.

239. NOtandum I. hìc supponi debere, materiam Sacri Calicis Eucharistici Vinum esse verum, proprium, & usuale, non autem cujuscumque alterius generis liquores; ut sacræ nedum Literæ, sed Concilia quoque unanimiter ostendunt; inde ortum est, oblationes pro Sacramentis conficiendis in Primitiva Ecclesia fieri consuetas præter Panem, Vinum, & Aquam fuisse rejectas, de Consec. Dist.2. Hinc Æthiopes ipsi sensus Ecclesiæ memores humorem illum, quem confectioni Sacramenti sufficere arbitrantur, ex Uvis tantum, non autem ex aliis fructibus extrahi posse, meritò existimant.

240. Notandum II. Hujusmodi Uvas siccas in duplici statu posse spectari. Primò quatenus, etsi liquorem pristinum, & vividum amiserint, non adeo tamen aruerunt, utsi torculari immediatè premantur, verum, & proprium Vinum, quamvis in minori quantitate, ac longè fortius emittant. II. Quatenus Uvæ hujusmodi ob diuturnam concoctionem naturalem, aut violentam, ita siccæ factæ sunt, ut nihil veri, & naturalis liquoris in acinis recludatur, quod consuetis extractum instrumentis, verum, proprium, commune; & usua-

& usuale Vinum dici queat. Nulla est in primo sensu difficultas, sed benè in secundo; maximè quia Uvæ illæ aquâ nedum madefiunt, sed fiunt crassiores.

ARTICULUS SECUNDUS

Dicendum est, Vinum ex Uvis siccis modo explicato expressis, & aqua delibutis, non esse sufficientem materiam ad validam Sacri Calicis consecrationem.

241. Prob. breviter primò: nam verum Vinum usuale, quod in conviviis propinatur, & usu omnium quotidiano adhibetur, atque in Divinis Scripturis pro Vino accipitur, est illud, quod immediatè ex Uvis maturis exprimitur, & per varias decolationes à fæcibus expurgatum usui omnibus communi deservit: hujusmodi enim Vino, dum Paschale fieret Convivium in ultima Cœna, Sacramentum Eucharistiæ instituens Christus Dominus usus est: at Vinum ex Uvis siccis expressum, & aqua dilutum, non est Vinum usuale, verum, & potabile, eo pacto, quo fit in praxi communi, adhiberi consuetum, ut experientiâ ipsâ, & quidem apud omnes Nationes Vino utentes, perspicuè docemur: neque hoc indiget probatione: igitur Vinum illud ex Uvis siccis aqua dilutis, sicuti verum Vinum non est, ita nec materia pro Sacramento Eucharistiæ conficiendo sufficiens.

242. Neque dicatur, inopiam veri Vini excusare ab hoc præcepto, dummodò substantia ex vite extracta habeatur.

243. Contra enim est; tum quia inopia numquam efficit res aliquas esse aptas, quæ tales

les non sunt ex institutione Sacrâmenti : tum-quia, sicut Æthiopes inopiâ laborant veri Vini usualis, ita quoque Panis triticei usualis; & tamen Panem non triticeum minimè putant sufficere pro Eucharistiæ valida consecratione.

244. Prob. II. Quia aqua naturalis usualis, & communis, non autem humor ex aqua distillatus, etiam secundum Æthiopes est Baptismi necessaria materia; ergò etiam Vinum commune, usuale, ex Uvis primò extractum est materia Consecrationis Calicis, cum de utraque Scripturæ, Patres, & Concilia eodem prorsus modo, quoad necessitatem loquantur.

245. Prob. III. Quia humor ex Vino ipso extractus, vulgo *Aquavita*, nuncupatus, etsi substantiam ipsam subtiliorem contineat; quia tamen non est Vinum ipsum usuale, quod à vite immediatè trahitur, à nemine censetur materia sufficiens pro Sacramento conficiendo: ergò multò minùs humor ille ex Uvis siccis eductus esse poterit materia Sacramenti, cum modicissimam imò nullam Vini substantiam in se habeat; alioquin humor ex ipsamet vite per distillationem eductus æquè posset sufficere ad Calicis consecrationem, quod profectò nemo dixerit.

246. Prob. IV. Nam mixtio aquæ Uvis siccis aut tollit omnino substantiam Vini, aut saltem magna ex parte debilitat; ergò humor ille violenter expressus nequit esse materia, hujus Sacramenti. Prob. conseq. nam Vinum ipsum usuale, quod majori ex parte aquam contineret, sicut veram rationem Vini amitteret, ita nec sufficeret pro Sacramento conficiendo; ergò etiam humor iste ex Uvis siccis extractus, etiamsi sustineretur veræ Calicis consecrationi

suffi-

sufficere, quia tamen major pars aquæ in eo prævalet, eisdem Uvis infusa, non potest sufficere pro valore Sacramenti.

147. Quapropter concludendum est, hujusmodi humorem, aut nullo pacto Sacri Calicis materiam esse sufficientem: aut saltem dubiam, adeoque in praxi minimè ponendam; ne in propositionem primam ex 65. ab Innoc. XI. proscriptis incidamus, ita sonantem: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet Lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.*

ARTICULUS TERTIUS

Solvuntur Objectiones.

248. OBji. I. Humor ex Uvis siccis extractus est verum Vinum usuale; ergò sufficit pro sacri Calicis consecratione. Conseq. patet; Prob. ant. Uvæ recentes non differunt substantialiter à siccis; ergò sicut humor expressus ex Uvis recentibus est verum Vinum usuale, etiam ille, qui à siccis exprimitur, erit Vinum usuale: hinc in nonnullis Regionibus Uvæ meliores exsiccantur, ex quibus elicitur Vinum optimum in conviviis Magnatum propinari consuetum.

249. Conf. Farina expressa ex tritico veteri non differt specie etiam usualiter à farina expressa ex tritico recenti, cum ex eo fiat Panis usualis; ergò etiam humor ex Uvis siccis expressus est ejusdem speciei etiam usualiter cum illo,

illo, qui extrahitur ex Uvis recentibus, cum utrobique eadem ratio appareat.

250. Resp. neg. ant., ad cujus probat. negari potest ant. Nam Uvæ siccæ nullum continent humorem, quem continent recentes, sunt quippe cadavera sicca Uvarum, non autem veræ Uvæ. Nihilominus con. ant. neg. conseq. Nam humores isti, etsi non differant substantialiter physicè, differunt tamen moraliter, & in esse usuali, & communi, eo pacto, quo pasta non differt substantialiter à Pane in clibano cocto, & tamen nemo dicit, pastam esse Panem illum, qui communiter comeditur, & in mensis adhibetur: Christus autem pro materia Sacramenti non humorem quemcumque Vini speciem habentis instituit, sed Vinum commune, usuale, & quotidianum ex Uvis recentibus extractum, quale profectò non est humor ille, quo Abyssini utuntur.

251. Eo vel maximè, quia humor ille non est purè id, quod extrahitur ex Uvis, sed aqua etiam, qua Uvæ diluuntur, quæ, cum sit potior pars illius humoris extracti, aqua potiùs humore tincta dicenda est, quam humor ipse. Idcircò autem Vinum ex Uvis siccis apud Europæos elicitur naturale, quia nec aqua miscetur Uvis, nec Uvæ adeò exsiccantur, ut humorem proprium, & naturalem amittant, etsi Vinum non ita abundè præbeant, sicut magis recentes.

252. Ad Conf. neg. conseq. & disparitas patet; nam concoctio tritici non ita medullam ejus exsiccat, ut destruat, cum solida sit, non fluida: concoctio autem uvarum nimia, nedum exsiccat, sed destruit: ipsa quippe liquida est, & spiritibus volatilibus constat, qui facile nimio calore evanescunt, & exhalant,

ut

ut vel nihil, vel minimum liquoris supersit; hinc Æthiopes defectum hunc aquâ supplent.

253. Obji. II. Tumquia humor ille habet accidentia Vini, ita ut Vinum appareat: Tumquia humor ille ex vite extrahitur; ergò sufficit pro materia Calicis; quandoquidem Christus numquam in Evangelio, dum Sacramentum Eucharisticum instituit, Vini mentionem facit, benè verò liquoris ex vite extractinam Matth. 26.27. cum, instituto Sacramento, Calicem Apostolis porrexit, dixit solummodo: *Bibite ex eo omnes*: post verba consecrationis v. 29. subditur: *Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis* (ubi Arabicus vertit: *De succo hujus vitis*) *usque in diem illum, quo illud bibam vobiscum in Regno Patris mei*. Hìc loquitur Christus de liquore contento in Calice Apostolis porrecto, quem dicit esse de genimine vitis, idest à vite extractum: at etiam humor, quo utuntur Æthiopes, est à vite extractus, & de genimine vitis; ergò ex Christi instituto sufficit pro materia Calicis.

254. Resp. ad primum Objectionis articulum, humorem illum habere quidem aliqua, sed non omnia, nec præcipua Vini accidentia, cùm vigore, sapore, ac suavitate veri Vini careat. Sicut ergò, etsi aquæ artificiales aliquo pacto veris assimilentur, adhuc tamen pro materia Baptismi non sufficiunt; ita nec humor ille ob umbratilem quamdam cum vero Vino conformitatem retinens pro consecratione Calicis ullo pacto sufficiet.

255. Secundus verò facilè solvitur: nam humor ille aquâ mixtus non trahitur ex vite, cum aqua sit potior. Deinde falsa infertur conseq. nam etiam Aquavita extrahitur ex Vino, & ex Vite, cum tamen ad Calicis consecratio-

nem minimè sufficiat. Falsum est quoque, Christum Dominum Vini mentionem non facere; nam accipiendo, & præbendo Apostolis Calicem, Vinum denotabat in Calice inclusum, sine quo convivia nulla fiunt, & multò minùs solemnia Judæorum, in quibus optimum Vinum propinabatur, & à Patrefamilias in solemnitate Paschalis omnibus post se hauriendum in eodem Calice porrigebatur, apud Cornelium Alapide super cap.22. Lucæ. Cum verò dixit Christus: *Non bibam amodo de hoc genimine Vitis*, satis per ly *Hoc* Vinum Calice inclusum denotat in Sanguinem Christi conversum, quod sumi ab omnibus jubet, dicendo: *Bibite ex hoc omnes*. Cæterum etiamsi de genimine vitis absolutè Christus intellexisset, adhuc nihil evinceretur; cum de genimine vitis communi, usitato, atque in conviviis, & cœnis, nedum solemnibus, sed etiam privatis ab omnibus adhibito loquatur, quod sanè non est humor ille ex Uvis siccis aquâ dilutis extractus.

SECTIO TERTIA

Utrum ante Sacri Calicis Consecrationem Aqua Vino sit miscenda?

256. AQuam puram non esse Calicis materiam, exploratum est; oppositum enim in Aquariis Hæreticis, de quibus Epiphan. Hæres.30., & August. Hæres.64., & Hidroparastis, quorum meminit Theodor. lib.1. Hæretic. fabul. Ecclesia damnavit, & statuit ex Scripturis, & Apostolica Traditione, Vinum requiri: ipsâ verò Aquâ Vino permixtâ opus esse, non ex Christi præcepto, sed exemplo, & Ecclesiæ vetutissima consuetudine no-

vimus

vimus. Armeni, etsi antiquitus hunc Ecclesiæ morem exactè custodirent, falsorum tamen Magistrorum persuasione decepti, oppositum tenent, & observant. Videndum est, quantum à sensu Ecclesiæ in hoc Armeni deflectant?

ARTICULUS PRIMUS

Dicendum est, in Calicis consecratione, Aquam Vino misceri oportere, ita ut omissio ejusdem sit grave peccatum.

257. OStenditur I. Ex Liturgiis antiquissimis, ut Sancti Petri Apostolorum Principis ita sonantis de Celebrante: *Quando commiscet sanguinem,* (idest Vinum), *& aquam, dicit: unus militum lancea latus ejus pupugit, & exivit sanguis, & aqua, mundi salutis scaturigo.* Illa Sancti Jacobi: *Deinde accipit Calicem, & dicit, similiter postquam cænavit, accipiens Calicem, & permiscens ex Vino, & Aqua, & aspiciens in Cœlum &c.* Illa Sancti Marci: *Similiter & Calicem postquam cænavit accipiens, factaque, Vini, & Aquæ commixtione, suspiciens in Cœlum gratias egit.* Ex quibus Liturgiis nedum habetur, Aquam misceri Vino oportere, sed hoc ipsum à Christo Domino fuisse factum; ergò ex consuetudine Ecclesiæ, & Christi quoque exemplo, idipsum faciendum est.

258. II. Favent vetustissimi Romani Præsules veritatis testes, ut Clem. Rom. lib. 8. Constit. Cap. 12. *Similiter & Calicem, postquam miscuit ex Vino, & Aqua, & sanctificavit, dedit Discipulis suis &c.* Alexand. I. Papa epist. 1. Cap. 4. ubi dicit: *In Calice Domini*

non debet aut Vinum solum, aut Aqua sola offerri: sed utrumque permixtum, quia utrumque ex Latere ejus in Passione sua profluxisse legitur. Anicetus ex Burchar. lib. 5. cap. 29. Part. 2. Cap. 32. *Diligenter observetur ut Panis, Vinum, & Aqua, sine quibus Missæ nequeunt celebrari, mundissimè, atque studiosè tractentur*. Eadem, & luculentius scribunt Julius I. ad Episcop. Egypti relat. de consec. Dist. 2. cap. 7. Innoc. III. lib. 2. de Myst. Missæ cap. 58. Honor. III. Cap. *Perniciosus* de celebrat. Miss. ergò ex Summis Pontificibus, qui rem hanc mysteriis afferunt refertissimam, Aqua Vino in Sacrificio Altaris miscenda est.

259. III. Ex Conciliis idem patet, Ecclesiæ mentem, & usum antiquissimum exhibentibus. Quantum enim ad Provincialia habemus Carthag. III. cap. 24. Bracar. III. cap. 1. Aurelian. IV. cap. 4. Wormatien. cap. 4. Triburien. cap. 19. Antissiodoren. cap. 8. Sisense, & Adanense, in quibus materia hæc exprofesso tractata est, Armenorumque objecta dissoluta, ac sub gravissimis pœnis sancitum, ne quis absque Aquæ mixtione Sacrificium Missæ celebrare præsumeret. Ex Generalibus verò Synodis occurrit primò Trullana; quæ tametsi legitima nequaquam censeatur, magni tamen fit ab Orientalibus, & plura continet sanctissima, & sapientissima Decreta: Can. igitur 32. asserit, morem miscendi Aquam Vino Apostolicum esse à Sanctis Patribus retentum, ab omni semper Ecclesia custoditum, ac novitatis reum esse, qui Aquam Vino miscere respuit, & concludit: *Si quis ergo Episcopus, vel Presbyter non secundum traditum ab Apostolis Ordinem facit, deponatur, ut imperfectè, ac simpliciter mysterium enuncians, & quæ tradita sunt innovans.*

Flo-

Floren. in Instruc. Armen. §. *Tertium est*, nempe Eucharistia, *cujus materia est Panis triticeus, & Vinum de vite, cui ante Consecrationem Aqua modicissima admisceri debet. Aqua enim ideò admiscetur, quoniam, juxta Testimonia SS. Patrum, ac Doctorum Ecclesiæ pridem in Disputatione exhibita, creditur, ipsum Dominum in Vino Aqua permixto hoc instituisse Sacramentum*: subdit deinceps, cum dixisset ab omnibus Ecclesiis morem hunc semper servatum, & servari: *Decernimus igitur, ut etiam ipsi Armeni se cum universo Orbe Christiano conforment, eorumque Sacerdotes paululum Aquæ* (prout dictum est) *admisceant Vino*. Quod quidem etiam in Triden. sess. 22. cap. 7. sancitum est; ergò ex Decretis Ecclesiæ Aqua Vino miscenda est.

260. Nec desunt Patres etiam Orientales; Basilius in Anaphora, cum Panis consecrationem à Christo habitam retulisset, subdit: *Similiter & Calicem Vini, postquam cœnaverunt, accepit, miscuitque Aquis, gratias egit, benedixit, sanctificavit, & gustavit, & divisit Discipulis suis, & Apostolis sanctis dicens &c.* Chrysost. in Liturgia: *Et unus militum lancea Latus apperuit, & exivit Sanguis: ad infusionem Vini dicit Sacerdos (& addens aquam dicit) & Aqua*. Justin. Martyr Orat. ad Antoninum Pium: *Precibus finitis, nos invicem osculis salutamus. Deinde ei, qui Fratribus præest, affertur Panis, & poculum Aquæ, & Vini, quibus ille acceptis, laudem, & gloriam rerum universarum Patri per Nomen Filii, & Spiritus Sancti offert.* Similia proferunt Theodor. Dial. 1. Proclus Constantinop. de Ordin. Div. Litur., German. Constantinop. Præsul Doctrina, sanctitateque celebris in Theoria. Damascen. de

Fid. Orthodox. lib.4. cap.14. & Alii, quos cumulat Coccius in Thesaur.Cathol. tom.2.lib.6. art.13. igitur Patres, Concilia, & Ecclesia universa censent, Aquam in Sacrificio Altaris Vino misceri oportere, Christi quoque exemplo præeunte.

261. Suppetunt quoque rationes, non quidem demonstrativæ, sed congruentes I. Quia Calix Eucharisticus in veteri Testamento, nedum per Vinum, quo Hebræi in variis Sacrificiis utebantur, & Melchisedech obtulit, Genes. 14. 18.; verum etiam in Aqua, quæ fluxit de petra, 1. Cor. 10. fuit præfiguratus; ergò etiam ipsemet Calix in veritate Aquam debuit continere, & Vino misceri. Ita discurrit Ambrosius de Sacramentis lib.5. cap. 5.

262. II. Quia sic exprimitur mysterium, quo ex Latere dissecto Christi in Cruce pendentis Sanguis, & Aqua manarunt, Joan. 19. 34.: in Pane enim Corpus ut mortuum, in Calice autem Sanguinem ut effusum repræsentamus. Cum ergò ex Latere Christi Sanguis, & Aqua fluxerit, ad hoc significandum, Aquam, & Vinum pro materia Calicis adhibemus. Hac ratione utitur Alexander Papa in cit. Decreto, & Alii.

263. III. In mysterio Eucharistiæ significatur Ecclesiæ cum Cristo conjunctio: id autem fit, Aquam, qua in Scripturis Populi significantur, & Vinum, quo Christus denotatur, inter se commiscendō, etsi vera unio non fiat tunc, sed, Eucharistiâ peractâ, nec non sumptâ. Rationem hanc versant Brachar. Tribur. Floren. Cyprian. & Alii.

264. IV. Eucharistia cibus est, & potus spiritualis Animæ, ac propterea sub speciebus Panis, & Vini propinatur cum analogia ad ci-

cibum, & potum corporalem: potus autem corporalis sumi consuetus non est Vinum simpliciter, sed dilutum, ex Clem. Alexand. lib. 2. Pedagog. Cap. 2.; igitur etiam in confectione Calicis idipsum faciendum est. Istæ tamen, ut dixi, congruentiæ sunt, non demonstrationes; unica ratio est Ecclesiæ præceptum, & consuetudo.

ARTICULUS SECUNDUS

Solvuntur Objecta.

265. OBji. I. Ritus hujusmodi Aquam Vino miscendi in Calicis consecratione Hæreticis præbet ansam errandi, atque in errore permanendi; denotatur quippè nedum unio Humanitatis cum Divinitate, sed earumdem permixtio, quod est Eutychianorum error; ergò admitti non debet.

266. Accedit, mixtionem Aquæ cum Vino aliquid impurum significare: hinc Isaiæ 1. 23. de Hebræis dicitur: *Vinum tuum mixtum est Aqua*; ergò in Sacramento puritatis, quale Eucharistia censetur, purum Vinum adhibendum, purum Christi Sanguinem significans.

267. Resp. Sive ponatur Aqua mixta, sive purum Vinum, Eutychis Discipulos non posse ansam sumere erroris unicam naturam in Christo admittendi: itaque ne. conseq.; ansa enim illa irrationabiliter sumitur, cum fundamenta vigeant in oppositum: nam mixtio Divinitatis cum Humanitate est impossibilis, & in Scripturis satis patet, cum unitate Personæ in Christo stare optimè diversitatem Naturarum.

268. Id verò, quod subditur, levissimum est, cum eadem res in Scripturis in bonam, &

in malam partem sumatur! Sic Leo Christum Dominum significat, Apoc. 5.5., & Diabolum 1. Petr. 5. 8.

269. Obji. II. Aqua est signum Regenerationis baptismalis, ex Innoc. III. de Off. Miss. ergò Vino non est admiscenda: Sacramenta enim confundi non debent; ergò nec signa Sacramentorum: at Aqua Regenerationis signum est, Vinum Redemptionis per Sanguinem in Calice fundendum; ergò ista duo signa confundi non debent; ergò nec misceri.

270. Resp. neg. conseq., & conseq. probationis. Nam Aqua, quæ ex Christi Latere fluxit, fuit cum Sanguine impermixta; & ideò duo Sacramenta per Aquam, & Sanguinem designari potuerunt: Aqua verò, quæ miscetur cum Vino, unum tantum significat Sanguinem. Nec repugnat, Aquam sub diverso statu plura significare; quo circa signa Sacramentalia minimè confunduntur; diversis quippe affecta circumstantiis, diversimodè in significando se habent.

271. Obji. III. Eucharistia est mortis Christi Domini signum repræsentativum, ex 1. Cor. 11. 26.; ergò in ea nulla Aquę mixtio fieri debet, sicuti in morte Christi nulla facta fuit Aquæ mixtio cum Sanguine, ex ejus quippe Latere fluxit à Sanguine separata.

272. Conf. Quia non remanent species Aquæ Vino mixtæ, sicut remanent species Panis, & Vini, confecto Sacramento: Aqua enim in Vinum convertitur; ergò non debet fieri ista mixtio Aquæ cum Vino, alioquin deberent remanere species Aquæ, sicut remanent species Panis, & Vini.

273. Resp. conc. ant., & neg. conseq., & paritatem: mixtio enim Aquæ cum Vino mortem

tem Christi minimè repræsentat, sed ejusdem cum sua Ecclesia unionem, benè verò Sanguis in Eucharistia incruentè effusus. Idcirco autem vera Aqua cum Sanguine impermixta è Latere Christi manavit, quia Baptismum præfigurabat ab aliis Sacramentis distinctum; adeoque opus non erat, hoc præfigurari, benè verò unionem Christi cum Ecclesia per Sacramentum indicata.

274. Ad Conf. neg. conseq. nam Aqua, priusquam fiat conversio, in Vinum mutata est ejusdem igitur species non debent remanere; & ideò potest retinere significationem suam distinctam ab illa, quam habet, cum Vino miscetur.

275. Quæres I. An domi Aquam Vino permiscens præcepto Ecclesiæ satisfaceret?

276. Resp. Negativè: Concilia enim, & Patres citati non quamcumque mixtionem præscribunt, sed sacram in Sacrificio conficiendam, quæ talis non esset, si domi fieret, aut in dolio, ac proindè Minister Ecclesiæ ita agens præcepto adversaretur, graviterque delinqueret.

277. Quæræs II. An reipsà peccaret, & quo genere peccati, qui hujusmodi mixtionem sciens, & volens omitteret?

278. Resp. Graviter, & læthaliter peccaturum: antiquissimæ enim consuetudini, Ecclesiæ præcepto in re gravi, ac ipsiusmet Christi exemplo contrairet: Patres verò morem hunc tamquam rem magni momenti tradiderunt, ut colligitur ex pœna depositionis violatoribus à Concilio Trullensi imposita Can. 32. quocirca nemini dubium esse debet, quin grave peccatum sit inobedientiæ, quia præcepta Ecclesiæ in re gravi franguntur; & contra Re-

G 5 ligio-

ligionem, quia Ritus omitteretur ad Religionis decorem ordinatus.

SECTIO QUARTA.

Utrum forma in Eucharistiæ confectione à Græcis adhibita valida sit, & legitima?

279. GRæci in sua Liturgia, postquam verba consueta in Missæ Sacrificio protulerunt consecratoria Panis: *Hoc est Corpus meum*: & Calicis: *Hic est Calix Sanguinis mei*: hæc alia: *Fiat hic Panis Corpus Christi, & hoc Vinum Sanguis Christi*, cum aliis precibus superaddunt. Orta est difficultas non modica, utrum hujusmodi verba in Liturgia superaddita necessaria sint necessitate Sacramenti, vel solius Præcepti? Latini, & Græci Catholici putant, verba omnia Canonis juxta unius cujusque Ecclesiæ morem citra peccatum omitti non posse: attamen, si verba ipsa Christi Consecratoria, quæcumque illa sint, quibus transmutatio Panis in Corpus, & Vini in Sanguinem practicè significatur, omissis cæteris aliis, proferantur, adhuc validè confici Eucharistiam. Græci autem Heterodoxi, & Discipuli Nicolai Cabasilæ in explicat. Liturg. cap. 29. & Marci Ephesii, magni illius schismatici in Florentino jam sopiti incendii Excitatoris Lib. de Verb. Consecrat., quos Bessarion. Epist. 3. ad Lascarem Philantropenum de Eucharistia viriliter insectatur, aut errore decepti, vel prurigine Latinos carpendi excitati, arbitrantur, ita verba hujusmodi esse necessaria, ut, iis omissis, Sacramentum sit omnino invalidum.

280. Notandum est, fateri quidem Cathocos, verba, quibus fit Consecratio, Christi

Domi-

Domini esse; non tamen omnia æquè veluti necessaria requiri, sed ea solummodò quæ practicè conversionem Panis in Corpus, & Vini in Sanguinem sufficienter exprimunt; & quidem non ea præcisè, quæ in uno Evangelista, vel in Paulo leguntur; sed vel illa, vel alia ex aliis Evangelistis, collecta vel ex Traditione hausta, dummodo verba Christi sint, cum Evangelistæ in omnibus verbis à Christo in Calicis consecratione adhibitis minimè conveniant.

ARTICULUS PRIMUS.

Dicendum est, verba, quæ à Græcis post Consecrationem adduntur, necessitate Sacramenti ad ejusdem validitatem minimè requiri.

281. Ostenditur breviter: nam iis verbis fit Sacramentum, quibus usus est Christus in eo conficiendo, & à nobis adhiberi præcepit: neque enim meliùs colligi potest, in quonam Sacramenti forma consistat, quam ex ipso exemplo, & præcepto Christi: at ipse in Eucharistiæ confectione usus est non verbis à Græcis superadditis, sed iis, quibus in Panis consecratione Latini utuntur, nempe: *Hoc est Corpus meum*, & in consecratione Calicis: *Hic est Calix Sanguinis mei*; ergò, positis illis, ponitur Sacramentum integrum, & perfectum; ergò verba subsequentia Græcorum, cum nihil efficiant, sed effectum supponant, non sunt simpliciter necessaria ad validitatem Sacramenti: Hinc Paulus 1. Cor. 11. 24. ait, dixisse statim Dominum, prolatis verbis Consecrationis: *Hoc facite in meam commemorationem*, & hoc per modum mandati, priusquam quidquam adderetur; ergò supponitur, post illa

verba prolata completum, & integrum Sacramentum.

282. Ulterius, illa sola verba sunt necessaria necessitate Sacramenti, quibus effectus præsens, non futurus enunciatur, cum sint factiva, & practica, quod est omnibus Sacramentis commune: at verba: *Hoc est Corpus meum*: *Hic est Calix Sanguinis mei* enunciant practicè, non de futuro, ut faciunt preces Græcorum, existentiam Corporis Christi, ejusque Sanguinis sub speciebus Panis, & Vini; ergò verbis illis tantummodo, non aliis posterioribus fit Sacramentum integrum, & perfectum: alioquin verba illa Christi falsa essent, & falsum enunciarent, quod absurdum est.

283. Rursus: Sacerdos in conficiendâ Eucharistia ipsammet Christi Personam repræsentat: Hinc Ambros. Lib. 4. de Sacram. cap. 4. *Cum venitur, inquit, ut conficiatur Venerabile Sacramentum, jam non suis sermonibus Sacerdos, sed sermonibus utitur Christi*: Si autem preces subsequentes essent necessariæ, ut Græci prætendunt, Sacerdos non ageret Personam Christi, sed propriam; Christi quippe sermonibus non uteretur; ergò validitas Sacramenti in precibus subsequentibus minimè consistit, sed in antecedentibus, quibus Christus usus est, & Latini, Græcique Catholici utuntur, ut Simeon Thessalonicen. Antistes, Cabasilæ non minus erroris, quam sedis successor in enarrat. Miss., & Cabasilas ipse in Explicat. Liturg. cap. 30. fateri coacti sunt, apud Bessarion. Epist. 3. ad Philant. Hæc ex Scripturis.

284. Ostenditur II. Idipsum ex ipsamet Ecclesiæ Traditione, quæ semper tenuit, verbis solummodo, quibus Christus usus est, Eucharistiam confici: hinc ex antiquissima consuetudi-

tudine statim post Consecrationem, & ante preces subsequentes Eucharistia Adstantibus proponitur adoranda nedum à Latinis, sed etiam à Græcis, diverso tamen Ritu: Latini enim, prolatis secretò verbis Formæ, Oblata in altum elevant, & Populo ostendunt se prosternenti: Græci autem alta voce verba Formæ proferunt, & statim priusquam Sacerdos alia verba subsequentia proferat, Diaconus Oblata Populo ostendit exclamanti: *Amen*: quo verbo veluti confirmando testantur, sub speciebus illis Corpus, & Sanguinem Christi per verba antecedentia introducta venerari.

285. Hujusmodi veritatem Patres quoque vetustissimi Primitivæ Ecclesiæ confirmant. Nissen. Orat. Cathec. apud Eutim. in Panob. Tit. 22. *Panis*, inquit, *statim per verbum mutatur in Corpus, ut dictum est, verbo: Hoc est Corpus meum*. Cyril. Jerosoly. Cathec. 9. *Cum igitur Christus sic affirmet de Pane: Hoc est Corpus meum: quis deinceps audet dubitare? Ac eodem quoque confirmante, atque dicente: Hic est Sanguis meus: quis unquam dubitet, & dicat non esse illius Sanguinem?* Chrysost. Hom. 2. in 2. ad Timoth. *Quemadmodum verba, quæ locutus est Christus, eadem sunt, quæ Sacerdotes nunc quoque pronunciant; ita & oblatio eadem est*. Similia scribunt Justin. Mar. Apol. 2. ad Antoninum Pium, Iræneus lib. 5. cap. 2. Cyril. Alexand. Epist. ad Calosyr. Damascen. de Fid. Orthodo. lib. 4. cap. 14. ipse Chrysost. Hom. de Prodit. Judæ, quorum posteriores duo addunt similitudinem, quod sicuti solius Dei Omnipotentis præcepto, dum ait, *Fiat Lux*, facta est lux, & cæteræ Creaturæ; ita nunc, cum per verba Sacerdotis dicat Deus: *Hoc est Corpus meum: Hic est Sanguis meus*, eodem

pacto

pacto statim ex Pane, & Vino fit Corpus, & Sanguis Christi, per verba ipsiusmet Christi, Sacerdotum instrumento operantis; ergò Patres isti manifestè asserunt, per verba prolata à Sacerdote fieri illud idem, quod fecit Christus: ipse autem Panem, & Vinum per sola verba: *Hoc est Corpus meum: Hic est Sanguis meus*, in Carnem, & Sanguinem suum convertit, absque ullis subsequentibus verbis; ergò idipsum faciunt Sacerdotes.

285. Eodem pacto loquuntur Patres Latini, quorum immensam segetem congerere liceret: at duos tantum proferam, quos ipsimet Græci juremerito magni faciunt, nempe Sanctum Cyprianum Carthagin. Episcop. & invictissimum Martyrem de Cœn. Dom. hoc pacto differentem: *Hoc est Corpus meum; ante illa verba cibus ille communis tantum nutriendo corpori commodus erat; sed, ex quo à Domino dictum est: Hoc facite in meam commemorationem: hæc caro mea, hic est Sanguis meus; quotiescunque his verbis, & hac fide actum est, Panis iste substantialis, & Calix benedictione solemni sacratus ad totius mundi vitam, salutemque proficit, simul medicamentum & holocaustum.* August. serm. 28. de Verb. Domini ait. *Dixi vobis, quod offertur in Altari, Panis dicitur: Ubi verba Christi deprompta sunt, jam non Panis dicitur, sed corpus appellatur*; & Patres utriusque Ecclesiæ Orientalis, & Occidentalis in Synodo Florentina collecti in Instruc. Armen. §. *Tertium est Eucharistiæ Sacramentum*. Asserunt, quod, *Forma hujus Sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc conficitur Sacramentum; Sacerdos enim in Persona Christi hoc conficit Sacramentum: nam ipsorum verborum virtute substantia Panis in Corpus Christi, & substantia Vini in*

San-

Sanguinem convertuntur; ergò Patres omnes Ecclesiæ tenent, non precibus subsequentibus, sed solummodo verbis Christi, quæ à Latinis recitantur, Eucharistiæ confici Sacramentum.

287. Tandem aliqua ratione idipsum ostenditur: Tum quia Eucharistiæ Sacramentum, quod certissimum esse debet, à precibus merè humanis penderet, quod videtur absurdum, cum juxta August. cit. de consecrat. Dist. 2. Can. *Utrum*: *Non in merito Consecrantis, sed in verbo efficitur Creatoris, & in virtute Spiritus Sancti*. Tum quia Christus successivè Panem, & Vinum in Corpus, & Sanguinem transmutavit, ut patet ex Evangeliis, & Epistola Pauli 1. ad Cor. 11. Si autem vera esset Græcorum sententia, simul fieri deberet, cum unica sit utriusque conficiendi eorumdem forma. Tumquia forma Eucharistiæ ex puris verbis Domini conflata est, Græcorum autem ex aliis extraneis; ergò illa, non ista est vera forma Eucharistiæ, & vim sola habet convertendi Panem, & Vinum in Corpus, & Sanguinem Christi.

ARTICULUS SECUNDUS.

Solvuntur Græcorum Objectiones.

288. OBji. I. In Liturgiis vetustissimis Jacobi, Basilii, Chrysostomi verba deprecatoria, quæ à Græcis necessaria supponuntur, post Consecrationem recitari mos est; ergò vera Consecratio, & Confectio Sacramenti fit verbis à Græcis adhibitis. Ant. est certum citatas Liturgias inspiciendo. Prob. conseq. Quia si transubstantiatio per verba fieret antecedentia, essent ridicula, & inepta

con-

consequentia ; petereīt enim fieri, quod factum est: hoc autem asserere nimis injuriosum Patribus sanctissimis Ecclesiæ Orientalis videtur; ergò transubstantiatio fit non tantum verbis enunciativis Christi antecedentibus, sed etiam deprecativis subsequentibus Sacerdotis.

289. Conf. Quia Oblata, etiam post prolationem verborum Christi, Panis appellantur in præfatis Liturgiis, & rogatur Spiritus Sanctus, ut illa immutet; ergò supponitur Panis non adhuc conversus in Corpus Christi, alioquin stultè Panis immutaretur, & invocaretur Spiritus Sanctus, ut illa immutaret.

290. Resp. conc. ant., & neg. conseq. ad cujus prob. neg. maj. Non enim petunt preces illæ fieri, quod factum est; sed ut, quod factum est in nostram cedat utilitatem, ut ex ipsismet constat Liturgiis, in quibus per verba illa non innuitur physica Panis in Corpus Christi transmutatio, sed moralis in Animarum sanctificatione, fructuque Sacramenti consistens.

291. Ad Conf. dico, Oblata vocari non simpliciter Panem, sed Panem hunc, Panem Cœlestem, Panem Sanctum, eo pacto, quo Christus ipse illa appellabat Joan. 6. 32. *Pater meus dat vobis Panem de Cœlo verum. Qui manducat hunc Panem vivet in æternum.* Et ipsamet Liturgia nedum ante, sed etiam post verba, quibus Græci utuntur, appellat; rogatur verò Spiritus Sanctus, ut Panem immutet, non quomodocumque, & physicè, sed moraliter, quatenus fructum Sacramenti suscipientibus impertiat. At hoc nihil pro Adversarii concludit.

292. Obji. II. Ad validitatem Sacramenti non minus preces, & invocatio Sacerdotis,

quam

quàm ipsamet verba Christi requiruntur; denotant enim actionem Ministri, quà Minister est: sed preces, & invocatio fiunt post verba Consecrationis in Liturgia Græcorum; ergò preces, & invocatio, quæ recitantur à Græcis validitatem Sacramenti ingrediuntur; hinc Patres passim, ut Cyril. Jerosol. Cathec.5. Irenæus lib.4. cap.57. Cyril. Alexand. lib. 11. in Joan. c.24. & Alii docent, Sacramentum Altaris fieri mysticis precibus Divina invocatione, gratiarum actione, ac benedictione. Et profectò Christus Dominus omnia hæc habuit in confectione Eucharistiæ, ut ipsemet Textus Evangelicus apertè ostendit.

293. Resp. neg. maj. universaliter loquendo: quamvis enim in aliis Sacramentis requiratur invocatio Trinitatis, & alia, quibus denotatur actio Ministri, ut omnino ab aliis contradistincta; non tamen in confectione Sacramenti Eucharistiæ verum est, in qua Minister, non Ministri Personam agit, sed ipsiusmet Christi. Hinc Ambros. lib.4. de Sacram. cap.4. *Cum venitur, inquit, ut conficiatur venerabile Sacramentum, jam non suis sermonibus Sacerdos, sed sermonibus utitur Christi.* Et propterea precibus, invocatione, gratiarumque actione minimè opus est, sed sufficiunt verba proferentis Sacerdotis in Persona Christi.

294. Idcircò autem Patres asserunt, mysticis precibus, ac Divini Nominis invocatione fieri Sacramentum, non quia omnes illæ preces de necessitate requirantur; sæpè enim dixerunt, per sola Christi verba: *Hoc est Corpus meum: Hic est Sanguis meus*, confici Sacramentum; sed quia ex institutione Ecclesiæ ad dignè, congruè, ac licitè conficiendum necessariæ sunt.

295. Ne-

295. Neque ex hoc, quod Christus Dominus preces fuderit, gratias egerit, Panem fregerit, omnia ad necessitatem Sacramenti sunt referenda, sed illa sola, quibus ipsum Sacramentum confecit dicendo: *Hoc est Corpus meum: Hic est Calix Sanguinis mei*, quibus omnipotenti precepto Corpus, & Sanguinem Christi sub speciebus Panis, & Vini introduxit: non enim omnia, quæ Christus fecit, à nobis fieri oportet; sed ea solum, quæ ipse de necessitate præscribit; alioquin Cabasiliani validè non conficerent, eoquia gratiarum actio, quam habuit Christus, in eorum non legitur Liturgia.

296. Obji.III. Dionysius Areopag. de Eccles. Hierar. docet, Consecrationem fieri post illa verba: *Hoc facite in meam commemorationem*: at hæc verba dicuntur post illa: *Hoc est Corpus meum*: ergò Consecratio non fit verbis Christi; at hæc non sunt nisi preces Græcorum; ergò illis fit vera Consecratio, & consequenter Sacramentum.

297. Conf. Nam Damàscen. lib.4. de Fid. Orthodox. cap.4. cum sustinere vellet, Panem Eucharisticum non esse solummodo imaginem, & figuram Christi, sed ipsammet veritatem, objicit sibi Basilium appellantem in Liturgia Panem, & Vinum *Antitypa*, idest figuram Corporis, & Sanguinis Christi: hoc autem respondet esse verum ante consecrationem, non autem post illam, quo pacto loquitur quoque Epiphanius Diacon. pro Catholicis adversus Iconoclastas act. 6. Disput.; ergò uterque Panem, & Vinum, dum Antitypa sunt, putant non esse Sacrata: sed juxta Basilium *Antitypa* dicuntur post Consecrationem, & ante preces Græcorum: ergò Damàscenus, & Epiphanius ex Basilio censuerunt Conse-

cra-

crationem fieri per verba subsequentia Sacerdotis, non per antecedentia Christi; ergò &c.

298. Resp. Dist. min. Illa verba dicuntur nunc post verba Consecrationis, conc. min. tempore Dionysii neg. min., & conseq. tunc enim verba illa: *Hoc facite in meam commemorationem*, non dicebantur post illa; *Hoc est Corpus meum*, sed ante, ut ex Dionysii Liturgia perspicuum est; & propterea non sequitur Eucharistiam fieri verbis Sacerdotis, sed Christi, uti notat Tharasius Patriarcha Sanctissimus apud Diplovatac. in Synop. juris Græci Tit. de Sacram. Sec. de Eucharistia.

299. Ad conf. resp. Dist. mi. subsumpti: dicuntur *Antitypa* in sensu reduplicativo quasi tunc sint Antitypa, neg. min. specificativè conc. min., & neg. conseq. Itaque Basilius vocat Oblata *Antitypa* post Consecrationem, non quod tunc sint verè, & rigorosè *Antitypa*, seu figuræ Christi non adhuc præsentis, sed quæ erant ante *Antitypa*, nunc continent Corpus, & Sanguinem Christi, quod ex ipsamet Basilii Liturgia elicitur, ubi sic habet: *Propter misericordias, & miserationes tuas, quas affatim in nos effudisti, Sancto Altari appropinquamus, & cum proposuerimus, & obtulerimus Sacri Corporis, & Sanguinis Christi tui &c.* Ex quibus verbis apparet, verba illa: *Cum obtulerimus, & proposuerimus*, denotari Panem, & Vinum fuisse Antitypa dum offerebantur, idest ante Consecrationem, non autem post; & hoc tantummodo voluerunt Damascenus, & Epiphanius, censentes, Oblata posse *Antitypa* ante Consecrationem appellari, non verò post ipsam tunc enim veritatem, nempe Corpus, & Sanguinem Christi continebant.

300. Dici quoque potest cum Bellarm. lib. 2.

de Euchar. cap. 15., etiamsi Oblata vocentur post Consecrationem *Antitypa*, nihil officere: non enim significatur, Oblata tunc Corpus, & Sanguinem Christi minimè continere; sed Corpus, & Sanguinem Christi sub illo signo Symbola esse Christi pro nobis in Cruce immolati; vel à nobis in Cœlesti Convivio comedendi, & propterea Eucharistia *Antitypon* dici potest, quia figura est parum à veritate distans, ut à figuris Veteris Testamenti distinguatur, quæ *Typi* dicebantur, non *Antitypa*. Neque absurdum est eamdem rem esse sui ipsius imaginem sub diversa ratione.

301. Obji. IV. Ex hoc, quod preces Græcorum non sint ipsamet verba Christi, sed Sacerdotis, & absque illis sensus sermonis enuntiativus perfectè habeatur, non arguitur, eas esse minimè necessarias necessitate Sacramenti: nam verba illa: *Qui pridie quam pateretur, accepit Panem in sanctas, ac venerabiles manus suas*, non sunt profectò verba Christi, & tamen juxta Scotum 4. Dist. 8. Quæst. 2. cum Discipulis suis, sunt necessaria necessitate Sacramenti, sicuti in aliorum Theologorum sententia, ut D. Thom. 3. Par. Quæst. 78. art. 3.; & 4. Dist. 8. Quæst. 2. art. 1., & Sequacium, verba, quæ Calicis Consecrationem subsequuntur, nempe: *Novi Testamenti, qui effundetur in remissionem peccatorum*, sub eadem necessitate requiruntur; ergò etiam preces Græcorum, etiamsi sint Consecrationi posteriores, adhuc esse possunt necessariæ necessitate Sacramenti.

302. Resp. neg. ant., ad cujus probat. neg. conseq.: nam quamvis asseratur Scotus ita sensisse, quod tamen non est certum, cum dubitativè loquatur, & in oppositam in decursu sermonis sententiam declinare videatur; adhuc

tamen

tamen Adversariis nihil prodest: nam verba illa antecedentia non supponunt sermonem Christi, quo Sacramentum celebratum est, sed solummodo deserviunt ad connectenda verba sacri Textus cum sermonibus Christi, ut eisdem denotetur, Sacerdotem tunc incipere loqui sermonibus Christi, non propriis: at verba subsequentia Consecrationem nec sunt Christi sermones, neque deserviunt ad verba Scriptoris sacri connectenda: quandoquidem supponunt Sacramentum jam plenè confectum, clareque apparet, esse mera Sacerdotis deprecantis verba, non ad Christum introducendum, sed introductum directa: verba vero illa, quæ post Consecrationem dicuntur, quæ Objectio recitat, nec sunt purè enuntiativa, nec verba Sacerdotis, sed Christi, & ideo à nonnullis Theologis ad integrum sensum reddendum necessaria censentur, etsi communior Theologorum oppositum probabiliùs censeat, apud Magistrum nostrum Theol. Moral. Disput. 18. Quæst. 3. art. 1. Preces autem Græcorum Consecratione perfecta sunt posteriores, nec Christi sunt verba, neque ad perfectum sensum reddendum conferunt, sed solummodo integritati tanti Mysterii, majori expressioni, ac majestati sacræ actionis deserviunt; & ideò necessitate præcepti recitanda sunt, non Sacramenti.

303. Quæres, Utrum Sacramentum à Græcis Acatholicis modo proprio confectum, sit validum?

304. Resp. affirmativè. Etsi enim errent existimantes, verba Liturgiæ suæ formam esse Eucharistiæ, aut saltem ad Sacramenti validitatem requiri: attamen, quia verba quoque Christi proferunt, & totam illam prolixam Liturgiam recitando, & quod facit vera Christi

Eccle-

Ecclesia, efficere intendunt, validè revera faciunt: ponunt enim totum id, quod Christus voluit, & instituit, atque Ecclesia præscribit. Nec officit error eorum privatus, qui universalem totius Ecclesiæ intentionem nequaquam aufert; alioquin Sacramenta ab Hæreticis collata minimè subsisterent, quod apertè falsum est. Si tamen consecrandi non haberent intentionem, nec faciendi, quod facit Ecclesia, nisi cum verba proferunt posteriora cum invocatione, utique non facerent, cum legitimam Formam nequaquam adhiberent, debitaque carerent intentione.

SECTIO QUINTA

Utrum Christifideles enormibus implicati criminibus, verum, dum communicant, Christi Corpus percipiant?

305. JAcobitæ, teste Thoma à Jesu de Convers. omn. Gent. lib. 6. cap. 1. existimant, Fideles gravissimorum criminum reos, dum sacram Synaxim percipiunt, non accipere physicè Corpus Christi, quod tamen de Peccatoribus, non adeò enormibus minimè affirmant. Videndum est, an rectè sentiant?

ARTICULUS UNICUS

Dicendum est Peccatores maximos, & enormissimos, etsi absque fructu, recipere tamen physice in Sacramento Eucharistiæ verum Christi Corpus.

306. PAtet ex Scripturis: nam 1. Corinth. 11. 29. habetur: *Qui manducat, & bibit indignè judicium sibi manducat, & bibit*

non

non dijudicans Corpus Domini; ergò manducantes, & bibentes indignè verè recipiunt Corpus Domini: alioquin judicium non sibi manducassent, cum Corpus Christi esse desineret; ergò etiam qui recipiunt magis indignè, idem corpus percipiunt, cum magis, & minus speciem non tollant.

307. Et profectò Judas proditor erat iniquissimus, & maximus peccator, qui tamen verè Corpus Christi in ultima Cœna sumpsit, teste August. Epist. 162. *Tolerat*, inquit, *ipse Dominus Judam, diabolum, furem, & venditorem suum: sinit accipere inter innocentes Discipulos, quod Fideles noverunt pretium nostrum*.

308. Idipsum eruitur ex Joan. 6. 56. ubi dicitur à Christo: *Caro mea verè est Cibus, & Sanguis meus verè est potus*; igitur Eucharistia cum Cibo, & Potu corporali analogiam habet: at Cibus corporalis esse suum physicum non amittit, etiamsi stomachus eum recepturus sit summè indispositus; imò nec nocumentum affert, nisi revera in stomachum inducatur; ergò etiam Eucharistia, tametsi ab indignissimis sumatur, suum esse minimè amittit, sed verè in stomachum physicè trajicitur, & propterea sacrilegè manducatur.

309. II. Ex Sacris Canonibus idipsum evincitur ab Eucharistiæ sumptione quædam Personarum genera severè arcentibus. Nam Ravennat. II. cap. 2. Usurarios, Concubinarios, publicosque Blasphemos: Turon. III. existentes in mortali, & Istriones, nisi convertantur: Colonien. III., & Mogunt. IV. eos, de quibus dubium est, an fuerint confessi, nisi testimonium de absolutione ferant: non jejunos, ebrios, Sacramentum evomentes, aliorumque crimi-

num

num reos omninò à Communione Eucharistica repellunt Pontifices, & Concilia relata in Jure Canonico de Consecrat. Dist.2. cap. *Tribus Gradibus*. Cap. *Qui scelerate*, Cap. *Qui timorem*, Cap. *Qui per ebrietatem*; igitur supponit Ecclesia, Christum sub speciebus Eucharistiæ nequaquam desinere; tametsi à magnis peccatoribus sumatur, alioquin nulla irreverentia contra Sacramentum committeretur, cum nullo pacto ab ipsis sumeretur; desineret quippe, antequam in stomachum trajiceretur, etsi extrinsecè sumptum appareret.

310. III. Ratione idipsum evincitur. Nam Eucharistia Sacramentum est permanens, habens esse suum integrum, atque perfectum independenter à quacumque sumptione, ex Floren. in Lit. Union. §. *Quinto Ecclesiasticorum*, ita ut, etiamsi à nemine sumeretur, adhuc integrum suum esse retinet, quousque desinant species; ergò tametsi à magnis peccatoribus sumatur, esse non desinit, cum Symbola ipsius adhuc remaneant, nempe species Panis, & Vini, sub quibus ex vi Formæ Sacrum Christi Corpus fuit introductum. Hinc Sacri Canones jubent, magna munditie, atque accurata sedulitate Sacram Eucharistiam custodiri, ita ut, si Animal eam comedat, Minister illius pœnitentiam peragat 40. dierum, ex Arelat. III. cap. 5., in Pixide super Altare servari ex Londin. I. c. 1. Et quidem clausâ, ne tangatur, ex Lateran. IV. cap. 26. & Latriæ cultu adorandam esse, ex Triden. sess. 13. cap. 5.

311. Conf. Nam indignitas quantumvis maxima tangentium, atque tractantium Sacram Eucharistiam non facit desinere Corpus Christi etiam secundum Adversarios; ergò quamvis indignitas sumentium sit maxima, adhuc tamen

tamen ob receptionem non desinit esse in stomacho Corpus Christi.

312. Quod verò objiciunt, nempe nimiam irreverentiam in Christi Corpus redundare, si physicè in pectus magnorum Peccatorum recipiatur, levissimum est: tumquia etiam indignè suscipientes, licet non indignissimè, adhuc irreverentiam magnam sacrilega Christi manducatione committunt; & tamen ipsi minimè negant, quin physicè in stomacho recipiatur. Tumquia sacrilega illa receptio, etsi magnam Deo injuriam inferat, nullam tamen infert Corpori Christi physicam læsionem; Corpus enim Christi in Eucharistia inclusum, etsi comburatur in speciebus suis, vel in sterquilinium projiciatur, nihil physicum amittit; quare, sicuti à peccatoribus passus est crucifigi, atque à Diabolo super montem, ac pinnaculum Templi transferri, ut optimè Gregor. Mag. Hom. 10. in Evangel., cur mirari debemus, eum pati, ut à magnis Peccatoribus indignè suscipiatur, & gutture sacrilego trajiciatur?

SECTIO SEXTA

An liceat tam Laicis, quam Sacerdotibus peccati mortiferi consciis Eucharistiam sumere, Exomologesi nequaquam præmissa?

313. Jacobitæ, Nationesque aliæ Orientales, teste Thoma à Jesu de Convers. omn. Gent. lib. 6. cap. 2. sive Laici sint, sive Sacerdotes, etiamsi conscii se in lethale crimen incidisse, adhuc absque ulla Exomologesi sacram sumunt Eucharistiam: priores quidem à Sacerdotibus: posteriores verò per se ipsos Sa-

crum conficientes. Quæritur itaque, an hujusmodi consuetudo uti licita sustineri valeat?

ARTICULUS PRIMUS.

Dico I. breviter, læthali crimine inquinatos, ut dignè, & absque novo peccato ad Eucharistiam accedant, Pœnitentiam præmittere debere.

314. PAtet ex Scriptura, nam ut quis absque noxa, & cum fructu ad Eucharistiam accedere possit, debet esse mundus, ac nulla sorde læthali inquinatus, ex 1. Cor. 11. 29. ubi ait Paulus de indignè cibum illum cœlestem sumente: *Judicium sibi manducat, & bibat, non dijudicans Corpus Domini*; & propterea subdit ibidem: *Probet autem se ipsum Homo, & sic de Pane illo edat, & de Calice bibat*. Hinc in Liturgiis Græcorum ante communionem Diaconus clamabat: *Sancta Sanctis*; at nullus immundus absque Pœnitentia fieri mundus potest, ut Divinæ clamant Scripturæ, præsertim Ezechiel. 18. 21., & alibi passim; ergò peccato gravi inquinatus ad Eucharistiam sine Pœnitentia nullo modo accedere potest.

Dico II. ad Eucharistiam dignè suscipiendam non sufficere Pœnitentiam interiorem, sed requiri exteriorem, nempe Pœnitentiæ Sacramentum.

315. Evincitur hoc: nam ut optimè Doct. Subtilis 4. Dist. 9. Quæst. unica §. *De Secundo* ea status Gratiæ ad Eucharistiam dignè suscipiendam securitas requiritur, quæ ad moriendum more Christiano; id enim postulat tanti digni-

dignitas Sacramenti: ad securè autem moriendum, si Confessarii copia suppetat, non sufficit interior Pœnitentia, quamvis morienti videatur perfecta; sed requiritur etiam exterior, eo quia, cum certus non sit, se esse reipsa perfectè contritum, nolens medium certum à Christo Domino institutum adhibere, æternæ se perditionis periculo exponet; ergò etiam ad securè communicandum non sufficit interior, sed requiritur exterior Pœnitentia, nempè Sacramentalis Confessio: & ita tenent quoque Doctores communiter.

316. Alia quoque ratio accedit, quam idem Subtilis subministrat loco cit. §. *De Tertio*: quia nimirum Eucharistia Ecclesiasticæ unitatis est Sacramentum, ad quam significandam in Primitiva Ecclesia Eulogiæ, seù Panes sanctificati mittebantur, ex Innoc.I. Epist.5. ad Decen. Eugub. Episc.: non esset autem tale, nisi ad ejus perceptionem Confessio Sacramentalis in Peccatore requireretur; per contritionem enim reconciliatur quidem Deo Peccator, sed non Ecclesiæ, quam peccando offendit; ergò ad hanc unitatem denotandam, & servandam, requiritur Confessio Sacramentalis, qua Dei Ministris subjicimur, à quibus Ecclesiæ unitas derivat. Et ita censent gravissimi Patres, ut Cyprian. lib.6. de Lapsis. Chrysost. Hom.83. in Matth. Ambros. lib.6. in Lucam, & praxis ipsa antiquissima Ecclesiæ satis apertè demonstrat.



Dico III. Nedum Sacerdotes, sed etiam Laicos ante Sacramenti sumptionem, si peccato lethali graventur, ad Confessionem Sacramentalem teneri.

317. Ratio est apertissima: nam non minùs Laici, quam Sacerdotes in Ecclesia Christi Corpus suscipiunt; ergò si in peccato jacent, non minùs Laici, quam Sacerdotes Sacramentalem Confessionem præmittere debent: ex quo enim idem Corpus Christi recipiant, eadem quoque requiritur dispositio, cujus necessitas ex ipsiusmet Sacramenti altissima dignitate proficiscitur, etsi Sacerdotes ob alium titulum teneantur: quia nimirum ipsummet Sacramentum, & Sacrificium, ut Ministri conficiunt, quod sanè specialem, & præcipuam, etiam præscindendo à receptione, puritatem requirit.

ARTICULUS SECUNDUS

Solvuntur Objectiones.

318. OBji. I. contra primàm partem: Eucharistia est instituta ad remissionem peccatorum, dicitur enim Matth. 26. 18. *Hic est enim Sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*; Et in Liturgiis variæ preces apponuntur, ut nobis peccata dimittantur, asseriturque etiam à Patribus Damasceno, Chrysostomo, & Aliis, & juxta Theologorum sententiam peccata venialia dimittuntur; ergò etiam mortalia ob sanctitatem substantialem, quam Eucharistia continet Corporis Christi Domini Divinitati substantialiter copulati.

319. Re-

319. Respondetur nego antec., si de remissione per se, & primario intelligatur, cum Eucharistia sit Cibus spiritualis in sumente vitam supponens. Itaque illa remissio, de qua fit mentio in Scripturis, & Patribus, intelligitur de remissione pœnæ, non culpæ, quæ supponitur dimissa; vel de dimissione culpæ per accidens, quando quis cum peccato invincibiliter ignorans accedit, juxta sententiam D. [illegible] homæ [illegible] subtilis loco cit. §. *De Secundo*. Nec sanctitas substantialis Christi suffragatur: sumitur enim Christus per modum Cibi, de cujus ratione est vitam supponere, non dare.

320. Obji. II. cont. secundam partem, etiamsi non fiat Confessio Sacramentalis, adhuc per actum perfectæ Contritionis, qua Homines justificari, Deoque reconciliari docet Triden. sess. 14. cap. 4., fit perfecta probatio: propterea Chrysostomus Hom. 28. in priorem ad Cor., & August. Serm. 252. de Tempore ad probationem Eucharistiæ receptioni necessariam solius Pœnitentiæ mentionem faciunt, non verò Sacramentalis Confessionis; ergò pro digno ad Eucharistiam accessu Confessio Sacramentalis sivè in Laicis, sivè in Sacerdotibus nequaquam est necessaria.

321. Resp. neg. ant., ad cujus probat. neconseq. Quamvis enim ex Triden. loc. cit. perfecta Contritio justificet, hoc tamen facit cum voto Sacramenti, quo non accedente, dum copia subest Ministri sufficientis, non fit justificatio. Quoniam verò nulla certitudo habetur veræ, & perfectæ Contritionis, qui non vult ad Sacramentum accedere, denotat, se non habere veram Contritionem: hinc gravissimi Theologi, ut Lugo, Suarez, Aretinus no-

ſter apud Maſtrium Diſp. 18. Quæſt. 4. art. 2. Theolog. Moral. tenent, etiamſi Contritio perfecta innoteſceret, Peccatorem adhuc ad Confeſſionem Sacramentalem teneri. Auguſtinus verò, & Chryſoſtomus loquuntur de iis, quæ præcisè internam Pœnitentiam concernunt, non de Sacramentali, quæ poſtea fieri debere ſupponunt, utpote notiſſimam, cujus mentionem expreſſam facit Chryſoſtomus Hom. 30. in Geneſ. Auguſtinus verò alibi paſſim.

322. Circa tertiam partem nulla urget ſpecialis difficultas. Quamvis enim Sacerdotes conficientes diſtricto vinculo obſtringantur Euchariſtiam dignè ſuſcipiendi, ac propterea diſtinctum quoque peccatum, vel ſaltem longè gravius committerent indignè accedentes ob dignitatem, qua fulgent, tantique Myſterii excellentiam, hoc quidem facinore fædiùs inquinantur; at Laici minimè propterea ab eodem excuſantur, qui tametſi Sacramentum minimè conficiant, ipſum tamen ore indignò, atque conſcientiâ coinquinatâ ſuſcipiunt.

CAPUT IV.

De Pœnitentiæ Sacramento.

323. Ex quo à Sede Petri Orientales impiè deſecerunt, nullum eſt abſurditatis genus, in quod à falſis Præceptoribus decepti ſtultè non impegerint. Hinc de Pœnitentia, qua ſalus lapſis à Chriſto Domino benigniſſimè propinata eſt, errores plures ignavè protulerunt, ipſoſque etiam nunc proterva obſtinatione tuentur, de quibus in præſenti agendum eſt.

SE-

SECTIO PRIMA

An Pœnitentia Christiana sit Novæ Legis verum Sacramentum?

324. PEr Pœnitentiam Christianam hìc non intelligímus virtutem illam, aut actum voluntatis, quo peccata detestamur, vel quia præcisè Deum summum bonum offendimus, vel Beatitudinis jacturam, ac damnationis æternæ pœnam meruimus; hanc quippe in Veteri quoque Testamento extitisse, Divinis Scripturis pluribus in locis admonemur, ex Trid. sess.14. cap.4., sed ultra prædictos actus, quos necessariò Christiana Pœnitentia complectitur, sinceram peccatorum omnium Confessionem legitimè factam Sacerdoti, à quo eorumdem, sivè quoad reatum culpæ, sivè pœnæ æternæ absolutionem plenissimam obtinemus. De hac Quæstio hæc agitatur, utrum scilicet revera sit Novæ Legis Sacramentum, à Christo Domino institutum; itaut venia Peccatorum non impetrativè solummodo, sed verè, & propriè à Sacerdotibus Dei vicem gerentibus per modum causæ ministerialis impendatur? Jacobitæ, & Cophtæ, apud Domin. à Trinit. lib.4. Bibliot. Theol. sec.9. cap.1. negativam partem amplectuntur, quam ab Audianis, quorum meminit Theodoretus lib. 4. de Hæret. Fab., & Messalianis à Damascen. relatis lib. de cent. Hæres. didicerunt, atque in iis perseverant, teste Guid. Carmelit. cap. 2. de Jacobitis, & Jacobo de Vitriaco in Histor. Orient. cap.76.

ARTICULUS PRIMUS

Pœnitentia Christiana hactenus explicata est Novæ Legis verum Sacramentum.

325. Ostenditur ex Scripturis: nam hujusmodi Pœnitentię, qua Sacerdotibus peccata deteguntur, & eorum ab ipsis obtinetur Absolutio, promittitur peccatorum remissio, pœnarum dimissio, atque cum Deo reconciliatio, ut fit mentio Joan. 20. 22. ubi cum insufflasset in Discipulos suos Christus ait: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*. Mat. 18. 18. *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cœlis, & quæcumque solveritis super terram erunt soluta & in Cœlis*; Ibique loqui Christum de omni dimissione, patet ex contextu: rogatus enim à Petro, quoties essent peccata dimittenda, respondit Christus v. 22. *Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies*. Et 2. Cor. 5. 19. cum dixisset Paulus, Mundum Deo per Christum reconciliari, & sibi datum Ministerium reconciliationis per Christum, subdit v. 20. *Pro Christo ergò legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos*: Igitur per Apostolorum, & eorumdem Successorum, nempe Sacerdotum, ministerium peccata remittuntur, pœnæ ad eorum libitum condonantur, & Peccatores Deo reconciliantur; ergò Pœnitentia, in qua omnia hæc fiunt, est verum novæ Legis Sacramentum, cum ista omnia citra infusionem Gratiæ, ac justificationem minimè contingant.

326. Nec valet cum Adversariis ad dimis-

sionem

sionem declarativam confugere : sensus enim Scripturæ optimè sonat de vera dimissione : in Scripturis enim *Remittere* significat veram dimissionem, ut patet Matth. 9. 3. ubi Christus dixit Paralytico: *Remittuntur tibi peccata tua.* Lucæ 7. 27. cum de Maria Magdalena dixit Salvator : *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum*, & v. 28. ipsi dixit Mulieri : *Remittuntur tibi peccata* : tumquia remissio peccatorum in Veteri Testamento per Sacerdotes indulta erat merè declarativa; ergò dimissio in Novo Testamento est verè relaxativa ; alioquin hæc ab illa minimè distingueretur, quod absurdum est : tumquia Christus potestatem suam Apostolis communicavit dimittendi peccata, cum Joan. 20. 21. dixit : *Sicut misit me Pater, & Ego mitto vos* : Christus autem habuit veram potestatem dimittendi peccata, non tantum declarandi dimissa, quod sane Adversarii negare minimè audebunt, ipsomet Christo refragante Mat. 9. 6., & Lucæ 5. 24.; ergò etiam Apostoli, & eorum Successores non solum declarant, peccata esse dimissa, sed verè ipsi dimittunt.

ARTICULUS SECUNDUS

Idipsum ex Patribus ostenditur.

327. ORigen. Hom. 2. in Levit. *Est adhuc*, inquit, *septima, licet dura, & laboriosa per Pœnitentiam remissio Peccatorum, cum lavat Peccator lacrymis stratum suum, & fiunt ei lacrymæ panes die, ac nocte, cum non erubescit Sacerdoti Domini indicare peccatum, & quærere medicinam secundum eum, qui dicit : Dixi pronuntiabo adversum me injustitiam*

meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Cyril. Alexand. lib. 12. in Joan. cap. 56. *Qua ratione,* inquit, *Divinæ Naturæ Dignitatem, & Potestatem Discipulis suis Salvator largitus est. Quia certo absurdum non est, peccata remitti posse ab illis, qui Spiritum Sanctum in seipsis habent: nam cum ipsi remittunt, aut retinent, Spiritus, qui habitat in eis, per eos remittit, & retinet.* Nissen. Epist. Canon. ad Episcop. Mytil. cap. 5. *Rectè habuerit, si hodierno Die non solum eos, qui ex regeneratione per Lavacri Gratiam transmutati sunt, adducamus, sed etiam qui per Pœnitentiam, & Confessionem à mortuis operibus ad viventem vitam ascendunt, ad viventem spem tamquam manu adducamus, à qua per peccatum alienati sunt.* Athanas. serm. in illa verba: *Profecti in Pagum, qui ex adverso est,* ita loquitur: *Nos ipsos examinemus, utrum soluta sint nostra vincula, ut in melius proficiamus. Quod si nondum soluta sunt vincula, tradas te ipsum Discipulis Jesu: adsunt enim, qui te solvent prò potestate, quam à Salvatore acceperunt. Quæcumque enim,* inquit, *ligaveritis super Terram, erunt ligata & in Cœlis, & quæ solveritis in Terra, erunt soluta in & Cœlis, & si quibus remiseritis peccata, remittuntur eis.* Et omnium istorum antiquissimus Clemens Romanus Epist. 1. *Si fortè in alicujus cor vel livor, vel infidelitas, vel aliquod malum latenter irrepserit, non erubescat, qui Animæ suæ curam gerit, confiteri hæc huic, qui præest, ut ab ipso per verbum Dei, & consilium salubre curetur, quo possit integra fide, & operibus bonis pœnas æterni ignis effugere;* ergò ex doctrina Patrum peccatorum vincula possunt dissolvi, maculæ abstergi, & possessio vitæ æternæ tribui illis, qui Pœnitentiam agunt, cri-

crimina sua Sacerdotibus aperiendo ; ergò hæc Pœnitentia verum est Novæ Legis Sacramentum, cum omnia hæc absque collatione Gratiæ fieri nequeant.

ARTICULUS TERTIUS

Idipsum Rationibus evincitur.

328. I. SIc: ad delendum Originale peccatum, & stolam immortalitatis restituendam institutum est Sacramentum Baptismi Hominem renovantis; ergò etiam ad delendum actuale peccatum aliquod Sacramentum institui debuit, qui Gratiam in Baptismo receptam, amissamque per peccatum restitueret: hoc est Pœnitentiæ Sacramentum; ergò verè Pœnitentia Christiana Sacramentum est.

329. II. Pœnitentia Novæ Legis à Christo Domino instituta aliquid habere debet ex opere operato, quod non habebat in Veteri Testamento, alioquin ab ea non distingueretur; ergò Pœnitentia Novæ Legis consistens in actibus internis Contritionis, & externis Confessionis Sacerdotibus confectæ, confert Gratiam ex opere operato, Deoque reconciliat, & consequenter est verum, & proprium Novæ Legis Sacramentum.

330. III. Christus in Lege Nova se debet Caput Ecclesiæ ostendere, ejusque Authorem, peccata remittendo, Gratiamque largiendo: hoc autem fit in Sacramento Pœnitentiæ per Ministros suos Sacerdotes, cui loco Christi peccata aperiuntur; ergò illud signum est verum Sacramentum Novæ Legis.

331. IV. Ordo Vitæ Spiritualis postulat, ut Pœnitentia Sacramentum sit verum, & pro-

prium Novæ Legis! ſicut enim datur Baptiſmus, quo Deo naſcimur, Euchariſtia, qua paſcimur, Confirmatio, qua roboramur, ita dari debet aliud, quo mortui Chriſto reſurgamus; ergò Pœnitentia eſt verum, & proprium Novæ Legis Sacramentum.

ARTICULUS QUARTUS

Solvuntur Objectiones.

332. OBji. I. Ex hoc quod Joan. 20. 23. peccatorum remiſsio, Gratiæque infuſio promittantur, non arguitur, Pœnitentiam, quam Catholici commendant, eſſe Novæ Legis Sacramentum: nam etiam Pœnitentiæ Veteris Teſtamenti Divinæ Scripturæ veniam pollicentur, & Gratiæ infuſionem oſtendunt, Ezech. 18. 22. 23. Joel. 2. 13. Iſaiæ 1. 18. & alibi paſsim; nec tamen dicitur verum Sacramentum. Sic etiam Marci 1. 4. Lucæ 3. 4. Joannes Baptiſta prædicabat Baptiſmum Pœnitentiæ in remiſsionem Peccatorum, quod tamen nequaquam Sacramentum erat, etſi Symbolo externo conficeretur; ergò ex Scripturis non arguitur, Pœnitentiam, quam Catholici inculcant, eſſe Novæ Legis Sacramentum.

333. Eo magis quia Apoſtoli dimittebant peccata eo pacto, quo Chriſtus dimittebat, cum dicatur Joan. 20. 21. priuſquam Apoſtolis poteſtatem peccata dimittendi tribuerit: *Sicut miſit me Pater, & Ego mitto vos*; igitur etiam verba ſubſequentia v. 22. 23. *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueretis, retenta ſunt*: ad illa priora verba referuntur: *Sicut miſit me Pater, & Ego mitto vos*: Chriſtus au-

tem,

tem, dum peccata remittebat, nullum Sacramentum conferebat, ſicuti Magdalenæ non contulit, dum eidem peccata ſua remiſit, Lucæ 7. 48. Tumquia Pœnitentia Chriſtiana ab Apoſtolis annuntianda erat etiam Infidelibus; Lucæ 24. 47. hæc autem eſſe non poterat verum Sacramentum, cujus Infideles erant incapaces: hinc Cyrillus Alexandrinus in verba illa: *Quorum remiſeritis &c.* aſſerit, ad Infideles, & Fideles æquè referri; ergò ex Scripturis non deducitur, Pœnitentiam, apud Catholicos fieri conſuetam, eſſe Novæ Legis Sacramentum.

334. Reſp. ne. ant., ad cujus probat. neg. conſeq.: Contritio enim interna ex corde prodiens humiliato, non erat Symbolum ſenſibile, cui gratia ex Divina inſtitutione eſſet annexa, ſed merus actus operantis, qui ex Divina Gratia profectus de congruo tantum juſtificationem merebatur, non quatenus ſigna externa præberet, quorum nullum determinatè, & in ſpecie ad juſtificationem exigebatur: abſolutio autem Sacerdotalis, cum aliis præcedentibus interni doloris ſenſibilibus ſignis externum Symbolum eſt, cui ex Divina inſtitutione peccatorum remiſſio, Gratiæque habitualis infuſio promittitur, & præbetur; & propterea verum Novæ Legis Sacramentum eſt, ut optimè ex locis citatis colligitur.

335. Secundum ex ſemetipſo ſolvitur: vel enim Præcurſor Domini Baptiſmum Pœnitentiæ prædicans in remiſſionem peccatorum Sacramentum Pœnitentiæ futurum nuntiabat à Chriſto Domino inſtituendum; aut ſimplicem ipſius Pœnitentiæ virtutem eo pacto, quo alii Prophetæ fecerunt, veniam à Deo, ſi rectè pœnituiſſent, eiſdem pollicendo; ſi primum di-

ca-

catur, favet Catholicis; etsi enim tunc, cum annunciabatur, non erat Sacramentum; attamen tempore suo, nempe post Christi institutionem, futurum dicebatur: si autem secundum asseratur, ut revera Textus Evangelicus innuere videtur, Divinam quippe ultionem ob scelera imminere pronuntiat, adeoque Pœnitentiæ fructibus Divinam iracundiam placari oportere; tunc objectio ad rem non facit, cum illa Pœnitentia, quam Joannes prædicabat, ab ea non differret, quam alii Prophetæ sæpissimè inculcabant.

336. Ad Tertium dico, verâm esse majorem quantum ad effectum, non quantum ad modum. Apostoli enim verè peccata dimittebant, sicuti dimittebat Christus: at non eodem modo: ille enim utpote potestate pollens Divina, & excellenti, authoritate propriâ peccata dimittebat: Apostoli verò solummodo ministerialiter, & authoritate Christi: quocirca verba illa: *Sicut misit me Pater, & Ego mitto vos*, non significant, eadem prorsus authoritate, qua missus est Christus, mitti quoque Apostolos, cum apertè pateat diversissimam fuisse: sed hoc pacto, nempè sicuti Christus missus est à Patre veluti Filius suus in Humanitate subsistens pro Mundi salute, ita mitti Apostolos ab eodemmet Christo, veluti Ministros suos, qui propterea ejusdem authoritate, non primaria, sed ministeriali gaudentes, peccata dimitterent, & proindè dixit illis: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt*. Ex quo minimè sequitur, ex eo quia Christus Dominus absque Sacramento peccata dimiserit, idipsum aut factum fuisse ab Apostolis, vel ab eorum fieri Successoribus.

137. Ul-

337. Ultimum tandem nullam habet difficultatem: nam Pœnitentiæ Sacramentum Infidelibus prædicandum, non significabat, ab Infidelibus quà Infidelibus sumi oportere; sed quod Dogma Sacramenti Pœnitentiæ Infidelibus quoque annuntiaretur, ut conversi ab infidelitate, cum peccassent, eo uterentur, Deo reconciliari cupientes. Intelligi quoque potest per Pœnitentiam, & remissionem peccatorum Baptismus, uti eam sumit Paulus ad Hæb. 6. 4. & consentiunt Patres Oecumen. Theodoret. in Commen. hujus loci, & Ambros. lib. 2. de Pœnit. cap. 2. Baptismus autem ab Infidelibus utique sumendus est, non à Fidelibus jam initiatis: vel si D. Cyril. expositio sustineatur, quam tamen cæteri Patres minimè admittunt, verba citata ex eodem referuntur quidem ad Fideles, & Infideles, sed diversimode: nam Infidelibus peccata remittuntur per regenerationem, utpote non adhuc Ecclesiæ, ac Christo genitis: Fidelibus per absolutionem, eo quia Ecclesiæ, Christique imperio Baptismate affecti subduntur.

338. Obji. II. Deus solus potest remittere, ac de facto remittit peccata, Lucæ 5. 21. ergò non remittuntur in Sacramento Pœnitentiæ: si enim verè remitterentur, Petrus Act. 8. 22. Simonem Magum ad simplicem Pœnitentiam non remisisset, uti remisit Judæos noviter conversos Act. 2. 38., nec sub incerto veniam fuisset pollicitus, quod tamen falsum est, subditur enim ibi: *Et roga Deum, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui*; ergò peccata in Pœnitentia Catholicorum minimè virtute ejusdem remittuntur, adeòque non est Sacramentum.

339. Resp. dist. ant., ut Causa principalis;

lis; conc. ant., ministerialis, & instrumentalis; ne. ant., & eodem pacto dist. conseq. sicut enim peccata remittere nisi solus Deus potest, ita Gratiam quoque in Anima producere: sicuti ergò per ministerium Sacerdotum in Baptismo peccata per modum regenerationis remittuntur, cur in Pœnitentia remitti non possunt per modum Absolutionis; & hoc pacto Gratia causari? Idcirco autem Petrus Simonem Magum, ut veniam peccati obtineret, ad Pœnitentiam simpliciter remisit, nulla Sacramenti facta mentione; tum quia requirebatur Pœnitentia virtus pro dispositione ad ipsum Sacramentum, sicuti in adultis requiritur ad Baptismum, ex Act. loc. cit.: tumquia hortando ad Pœnitentiam, Sacramentum quoque includebat, quod de Pœnitentia Baptismum præcedente nequit intelligi, qui janua Sacramentorum est: nec Petrus de veniæ impetratione, si verè pœnituisset Simon, ullo pacto dubitavit, sed solummodo de pœnæ integræ, quam certè magnam merebatur, condonatione, cum etiam nunc Simoniaci ab Ecclesia gravissimè puniantur.

340. Obji. III. In Sacris Literis non legitur hujus Sacramenti usus, sivè in Apostolis, sivè in aliis activè, aut passivè: aliunde autem videtur superfluum, cum perfecta Contritio ex seipsa justificet in Lege Evangelica, juxta Triden. sess. *6.*; imò gravamen magnum addit: nam ultra Contritionem externè ostensam, requirit quoque criminum suorum revelationem; ut à Sacerdotibus dimittantur: non est autem dicendum, Legem Christi Mosaycâ esse duriorem; ergò Pœnitentia Christiana non est Novæ Legis Sacramentum.

341. Resp. posset ad prim. object. part. ne. con-

confeq. cum non omnia Apoftolorum, & antiquiorum Chrifti Difcipulorum gefta fcripto, fed Traditione habeamus, uti alia Fidei Chriftianæ, ob eamdem rationem, Dogmata credimus: In primitiva autem Ecclefia fuiffe ufum Pœnitentiæ Sacramenti, docet nos Tertullian. Lib. de Pœniten. cap. 8. ubi Exomologefis, ideft Confeffionis Sacramentalis, uti rei ufitatiffimæ mentionem facit. Iren. qui primo poft Apoftolorum obitum floruit fæculo, Cerdonem Hærefiarcham commemorans. Cyprianus Mart. tertii fæculi Author Doctiffimus ferm. 5. de Lapfis. Diony. Areop. Apoftolorum Difcipulus Epift. 8. ubi reprehenditur Oemophilus, quod Sacerdotem quemdam pœnitentem, qui ad Confeffarium acceflerat, contumeliis, calceque repulerat.

342. Cæterum ant. falfum eft: quid enim clarius dici poteft, quam illud Act. Apoft. 19. 18. *Multique credentium veniebant confitentes, & annunciantes actus fuos: multi autem ex eis, qui fuerant curiofa fectati, contulerunt libros, & combufferunt coram omnibus*. Hinc Joan. Apoft. epift. 1. cap. 1. 9. omnes ad hujufmodi Pœnitentiam hortatur: nam, cum dixiffet. v. 8. *Sanguis Jefu Chrifti emundat nos ab omni peccato*, fubdit, *fi confiteamur peccata noftra, fidelis eft, & juftus, ut remittat nobis peccata noftra, & emundet nos ab omni iniquitate*.

343. Ad fecundum negatur, Sacramentum Pœnitentiæ fuperfluere: quamvis enim Contritio perfecta cum voto Sacramenti juftificet etiam in Lege nova; attamen uberiores effectus cum Sacramento conjuncta producit, quam ab ipfo disjuncta: nam uberiorem tribuit Gratiam. II. Fortiora præbet ad præcavenda in pofterum peccata Gratiæ præfidia. III. Major

pars

pars pœnæ temporalis relaxatur. IV. Janua Cœli aperitur, cujus Pœnitentibus ingressus patet: quæ omnia profectò in Veteri Testamento minimè habebantur: quo circa Pœnitentiæ Sacramentum etiam in hac hypothesi dici nequit superfluum, & gravatorium.

344. Cæterùm Contritionem perfectam ex Dei super omnia propter se dilecti amore profectam ad ritè Sacramentum Pœnitentiæ recipiendum minimè esse necessariam, sed Attritionem ex metu gehennæ, turpitudine peccati, vitæ æternæ amissionis pavore, Divinoque auxilio præeunte, conceptam sufficere, communior censet sententia, quam haud obscurè indicat Triden. sess. 14. cap. 4. aliisque ex locis Scripturæ, Patrumque colligitur, & doctissimè Frassen noster tom. 4. Scot. Academ. Trac. 1. Disp. 2. Art. 3. sec. 1. Quæst. 3. concl. 3. propugnat: & propterea patet, quid Pœnitentiæ Sacramentum efficiat: Gratiam quippe tribuit justificantem etiam absque Contritione perfecta, quam sanè Pœnitentia veteris Legis nequaquam tribuebat, & Legem Evangelicam non duriorem esse Mosaycâ, sed longè suaviorem, cum Pœnitentiam habeat ex opere operato absque Contritione verè justificantem, quo remedio carebat antiqua.

345. Obji. IV. Sacramentum ex Floren. in Instruc. Armen. rebus tanquam materiâ, verbis tanquam formâ, utpote compositum artificiale-morale, constare debet: Pœnitentia autem non constat nisi verbis: tumquia res, quam continet velut materiam, non est sensibilis, nempe Contritio, quæ à Confessione contradistinguitur, veluti altera materiæ parte; ergò non est Sacramentum.

346. Resp. conc. maj., & ne. min. ad probatio-

bationem dico, in Pœnitentia non adesse mera verba, cum præter criminum Confessionem adsint lacrymæ ploratûs, pectoris tunsiones, interni testes doloris: cæterum etiamsi pura adessent verba, non proindè matèria deesset, nempe ipsa peccata dolenti animo expressa, quæ verbis absolutionis, veluti formæ, materiam præbent; & hoc hujus Sacramenti proprium est, quod, cum per modum Judicis fiat, utique per verba [illegible] & Judicis absolventis, aut damnantis fieri debet, quodquidem omni Forensi Judicio commune videmus in verbis consistente.

347. Qua ratione solvitur quoque, quod subditur in objectione: Contritio enim non fit per Confessionem sensibilis, sed per signa sua propria, nempe fletus, ululatus, pectoris tunsionem, & alia hujusmodi.

348. Obji. Ult. Sacramentum Pœnitentiæ neque physicè, neque moraliter existit, quando dicitur à Catholicis Gratia causari; ergò non est verum Sacramentum. Conseq. patet: nam causa, dum fit effectus, existere debet in eo genere, in quo causat; quod enim non est, nihil causare potest. Ant. autem patet: nam Contritio, Confessio, & Satisfactio successive fiunt, & interdum contingit, multum temporis distare inter unam, & alteram, ut evenit, quando per aliquot dies absolutio differtur, & satisfactio interdum etiam ad menses protrahitur; ergò nec physicè, nec moraliter existunt partes Pœnitentiæ, quando Gratia supponitur conferri; ergò &c.

349. Resp. ne. ant., ad cujus probat. dico, partes omnes Pœnitentiæ moraliter, cùm Gratia confertur, existere, licet non physice: hoc enim petit natura Fori Judicialis, ad cujus normam

mam Pœnitentiæ Sacramentum institutum est; quocirca, etsi aliquot diebus absolutio Sacerdotalis differatur impendi, adhuc moraliter, cum actibus antecedentibus Confessionis, & Contritionis unitur, & compositum efficit morale, quod Gratiæ deinde infusio consequitur cum cæteris donis annexis. Satisfactio quoque existit, dum Gratia confertur; non quidem in executione, quandoquidem ipsamet absolutione debet esse posterior, alioquin [illegible] Claves non imponeretur, sed in Pœnitentis acceptatione, quæ profecto absolutionem præcedit, & proinde ejusdem Pœnitentiæ pars dici potest sive integralis, sive essentialis.

ARTICULUS QUINTUS

Quæsita nonnulla resolvuntur.

350. QUæres I. Quosnam effectus causet in Anima recte disposita Pœnitentiæ Sacramentum?

351. Resp. Hæc sequentia citra controversiam causari. I. Gratiæ habitualis infusionem, vel augmentum. II. Peccatorum quoad reatum culpæ dimissionem, & commutationem pœnæ de æterna in temporalem. III. Diminutionem quoque pœnæ temporalis juxta dispositionis antecedentis mensuram. IV. Reviviscentiam meritorum, quæ per læthale peccatum erant mortificata. V. Auxilia ad præcavenda imposterum peccata. VI. Jus ad vitam æternam ob merita Christi, quod quidem peccando fuerat amissum. VII. Indomitarum passionum, ac effervescentium Animi motuum compressionem, atque mitigationem: hinc videmus huic Sacramento frequentem, dignamque navantes ope-

operam, nedum à læthalibus abſtinere, verum etiam in graviora rarò labi venialia.

352. Quæres II. Quantus, & qualis dolor ad Pœnitentiæ fructuoſam receptionem requiratur?

353. Reſp. Dolorem, non quidem ſenſitivum, ſed rationalem, duplicem eſſe, intenſivum ſcilicet, & appretiativum. Appretiativus eſt, qui majus malum cenſet Dei offenſam, quam quodcumque aliud malum, quod libenti animo eligeret, potiùs mori, quam ulteriùs Deum offendere paratus. Intenſivus, ſeù Gradualis eſt, quo de objectis nobis moleſtis plus, vel minus amaritudinis ſumimus juxta eorum varietatem, ita ut in eo genere major, vel minor datur exceſſus, qui tamen minimè ſufficeret ut talis eſt, ad præponendum incommodum, quod experimur, quibuſcumque aliis malis, niſi talis eſſet appretiativè, ac in ſubſtantia ſua.

Dicendum eſt igitur, requiri quidem ad Pœnitentiam dolorem appretiativè ſummum, non tamen gradualiter.

354. Prima pars patet: nam talis dolor ad Pœnitentiam requiritur, ut quibuſcumque Deus præferatur, ita ut voluntas quodcumque aliud malum eligere parata ſit, quam peccatum: cum enim Deus ſit ultimus finis, & ſummum Bonum, & propterea ſuper omnia diligendus, ejus jactura per peccatum plus æſtimari debet, quam cujuſcunque alterius rei ordinis inferioris; adeoque peccatum, hujus damni cauſa, majorem meretur deteſtationem appretiativè, quam cujuſcunque alterius generis incommodum. Et ita ſentiunt communiter Theologi.

355. Se-

355. Secunda quoque pars suadetur: nam ad sufficientem Pœnitentiæ dispositionem sufficit ille dolor, quo fit vera ad Deum conversio, excluditurque penitus voluntas peccandi, ex Triden. sess. 14. cap. 3. Dolore autem summè appretiativo, non tamen intensivè summo, fit vera ad Deum conversio, excluditurque penitus omnis voluntas peccandi: supponitur quippè prælatio detestationis, ac fugæ cujuscunque peccati, quibuscunque incommodis, quæ occurrere possent; ergò sufficit dolor appretiativè summus, etsi non summus intensivè, uti ad præceptum charitatis servandum non requiri summam intensionem, docet Angelicus Doct. 2.2. quæst. 44. art.4. & 5. Seraph. Bonavent.4. distin. 16. art. 2. quæst. 1. Subtilis 3. dist. 27. quæst. unic. Tumquia Ecclesia hujusmodi summum intensivè dolorem minimè exigit profecto difficillimum, & propterea in Maria Magdalena à Deo commendatum: tumquia uti amorem Dei, ita dolorem quoque de peccatis etiam in Viris Sanctis animadvertimus inæqualem, & propterea Joan. 14. 2. dicitur: *In Domo Patris mei mansiones multæ sunt*: tumquia peccata inter se in gravitate differunt, nisi velimus cum Joviniano desipere; ergò dolor etsi appretiativè æqualis, intensivè inæqualis esse potest, juxta diversa eorum turpitudinem, quam propterea Ecclesia diversitate quoque pœnarum, quas ad Sacramentum accedentibus imponit, optimè dignoscit; igitur dolor ad veram Pœnitentiam requisitus non est necessariò summus intensivè, sed sufficit appretiativè. Legantur Bellar. to.3. controver. lib.2. cap.11. Brancat. nost. de Pœnit. disp. 7. art.9. & disput.8. art.6., ubi ex veteribus Scholasticis Thesim nostram firmat.

356. Quæres III. An propositum ampliùs

non

non peccandi necessariò requiratur, & quidem explicitè, non verò implicitè solummodo, & quatenus virtualiter in contritione præcontinetur?

357. Resp. ad utrumque affirmativè; & quidem prima pars asserti, quam definiunt Floren. in Instruc. Armen., & Triden. ses. 14. cap. 4. patet; nam intelligi nequit conversio, & nova vita, ac detestatio antiquæ, quæ à Scripturis exiguntur, absque firmissima voluntate non ampliùs peccandi: in his autem consistit propositum, quod à tempore futuro pendet, Legis implendæ, quodquidem etiam Hæretici Occidentales confitentur Hostes Pœnitentiæ dicentes cum Luthero: *Optima Pœnitentia, nova vita*.

358. Secunda pars asserti, quam plures Theologi tenent à Mastrio nostro cit. tom. 4. Disp. 5. art. 2., evincitur ex Trident. sess. 6. cap. 5. & 4. cap. 14. ubi præter cæteras dispositiones, quæ ibi enumerantur, exigitur novæ vitæ propositum; ergò explicitè requiritur, alioquin frustra adderetur, si sufficeret quatenus præcontentum; sicut frustra poneretur Votum Confessionis suo tempore habendæ, si ejusdem præcontinentia in Contritione vel charitate sufficeret, quod tamen falsum est ex eodem Triden. sess. 14. cap. 4.: & ratio est clara: nam Pœnitentia est odium peccati nedum præteriti, sed etiam futuri: odium autem peccati futuri non potest intelligi absque proposito firmo explicito non amplius illud committendi. Et sanè ridiculum est, propositum formale, & explicitum ad emendationem magis efficax minimè fuisse præscriptum, benè verò virtuale, & implicitum, tantâ nequaquam profectò pollens virtute.

359. Quæ;

359. Quæres IV. An ad veràm Pœnitentiam requirantur tot distincti dolores, quot sunt peccata, vel sufficiat unus pro omnibus distinctis peccatis?

360. Resp. non esse necessarios tot actus doloris, quot sunt peccata, sed unum sufficere omnia respicientem. Ratio est, quia hujusmodi necessitas neque ex Sacris Literis, neque ex Conciliis, & Ecclesiæ Doctrina eruitur, neque firmâ ratione fulcitur: Scripturæ enim cum Pœnitentiæ meminerunt, plures actus minimè præscribunt, sed unum; Psal. enim 105.6. habetur: *Peccavimus cum Patribus nostris, injustè egimus, iniquitatem fecimus*; item Psal.50. 11. *Averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele*. Psal. 24. *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris*. Floren. autem loc. cit. dolorem solummodo commemorat peccatorum, minimè verò actus distinctos omnia singillatim respicientes.

361. Ratio autem est, quia motivum odii habendi peccata, quatenus objectum Pœnitentiæ, idem in omnibus est, nempe quia Deo displicent summo bono, æternam Beatitudinem avellunt, perpetuamque inducunt damnationem; ergò sicuti eodem actu Fidei omnia ejusdem objecta materialia respiciuntur, quia objectum formale in omnibus idem est, nempe Divina veracitas, ita, quia in omnibus peccatis idem est motivum detestationis, actus multiplicari nequaquam debent ad multitudinem Peccatorum. Itaque peccata omnia in particulari ad memoriam quidem revocanda sunt, ut Clavibus in Confessione Sacramentali subdantur: pro concipiendo tamen verò de ipsis dolore ad Sacramentum necessario, sufficit in confuso ad memoriam revocare, ipsaque ob motiva superiùs

tiùs expressa ex corde detestari, firmumque propositum elicere non amplius eadem committendi.

362. Quæres Ult. Quid sit Pœnitentia privata, publica, & solemnis, de quibus ita frequenter antiqui Canones sermonem instituunt?

363. Resp. Pœnitentiam privatam eam esse, in qua peccata occulta, & secreta, vel publica secretò Sacerdoti deteguntur, à quo publicæ nequaquam exponuntur notitiæ, nec satisfactio imponitur coram Ecclesia peragenda; vel si publicè, non ita fieri debet, ut ex ea qualitas criminis innotescat. Pœnitentia publica est illa, in qua crimina enormia, & coram aliis patrata apud Ecclesiam publicè aperiuntur, & publicà quoque satisfactio peragitur: quo pacto graviores culpæ in Monasteriis strictioris disciplinæ corrigi solent. Pœnitentia solemnis publicitati multa superaddit: nam publica pro quibuscumque publicis criminibus imponebatur; solemnis verò pro gravissimis tantum, & enormioribus criminibus solebat imponi, scandalum in Populum ingerentibus.

364. Secundò Pœnitentia publica repeti poterat, solemnis verò unica tantum vice præscribi consueverat, eoquia esset publica professio non amplius ad priora crimina redeundi, in quæ si relabi Pœnitentem contigisset, aliis pœnis plectebatur, quas recenset Siricius Papa Epist. 1. cap. 5. Tertiò Pœnitentia publica Sacerdotibus quoque imponi poterat dist. 81. cap. *Presbyter*, non autem solemnis, & propterea eadem affecti ad Clerum erant inhabiles, ex Innoc. I. Epist. 6. Quartò Pœnitentia solemnis imponi Conjugatis nequaquam poterat sine mutuo consensu, ex Arelat. II. cap. 22. cum Pœni-

nitentibus officium conjugale foret interdictum; innuptis verò Matrimonium contrahere permittebatur, ex Tolet. VI. cap. 8. ob carnis fragilitatem. Quinto Pœnitentia solemnis ab Episcopis tantum præscribebatur, & fieri reconciliatio, & pax Ecclesiæ impertiri: non solemnis verò à Presbyteris quoque tribui consueverat, ex Carthag. III. Can. 31., & 32.

365. Ritus hujusmodi Pœnitentiæ erat. I. Pœnitentes nigra veste, ac cilicio induebantur. II. Caput cinere conspergebant & tondebantur, præter fœminas, quæ illud velabant; ex Agat. cap. 13.; singulis jejunii diebus ad Ecclesiam veniebant, capita Sacerdotibus submittèbant manum imponentibus. III. Diebus Dominicis, & tempore Paschali cæteris Fidelibus in Ecclesia stantibus, ipsi genua flectebant.

366. Hujusmodi Ritus graves pœnæ comitabantur. I. Enim Pœnitentes ab Eucharistia abstinebant, ex Cypriano de Lapsis. II. Ad Clerum promoveri non poterant, ex Siricio epist. 1. III. à Nuptiis præter adolescentes arcebantur, ex Leone Epist. 19. cap. 14. IV. Ad militiam sæcularem non admittebantur, ex eodem. V. Unctione Infirmorum carebant, ex Innoc. I. ad Decen. cap. 8. nec in Baptismo, aut Confirmatione susceptores esse poterant, ex Parisien. cap. ult. VI. Mortuos sepeliebant, ex Chartag. IV. cap. 81. & à conviviis, balneis etsi invitati abstinentes, jejuniis, & orationibus in cinere, & cilicio vacare jubebantur, ex Tertul. lib. de Pœnit.

367. In Ecclesia quoque diversus erat locus juxta varium Pœnitentium statum plus, vel minùs ab Altari remoti, quo proximiores erant absolutioni, & Classes distinguebantur Flentium, Audientium, Prostratorum, Stantium.

Quæ quidem disciplina pluribus sæculis viguit! at in Concilio Nicæno I. temperata est, & sequentibus sæculis adhuc mitior effecta, ne nimius rigor medicinæ exasperaret vulnera Infirmorum, potiusquam sanaret.

SECTIO SECUNDA

Utrum Confessio explicita Peccatorum omnium sit ad Pœnitentiæ Sacramentum necessaria?

368. Jacobitis Pœnitentiæ Sacramentum non adeo displiceret, si peccata tantum in genere, vel leviora, aut omissis circumstantiis speciem mutantibus, vel nimium aggravantibus, aperire Sacerdotibus oporteret: at nolunt audire, requiri omnium peccatorum, quæcumque post diligens examen memoriæ occurrunt, detectionem apud Sacerdotem esse necessariam. Videndum est an Pœnitentiæ Sacramentum hujusmodi exigat Confessionem?

ARTICULUS PRIMUS

Dicendum est, ad Pœnitentiæ Sacramentum rite conficiendum, omnium prorsus peccatorum lethalium, quæ memoriæ occurrunt, ac circumstantiarum specie diversarum Confessionem esse necessariam.

369. Prob. breviter ex Scriptura: Christus Dominus non dimittit peccata Hominibus, nisi per Apostolorum, & eorum, qui eisdem succedunt, Sacerdotum ministerium in Pœnitentiæ Sacramento: Matth. 18. 18. *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt li-*

gata & in Cœlis ! & quæcumque solveritis super terram erunt soluta & in Cælis. Et Joan. 20. 22. *Accipite Spiritum Sanctum : quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt* : at Sacerdotes, & Successores Apostolorum dimittere nequeunt peccata, nisi præmissa à Reis peccatorum omnium, & circumstantiarum saltem speciem mutantium explicita, distinctaque Confessione; ergò ad veniam obtinendam in Pœnitentiæ Sacramento Confessio hæc criminum omnium memoriæ occurrentium, atque circumstantiarum specie mutantium omnino est necessaria. Maj. est certa, cum in Evangeliis nullum aliud medium assignetur pro remissione peccatorum, præter Apostolicam authoritatem, & propterea Tribunal ipsorum non est arbitrarium, sed necessario ab iis, qui veniam cupiunt obtinere, conveniendum, & propterea cum eodem agendum, sicut Deus ipse conveniretur : Min. etiam est perspicua : nullus enim est Judex in creatis, qui de Causæ meritis sibi incognitis ferre judicium possit, justamque dicere sententiam : hinc videmus in Foris externis tot institui criminales inquisitiones, Testium examina, Reorumque vellicationes, ut nimirum Judici Causæ merita plenè innotescant, atque justam inde ferre sententiam possit; ergò, cum in Foro Pœnitentiali, in quo ministerialiter Sacerdos Judex sedet Dei locum tenens, Causæ merita, idest peccata manifestari nequeant, nisi Peccator ipse revelet, sequitur apertissimè ad salutarem eorum indulgentiam obtinendam omnia ea fateri oportere, cum omnibus circumstantiis, quæ ad illorum sufficientem cognitionem aliquo pacto possunt conducere.

A R-

ARTICULUS SECUNDUS

Idipsum ex Patribus ostenditur.

370. BAsilius Magn. Quæst. Brevior. Inter. 288. *Necessariò*, inquit, *iis peccata aperiri debent, quibus credita est dispensatio Mysteriorum Dei. Siquidem rationem hanc in Pœnitentia etiam veteri illos cernimus secutos fuisse, quando in Evangelio scriptum est, quod Joanni confitebantur peccata sua, & in Actis Apostolicis ipsis, à quibus etiam baptizabantur cuncti*: Cyril. Jerosol. Chatec. 1. *Tempus præsens est tempus Confessionis. Confitere, quæ perpetrasti sive verbo, sive opere, sive noctu, sive interdiu. Confitere tempore acceptabili, & in die salutis*. Nissen. Peccatricem quamdam adhortans: *Audacter*, inquit, *ostende Sacerdoti, quæ sunt recondita, Animi arcana, tamquam occulta vulnera Medico detege; ipse & honoris, & valetudinis tuæ rationem habebit*. Chrysost. Hom. 33. in Joan. *Vos autem hortor, dilectissimi, ut etsi nemo opera nostra videat, singuli suam conscientiam ingrediantur, & Judicem sibi rationem constituant, errata sua in medium adducant, nisi velint in die illa horrenda Universo Orbi manifestè ea patere: sanentur jam vulnera, sumatur Pœnitentiæ medicina*. Alias plures authoritates, tum ex Græcis, tum ex Latinis Patribus haustas, & quidem luculentissimas, qui videre cupit, adeat Jodoc. Cocc. tom. 2. Thesaur. Cath. art. 3. & 4. Bellarm. tom. 3. Controver. lib. 4. cap. 6. ergò ex Patribus ad Sacramentum Pœnitentiæ omnium Peccatorum Confessio necessaria est.

ARTICULUS TERTIUS

Idipſum authoritate Eccleſiæ evincitur.

371. LAodicenum antiquiſsimum, anno quippe Chriſti 320. celebratum ſub Silveſtro Papa, ut rectè probat Bail Sum. Concil. tom. 2. ſæcul. 4. aſſertum noſtrum firmat Can. quippe 2. ſic habet: *De his, qui diverſis facinoribus peccaverunt, & perſeverantes in Oratione, Confeſſione, & Pœnitentia converſionem à malis habuere perfectam, pro qualitate delicti talibus Pœnitentiæ tempus impenſum propter clementiam, & bonitatem Dei communio concedatur*: quibus verbis oſtenditur, ad perfectam converſionem, nedum Pœnitentiam requiri, ſed etiam Confeſsionem explicitam omnium peccatorum, juxta quorum menſuram mulcta eſt imponenda.

372. Synodus Trullenſis ſeu Quini-ſexta 227. Epiſcopis confecta ſub Juſtiniano Juniore, tametſi minimè Oecumenica, magnæ tamen, præcipuè apud Orientales, æſtimationis Can. 102. apertè ſtatuit. Primò, Sacerdotes in hoc Sacro Tribunali Judices eſſe. Secundò, non dari extra illud Peccatori ſalutem, per quod medicamina apponuntur. Tertiò, receſſus omnes, & latibula conſcientiæ ad miſericordiam conſequendam, aperire oportere. Ex quibus Græci etiam Schiſmatici ſemper tenuerunt, ad ſalubrem Pœnitentiæ receptionem Confeſsione explicita Peccatorum omnium opus eſſe, ut patet ex Nicolao Cabaſila in explic. Litur. cap. 29. Anaſtaſ. Nicæn. in Quæſt. ſuper Script. cap. 64. Senſus ergò Eccleſiæ Orientalis eſt, neceſſariam omnino eſſe hujuſmodi peccato-

rum omnium coram Sacerdote Confessionem.

373. Florentinum denique, cui Jacobitæ, Armeni, aliæque Orientales Nationes assensum præbuerunt, ex Eugen. IV. Constit. *Cantate Domino*, in Decret. Union. ità se habet: *Quartum Sacramentum est Pœnitentia, cujus quasi materia sunt actus Pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes, quarum prima est Cordis Contritio, ad quam pertinet, ut doleat de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero. Secunda est Oris Confessio, ad quam pertinet, ut Peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo Sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia &c.* Deindè subdit: *Minister hujus Sacramenti est Sacerdos habens authoritatem absolvendi vel Ordinariam, vel ex Commissione.* Ex quibus apertè convincitur nedum Sacerdotes esse Judices in hoc Foro constitutos, verum etiam Confessionem Oris, & quidem omnium saltem gravium peccatorum, quibus Peccator gravatur, esse intrinsecè necessariam: dicitur autem Confessio *quasi materia*, non quod revera non sit reipsa talis, sed quia non est physica pars, sed moralis Sacramenti Pœnitentiæ.

ARTICULUS QUARTUS

Adducuntur nonnullæ Rationes.

374. I. PEccator, dum male agit, odit lucem, & ideò in reversione ad justitiam lucem quærere debet, qua redarguantur opera ejus mala: hoc autem fit per Confessionem, in qua fit manifestatio veritatis; ergo &c.

375. II. Sacerdos loco Christi Medicus est

Animarum, & propterea Christus, cum Leprosos sanasset, illis dixit Luc. 17. 14. *Ite, ostendite vos Sacerdotibus*, qui ejusdem Ministros in Novo Testamento præfigurabant: Medico autem vulnera omnia, languoresque ab ægro ostenduntur: quod enim ignorat medicina non curat, teste Trident. sess. 14. cap. 5. ergò etiam Sacerdoti omnia peccata.

376. III. Erubescentia, qua quis Homini peccata sua detegit, nedum pœna est peccati præteriti (hinc Præsules antiqui publicam Peccatorum Confessionem interdum imponebant, veluti partem satisfactionis Deo debitæ) sed medicina maxima futuri, cujus pavore Homines difficiliùs in peccata labuntur, eorumque veniam pudore illo, quo suffunduntur, faciliùs impetrant.

377. IV. Quià tranquillitas magna inducitur conscientiarum: nam peccata Clavibus Ecclesiæ prout oportet, subjiciendo, certitudo moralis inducitur veniæ obtentæ, quæ non obtinetur per actum Contritionis, quo peccata apud Deum reipsa delentur, cum difficillimum sit illum elicere, ac incertissimum, an sicuti oportet, revera elicitus sit; ergò Confessio peccatorum omnium in Sacramento Pœnitentiæ omninò necessaria est.

ARTICULUS QUINTUS

Solvuntur Objecta.

378. OBji. I. Peccata venialia materia sunt Sacramenti Pœnitentiæ, quæ tamen omnia, vel singula non tenentur Peccatores in Sacramentali Confessione aperire: ergò &c. Tumquia dimissio peccatorum, quæ asseritur tri-

tribui, Joan.20. 22. illa est, quæ promittitur, Matth. 18. 18. cum alius locus assignari non possit, in quo promittatur, & tribuatur: at Matth. 18. 18. non promittitur venia peccatis soli Sacerdoti in secreta Confessione, sponteque revelatis, sed solummodo in Foro externo publicè propositis; ergò ex Joan.20. 22. non tribuitur potestas remittendi peccata, nisi in Foro externo; & propterea præscribitur corrigenti proximum, & non proficienti, *Dic Ecclesiæ*, quæ profectò non judicat, nisi de externis.

379. Resp. breviter, neg. conseq. In tantum enim non tenemur venialia in Sacramento detegere, quia non sunt ejusdem necessaria materia; læthalia verò, quia amicitiam cum Deo, quæcumque illa sint, dissolvunt, & Reos faciunt æternæ damnationis, illa omnia, & singula, ut Sacramentum ritè conficiatur, aperire necesse est: si tamen etiam venialium Sacramentalem velimus absolutionem obtinere, singula quoque venialia sunt revelanda, quæ Christus idcircò necessariò Clavibus subjici noluit, quia aliis modis dimitti possunt utpote levia, nec Charitatem graviter lædentia.

380. Quod verò subditur, ad rem non facit; tumquia, etsi Scripturis apertè probari non posset, evincitur tamen Verbo tradito, & authoritate Ecclesiæ, cui quoque obtemperare, & cum ea sentire Jacobitæ etiam, & Armeni, si Christifideles esse velint, ut reipsa profitentur, utique tenentur, & de facto in Florentino professi sunt ejusdem decreta libenti animo amplectentes: tumquia, quamvis in utroque loco sermo fiat de Foro externo, quando peccata publicè corriguntur, & ex illis Ecclesiæ potestas correctiva elicitur, hoc tamen minimè favet Adversariis; nam, etsi asseratur publica

potestas peccata puniendi, quoties publicè Ecclesiæ deferuntur, vel ea dimittendi, si eidem placuerit, non tamen excluditur Apostolica authoritas dimittendi peccata, quæ spontè Apostolis aperiuntur; & propterea dicitur absolutè Mat. 18. 18. *Quæcumque ligaveritis &c.*

381. Si autem Joan. 20. 23. de dimissione Sacramentali fiat sermo, tunc dico, per verba illa, *Quæcumque ligaveritis*, Matth. 18. hujusmodi potestatem promissam, esse datam, Joan. 20. 23. cum ait: *Quorum remiseritis peccata &c.*

382. Nec repugnat eisdem verbis duplicem significari potestatem, si utraque explicetur collata, ut fit Joan. 20. ubi cum Christus dixit Apostolis: *Sicut misit me Pater, & Ego mitto vos*, illis verbis contulit potestatem in Foro externo, significatam per illa Matth. 18. *Quæcumque ligaveritis &c.* Cum verò dixit: *Accipite Spiritum Sanctum*: *quorum remiseritis peccata &c.* contulit potestatem etiam in Foro interno per illa universalissima quoque verba Matth. 18. significatam: *Quæcumque ligaveritis super Terram erunt ligata & in Cœlis*: *& quæcumque solveritis super Terram, erunt soluta & in Cœlis*. Quocirca optimè concluditur, sicut in Foro externo, nisi Reus crimen suum fateatur, aut documentis, vel testibus convincatur, damnari, aut absolvi non potest; ita in Foro interno, nisi Reus ipse confiteatur peccata sua, munus dimittendi, vel remittendi peccata à Successoribus Apostolorum nequaquam posse exerceri, quodquidem illud est; quod Catholici de Confessionis necessitate profitentur; adeoque &c.

383. Obji. II. Ex Patribus, qui videntur Confessionem nequaquam uti necessariam admit-

mittere! nam Ambros. lib. 10. in Luc. cap. 22. asserit, quod: *Lacrymæ crimen sine offensione verecundiæ confitentur.* Prosper lib. 2. Vit. contemplat. cap. 7. ait: *Quod si ipsi sibi Judices fuerint, & Ultores lacrymis ex vera cordis compunctione fluentibus, restinguent æterni ignis incendia.* Beda lib. 5. in Luc. ad illud: *Ostendite vos Sacerdotibus*, cum dixisset, Hæreses solummodo, Schismata, & Infidelitatem Sacerdoti detegi oportere, subdit: *Cætera verò vitia per se ipsum interius in Conscientia, & intellectu Dominus sanat, & corrigit.* Ex August. lib. Confess. cap. 3. & Cassian. coll. 20. cap. 8.; ergò ex Patribus Confessio externa peccatorum saltem omnium ad Pœnitentiæ Sacramentum minimè est necessaria.

384. Resp. neg. ant. Qui autem adducuntur Patres, cum alibi loculentissimè Catholicam Doctrinam tradiderint, in locis allegatis minimè Sacramentalem Pœnitentiæ Confessionem denegasse intelliguntur; sed de illa sermonem faciunt, quæ aliquando, deficiente Confessarii copia, cum Voto Sacramenti justificat: vel de illa, quæ necessaria fuit, nondum ad Sacramenti culmen erecta; vel de satisfactoria post ipsummet Sacramentum peragenda; vel excludunt publicam Confessionem, quæ cum verecundia coram omnibus interdum in Ecclesia fiebat Primitiva, quæ sequentibus sæculis sublata est.

385. Obji. III. Confessio explicita omnium peccatorum non descendit ex Divina Institutione, sed mere humanâ; ergò non est ad Sacramentum Pœnitentiæ necessaria. Conseq. patet, cum Sacramentum à solo Deo possit institui, adeoque à solo Deo ea institui, quæ ad Sacramenti necessitatem pertinent; ant. autem patet:

nam Laterán.IV. cap. *Utriusque Sexus*, videtur introducta hujusmodi Confessio; in Cabilon. enim II. cap. 35. asseritur, quosdam dicere, Deo solummodo confiteri oportere, alios verò Sacerdotibus, utrumque tamen utiliter fieri: Confessionem, quæ fit Sacerdotibus, esse secundum Apostolicam institutionem: Confessionem, quæ fit Deo, purgare peccata; quæ verò fit Sacerdoti, docere qualiter ipsa purgentur peccata. Similia dicit Theodorus Cantuariensis Episcopus cap. Final. de Pœnit. Dist. 1. Seraphicus verò Doct. Bonaventura, qui post Lateran.IV. floruit, 4. Dist. 17. Par. 2. in exposit. Textus Magis. Dub. 1. asserit, eum qui ante Lateran.IV. necessitatem Confessionis negasset, non fuisse Hæreticum; ergò Confessio explicita peccatorum non est de substantia Sacramenti Pœnitentiæ, sed mera humana institutio.

386. Resp. neg. ant., ad cujus probat. neg. conseq. Lateranense enim IV. cap. *Utriusque Sexus*, non instituit Confessionem, cum ejusdem institutæ meminerint Sanctus Leo Mag. Epist. 91. ad Theodor. Forojulien. Episcop., & ipso antiquior Innoc. I. Epist. 2. ad Decen. Cyprian. Mart. adhuc antiquior de Lapsis, & antiquissimus Tertullian. qui secundo sæculo floruit, Lib. de Pœnit.; sed institutam determinato tempore fieri præscripsit.

387. Cabilonense Secundum pro nobis facit, dum asserit, Confessionem, quæ fit Sacerdotibus, esse utilem, sicut illam, quæ fit Deo; nam una ab altera non distinguitur, quidquid alii dixerint: nec asserit hujusmodi Confessionem à sola institutione Apostolica prodire, sed Apostolicam esse institutionem, quod utique verum esse potest, etsi Christum habuerit primarium Authorem, cum Apostoli ea, quæ Chri-

Christus instituit, etiam Decretis suis roboraverint. Dicitur quoque optimè, Confessione, quæ fit Deo, peccata purgari, quia includit Contritionem cum voto Sacramenti, & onere se Ministro Ecclesiæ sistendi, cum opportunitas accesserit, ex Triden. sess. 14. cap. 4. Confessione verò, quæ fit Sacerdoti, dicitur doceri, quomodo purgentur peccata, non quia ipsa revera non purget; sed quia ultra hoc Pœnitens peccata Sacerdoti aperiens, nedum remedia imposterum præcavendi accipit, sed viam Sacerdoti pandit, satisfactionem imponendi, qua peccata quoad reatum quoque pœnæ purgantur, & idcireò in eodem Cabilonen. cap. 34. præscribitur Sacerdotibus, ut juxta Canones, & qualitatem criminum satisfactiones imponant: quo pacto intelligendus est etiam Theodorus.

388. S. Bonaventura ait, non fuisse Hæreticum, qui ante Lateran.IV. Statutum, hujusmodi sententiam tenuisset, non quia non esset de Fide in se; sed quia non erat adhuc de Fide declaratum. Itaque Sanctus Doctor in hoc solo differt ab aliis, quod ipsi censeant, Dogma hoc esse de Fide explicitè, ipse verò censebat esse de Fide implicitè, & Confessionem ex institutione quidem Apostolica prodiisse, adstitisse tamen Christi mandatum saltem implicitum, & virtuale, cum Sacramentum Pœnitentiæ à Christo institutum per modum Judicii absque Peccatorum Confessione nullo pacto possit intelligi, & propterea nihil favet Adversariis.

389. Obji. IV. Confessio auricularis omnium prorsus Peccatorum Juri naturali contradicit, eo quia infert apud Confessarium sui ipsius infamiam; ergò sicuti repugnat Juri natura-

turali Proximum infamare etiam in secreto, ita ob eamdem rationem non licet infamare seipsum; ergò Confessio hujusmodi repugnat Juri naturali, & Charitati, qua nos ipsos, sicuti etiam Proximum, diligere debemus, adeoque Confessio hujusmodi ad Pœnitentiæ Sacramentum minimè est necessaria; maximè quia in perniciem Proximi redundare posset, cum Confessarius peccata sibi in Confessione detecta, publica posset efficere.

590. Resp. neg. ant., ad cujus probat. dico, Confitentem peccata sua Confessario ad veniam eorum obtinendam non infamare seipsum, cum Pœnitentia corrigat, quod iniquè ab eo gestum est, & coram secretissimo Judice peccatum non exprobrante, sed remittente, ac paterno affectu Reum pœnitentem complectente, crimenque sibi revelatum severissimo silentio custodiente. Et profectò, ut optimè Seraphicus Bonaventura 4. Dist. 17. art. 1. Quæst. 1. ad ultimum, stulta esset verecundia nolentis ulcus suum putulentum, etsi ex scelere profectum, medico ostendere, ne famam amitteret.

591. Permitto autem, quod sicuti absque legitima Causa famam Proximi prodere non licet, ita neque propriam fas est proscindere, ob præceptum Charitatis erga Proximum, & se ipsum: at sicuti ex motivo publici boni, vel etiam privatæ utilitatis Proximi licitum est ejus peccata revelare, tametsi sub naturali secreto cognita, cur non licebit etiam propria ob utilitates adeo magnas ex revelatione in Sacramento Pœnitentiæ redundantes? Hoc timore in Primitiva Ecclesia minimè Fideles angebantur, qui permittebant, propria crimina Confessario revelata publicè in Ecclesia detegi, ut hujusmodi confusione peccatorum suorum facilìus

liùs veniam impetrarent: nec reipsa famam amittebant, sed potius humilitatis, & sanctimoniæ laudem ab omnibus obtinebant.

392. Ultimum, quod objicitur, ponit timorem, ubi timendum non est. Neque enim metuendum est, Confessarium hostem futurum, qui ex odio peccata sibi in Confessione detecta velit revelare; arctis enim adeo vinculis secreti constringitur, ut ne syllabam quidem sub gravissimis pœnis valeat eorum, quæ sibi in Confessione dicta sunt, in publicum prodere: nec si proderet, ullam apud Judices, & Tribunalia fidem inveniret, ut infra videbimus.

ARTICULUS SEXTUS

Nonnullæ Quæstiunculæ resolvuntur.

393. Quæres I. An Confessio Sacramentalis necessariò debeat esse secreta?

394. Resp. Negativè; sed posse fieri publicè, si Pœnitens vellet ad majorem sui humilitatem. Ratio est, quia in Institutione Sacramenti Joan. 20. 23. solummodo sancitum est, peccata Sacerdotibus aperiri oportere, & ab eisdem absolutionem impendi, si necessarias dispositiones in Confitentibus reperiat: hoc autem fieri potést, sivè Confessio publica sit, sivè secreta, docente Triden. sess. 14. cap. 5. etsi ob humanam fragilitatem publica nequaquam sit in usu.

395. Quæres II. An peccata venialia omnia confiteri necessè sit, & circumstantias notabiliter mortale intra eamdem speciem aggravantes?

396. Resp. Quantum ad primam partem negativè cum Triden. sess. 14. cap. 5.: cum enim Dei amicitiam minimè solvant, aliisque modis pos-

posſint expiari, nullam inducunt neceſsitatem illa confitendi, & propterea, quoniam materia ſunt voluntaria Confeſsionis, omitti omnia poſſunt, aut unum ſine altero aperiri: ſi tamen Confeſsioni exponantur, eorum verus dolor requiritur, & propoſitum emendationis, utpote vera Sacramenti materia.

397. Ad ſecundam partem Quæſiti dico, ſufficere circumſtantias ſpeciem mutantes aperire, ut clarè habetur ex Triden. ſeſs. 14. cap. 5. ſufficienter enim Confeſſarium inſtruunt de ſtatu Pœnitentis, ut judicium ferre poſsit; per hoc tamen non nego tutum, & utile eſſe aperire quoque circumſtantias notabiliter aggravantes, ut notat Subtilis Doctor in 4. Diſt. 17. n. 20. Quod ſi Confeſſarius de conſuetudine peccandi Reum interpellet illam fateri debet, juxta Decretum Innoc. XI. Propoſit. 65. proſcribentis: *Non tenemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicujus conſuetudinem*.

398. Quæres III. An peccatum fictionis, quo quis indiſpoſitus ad Baptiſmum acceſsit, vel ob complacentiam ante commiſsi, vel ob aliud commiſſum in ipſomet actu recipiendi Baptiſmum, in Confeſsione ſit aperiendum?

399. Reſp. affirmativè cum D. Auguſt. lib. de Baptiſ. Parvul. cap. 12. tom. 7. & Scholaſtici conſentiunt. D. Thom. 3. Parte Quæſt. 69. art. 10. D. Bonav. 4. Diſt. 4. Par. 2. Quæſt. 3. Subtilis ibidem Quæſt. 5. Summa enim injuria Deo fit, & ipſimet Sacramento, reddendo illud infructuoſum: & propterea peccatum expiari non poteſt, niſi alio Sacramento laborioſo, nempe Pœnitentiæ. Si verò ignoretur, an fictio in ipſo Sacramento acciderit, vel ante, ne ſalus æterna diſcrimini exponatur, Sacramentali Pœnitentiæ Foro fictio hæc eſt exponen-

nenda. Ita Brancatus noster de Pœnit. Disp. 12. art. 3.

400. Quæres IV. An peccata dubia, & Complices, sine quorum expressione peccati species declarari non potest, sint in Confessione aperienda?

401. Resp. dubitantem, se aliquod peccatum commisisse, aut esse veniale, vel mortale, aut illud se fuisse confessum, necne, teneri illud Sacerdoti confiteri: quia, nisi confiteretur, exponeret se periculo invaliditatis Sacramenti, circa cujus valorem, tutiori parti adhærendum est, juxta declarationem Innoc. XI. in proscrip. Propos. Si tamen superveniat certitudo de peccato commisso, hanc circumstantiam in subsequenti Confessione minimè opus est aperire, supposito tamen, quod tota actio peccaminosa manifestata sit Confessario, ut in se deliberatè facta est; cum tunc peccatum Ecclesiæ Clavibus jam fuerit subjectum, & Confessarius munere suo functus, nec peccatum ob majorem certitudinem speciem mutaverit; sicut absolutus ad cautelam à censuris, adveniente certitudine, nequaquam denuò absolvitur.

402. Quantum verò ad Complices attinet, præscindendo à discrimine sigilli fractionis, aut vitæ amittendæ, vel alterius gravis detrimenti, dicendum est, revelari debere. Nam ex Trident. sess. 14. cap. 5. circumstantiæ Judicium Confessarii, speciemque mutantes aperiendæ sunt: circumstantia autem Complicis interdum judicium Confessarii, speciemque peccati variare potest, ut si Sacerdos cum Muliere consanguinea rem haberet, adderet quippè fornicationi incestus, ac sacrilegii malitiam; igitur hæc circumstantia necessariò aperienda est: Complex verò sibi debet imputare, quod famam

apud

apud Confessarium amittat? non enim Pœnitens plus famam Proximi, quam suam amare debet; ergò sicut teneor peccatum proprium aperire, etsi apud Confessarium famam amittam; ita teneor etiam prodere crimen Complicis, etsi fama ejus apud Confessarium pereat.

403. Quæres V. An mala ex peccato prodeuntia in Confessione aperienda sint?

404. Resp. Quoties hæc prævideantur, aut prævideri debuerint, in Confessione aperiri oportere. Ratio est, quia hujusmodi mala ex prævisione sunt volita, ac proinde peccata, etiamsi minimè sequantur in effectu; si verò reipsa sequantur, & qui peccavit in causa, posset ea mala impedire, exprimi debent in alia Confessione, eo quia fuerunt in causa voluntaria, cum malitiam aliquam addant in executione, quam non habuerunt pure prævisa, sicut opus bonum in executione aliquid addit eidem à voluntate mere concupitum. Ita Suarez de Pœnit. Disp. 12. art. 6.

405. Quæres VI. An habens reservata, nec potens ad Superiorem reservantem accedere, dum urget Confessionis necessitas, Sacerdoti non habenti facultatem, nedum non reservata, sed etiam reservata aperire debeat, Superiori verò tantum reservata?

406. Resp. Utique omnia aperiri oportere, si Uterque velit audire. Hoc enim Sacramentale postulat Judicium. At consultius esset, à Superiore reservante, auferri reservationem, & Pœnitentem ad Confessarium suum, cui non reservata fuere detecta, pro plena omnium absolutione remitti; hoc enim pacto integritas Sacramentalis minimè violatur, & unicum salvatur Sacramentale Judicium.

SE-

SECTIO TERTIA

An consuetudo Græcorum Acatholicorum exigendi ab Ordinandis attestationem Confessarii de idoneitate circa mores, ut vigore ejusdem repellantur, vel admittantur, sustineri valeat?

407. GRæci moderni Acatholici neminem ad Sacros Ordines admittunt, nisi attestatum Confessarii produxerit, initiandum nullo crimine, aut impedimento sibi in Confessione detecto à Sacra Ordinatione retardari: imo Photiani Episcopi oretenus Confessarios interrogant, & ad responsionem affirmativam, vel negativam compellunt, an Ordinandum dignum censeant promoveri, vel indignum: Ita ex Margun., Critop., Malaxo, Aliisque sectariis Græcis recentioribus refert Nicolaus Papadop. Græcus Catholicus ex modernis doctissimus, in Prænot. Mystag. resp. 6. sec. 8. & 9. etsi asserat, non deesse ex Photianis, qui morem hunc detestentur.

408. Notandum autem est, duobus modis hujusmodi testificationem fieri posse: uno modo positivè; asserendo nimirum, initiandum esse dignum, vel indignum. II. negativè, negando scilicet dare testificationem sivè scripto, sivè verbo.

409. Notandum est insuper, nedum Latinos, sed etiam Græcos in hoc convenire, ut sigillum Sacramentale rigidè custodiatur, quod quidem ex jure Græco luculenter Papadop. evincit, Græcisque Doctoribus: sed in hoc difficultatem sitam esse, utrum in casu isto particulari liceat, adsitque fractio sigilli?

A R-

ARTICULUS PRIMUS

Dicendum est I. Consuetudinem Græcorum Acatholicorum Antistitum Confessarios interrogandi ut testes de qualitate Ordinandorum, minimè posse sustineri utpotè illicitam.

410. PRob. I. breviter: illicitum est Judici interrogare, ac compellere ad responsionem alieni Fori, qua talis est, subditum; est quippe ejusdem invadere jurisdictionem: Episcopus autem interrogans Confessarium, quà talis est, de qualitate Ordinandorum, cum negotium agat regiminis, Forique externi, eo pacto, quo de validitate censuræ, de Matrimonii impedimentis, de electionum qualitatibus inquirit, & in quo tunc judicium agit, compellit ad responsionem subditum alieni Fori, uti firmant Bald. in 2. Archigeron. C. de Episcopi audientia. Felin. in cap. 1. de Except. Mascard. de Probat. Vol. 1. Conc. 377. n. 1. apud Covarru. de Matrim. Part. 2. cap. 8. n. 10; ergò Episcopus interpellans Confessarium, qua talis est, de qualitate Ordinandorum, interrogat subditum alieni Fori, cujus usurpat jurisdictionem; ergò illicitè agit.

411. II. Judex non potest à Teste percunctari, quæ citra peccatum nequit respondere; ista enim correlativa sunt: at Sacerdos nequit de iis respondere, quæ Confessione excepit, etiam si à publico Magistratu interrogetur, non enim respondere id potest, quod ignorat, uti tradit Harmenopolus Libel. de Test. cap. 7. Extra verò Sacramentum ignorat ea, quæ sibi in Sacris Confessionibus aperta sunt, in quibus non privatam, sed Christi Personam repræsen-

tans,

tans, audivit, ex Paulo 2. Cor. 5. 21. *Christo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos*; adeoque extra Sacramentum verè ignorat sibi in eodem revelata, ut optimè Chrysost. de prodit. Judæ, & fatentur Græci, Coresſius Epiſt. 3. ad Coridal. melet. Patriar. lib. de ſac. myſt. tit. de Sac. Pœnit., & poſſe eum aſſerere, ſe ignorare, ex D.Thom. ſupplem. Quæſt. 11. art. 1. ad 1. & 3. concludunt Lugo Diſput.23. de Pœnit. Dian. Par. 5. tit. 11.; ergò ſicuti Confeſſarius nullo pacto prodere, ita nec Epiſcopus interrogare poteſt de iis, quæ in Confeſsione audita ſunt.

412. III. Evincitur idipſum ex hoc, quod, admiſsâ hujuſmodi Doctrinâ, fruſtrabitur omnino finis examinis Epiſcopalis in ordine ad aptos ordinandos, & indignos repellendos: ſi enim Confeſſarius detegere poteſt impedimenta, criminaque ab Ordinibus arcentia, improbi majori ex parte Ordinibus initiabuntur, qui Dei timore poſthabito, crimina illa, & impedimenta minimè revelabunt; probi verò, etſi leves defectus, & maculas habeant, & raro in læthalia labantur, ne famæ ſuæ periculum faciant, ad Sacros Ordines admitti minimè poſtulabunt; ergò fruſtrabitur finis Epiſcopalis examinis eo tendentis ut improbi repellantur, & digniores admittantur, vel ſaltem haud indigni; & idem continget, ſi Judices Pœnitentiæ in teſtes adhibeantur criminales: nemo enim facinora ſua pandet Confeſſario, quem, novit eſſe teſtem ſibi profectò in judicio criminali nociturum.

413. IV. Idipſum oſtenditur: Quia illicitè agit Epiſcopus adhibendo in examine Epiſcopali teſtem nihil probantem, cum inanem, & ludicram efficiat inquiſitionem in re tanti momenti

menti necessariam: Confessarius autem, quà talis, nihil probat, cum non habeat cognitionem distinctam ab illa, quam Reus habet de seipso; ergò nihil testificari potest evidentiâ aliqua distincta ab illa ipsiusmet Rei.

414. Nec refert, Confessionem extrajudicialem esse inditium grave delicti probativum, Cap. *In Primis* 2. Quæst. 1. Cap. *Audientiam* de Consuet. l. final. C. *Si à non competente Judice*: poterit ergò probari crimen, vel impedimentum hujusmodi Confessionem copulando cum gravi inditio, ex quibus resultat probatio, ex Passer. Trib. Regul. Quæst. 29. n. 10. ubi alios cumulat.

415. Nam Confessio extrajudicialis, ut grave faciat inditium, & legitimam præsumptionem inducat, debet esse probata per duos testes integros contestes. Glos. in l. final. Verb. *vel Indiciis* l. Famil. Ercis. Clar. quæst. 22. n. 1. Sousa lib. 2. cap. 39. n. 18. Guazzin. Defen. 30. cap. 31. Farinac. Quæst. 37. n. 18. Confessarius autem non est, nisi unus testis, nec integer, cum exceptione laboret Patris spiritualis eo modo, quo Patres carnales contra Liberos repelluntur. L. *Testis idoneus* 9. ff. de Testibus Cap. *si Testes* 3. 4. Epist. 2. & 3., & à nonnullis etiam ad Patrinos Baptismi extenditur, ex Farinac. Quæst. 34.; ergò eadem ratione repelluntur Confessarii, qui sunt Patres spirituales ex ipsismet Græcis Doctoribus, ut Prodromo in explicat. Conon. Pœnit. Taumat. Diplovat. Clarissimo Doctore in Synop. juris Græci tit. de Pœnit. secreto: adeoque nihil probat Confessarii testimonium extra Forum suum exiens; ergò peccat Episcopus Græcus exigens testimonium Confessarii, vel ipsum in testem advocans de vita, & moribus Ordinandorum.

416. Et

416. Et ita non minus doctrina, quam praxi senserunt Græci Patriarchæ sanctitate, & erudi tione clarissimi. Nicephorus Sanctissimus Præsul apud Diplovat. in calce Synop. Methodius apud Gabrielem Monachum in Sinax. S. Methodii, Ignat. clarissimus, & invictissimus Fidei, jurisque Ecclesiastici Defensor, in Sym. apud Canonar. de 6. Can. init. Can. Pœnit. & apud Gregor. Metoch. in Eethes. Histor. Stephanus Leonis Sapientis Augusti Frater uterinus inter Divos apud Græcos relatus ex Menol. 17. Maji. Fide Catholica clarissimus, ex Baron. ad an. Christi 886. n. 16. apud Psal. Junior. de Sac. myst. cap. 8. ex quibus, intactam Religionem retinentibus, secretum Sacramentale fuisse veluti Fidei Dogma severissimè custoditum eruitur, & propterea suspicatur Diplovatacius in Sinop. tit. de Pœnit. multa circa materiam hanc congerens Decreta diversis temporibus condita, non verè in Græca Ecclesia Orthodoxa natum errorem, sed aliundè ex prava quorumdam opinione irrepsisse.

417. Secunda pars, nempe non licere Græcis Episcopis testificationem Confessariorum à Candidatis Ordinandis de conditionibus ad Sacros Ordines necessariis exigere, iisdem rationibus probatur: tumquia indirectè Confessionis latibula revelantur, dum testificatio ad hoc necessaria nonnullis conceditur, nonnullis negatur: tumquia dictum Confessarii nullam fidem meretur utpote Parentis spiritualis, qui supponitur legis præsumptione favere Candidato, ut optimè advertit Leo Sapiens Augustus, apud Matth. Monach. Schol.6. Balsamon. Juris Græci interpres celeberrimus, apud Joan. Epist. Citri in Can. Pœnit. 5. Basil. cap. 3. & Alii apud Bessar. epist.4. ad Gennad.: tumquia

tota

tota firmitas testificationis fundatur in ipsomet Candidato asserente coram Confessario, se nullo impedimento à Sacris Ordinationibus retardari; hoc autem absurdum est, ex Apost. 2. Cor. 10. 18. dicente: *Non qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat*. Et sanè indignissimi omnes ad Sacras Ordinationes accederent, cum omnes Confessario maculas suas ab Altari repellentes utique reticerent, nec umquam paterentur scripto exarari; ergò consuetudo hujusmodi requirendi à Confessariis testificationem pro Ordinandis admittendis sive verbo, sive scripto fiat, utpote Sacramento injuriosa, & ad finem intentum penitus inutilis, veluti illicita est omnino repellenda.

ARTICULUS SECUNDUS

Solvuntur objectiones contra primam Partem.

418. OBji.I. Gravissimum negotium requirit certissimum, & rigidissimum examen: at promotio Ordinandorum est gravissimum Ecclesiæ negotium: ergò exigit certissimum, & rigidissimum examen: hoc autem fit exigendo à Confessariis testificationem sivè verbo, sive scripto de qualitatibus Ordinandorum, & impedimentis ab Ordine arcentibus, quandoquidem coram Deo, qui confitetur, est accusator, & testis sui ipsius, cui propterea citra hæsitationem credendum est; ergò hujusmodi testificatio Confessarii sive scripto, sive verbo est ut licita admittenda: tum quia majora mala sequuntur ex hujusmodi interrogationis omissione, quam ex fractione sigilli: ex priori enim oritur promotio malo-

rum

rum Ministrorum, quod est publicum Ecclesiæ incommodum: ex revelatione verò solummodò infamia promovendi, quod est malum privatum, publico minimè præferendum.

419. Resp. ne. min. subsumptum: nam qualitates Ordinandorum, mediâ Confessarii testificatione, verbo, vel scripto exaratâ, indagando, non est certissimum medium ad veritatem inveniendam: tumquia Confessarii strictissimo vinculo ad tegendam confitentium turpitudinem obstringuntur, & amore filii spiritualis ad id magnopere adiguntur: tumquia Doctrinâ hujusmodi in Ecclesia admissâ, Pœnitentes pudenda sua Confessarios celarent, sola levissima revelantes, cum Sacramenti contumelia, damnoque maximo ipsiusmet Ecclesiæ; igitur incertissimum esset Confessarii testimonium, & propterea Tribunalia illud repellunt.

420. Idcircò quod subditur levissimum est: nego quippe assumptum, & ejusdem conseq.: assumptum quidem, quia majora mala & incommoda ex sigilli Sacramentalis fractione, quam ex unius, vel alterius indigni admissione ad Ordines sequuntur; ex primo enim oriretur, aut neminem, aut paucissimos ad Pœnitentiæ Sacramentum accedere, nec nisi levissima peccata aperiri: ex secundo autem paucos tantum indignos admitti, qui possunt, aliis mediis detegi; quod quidem privatum incommodum est. Conseq. quoque mala est: nam ob quæcumque incommoda, numquam Deo injuria, ejusque Sacramentis irroganda est, quod sanè contingeret, si revelata in Confessione Sacramentali prodere liceret, Dei Tribunali unicè reservata.

421. Obji. II. Ex hoc, quod revelatio secreti Sacramentalis arceat Fideles à Pœniten-

tiæ Sacramento suscipiendo, ejusque abominationem inducat, non arguitur in aliquo casu minimè licere; ergò licitum est in aliquo casu; ergo Græci Episcopi benè agunt in examine Ordinandorum Confessarii testificationem exigentes; gravissimâ quippe causâ moventur. Conseq. patet. Prob. ant. ex hoc, quod revelatio secreti naturalis alicui externo arceat Homines à revelandis Amico secretis sub sigillo naturali, non arguitur in aliquibus casibus revelare secretum naturale nequaquam licere; ergò idipsum minimè arguitur in secreto Sacramentali, cum non minus malum sit, reddere odibile secretum naturale, quam Sacramentale: eo magis quia in Scripturis Pœnitentiæ institutivis non apparet obligatio adeo stricta hujusmodi secreti Sacramentalis.

422. Resp. ne. ant., & conseq. probat. Nam malum, quod revelatione secreti naturalis evitatur, nulla alia ratione evitari potest, nec spectat ad superius Tribunal, cum in linea pure naturali versetur, adeoque nec Amicus de secreti sui revelatione in casibus exceptis justè conqueri potest. Quæ autem à Confessario in examine Episcopali Græcorum flagitantur, alio pacto sciri possunt, nec Tribunali purè naturali subduntur, sed supernaturali, cui omninò reservantur: hinc peccata liberrimè tametsi pudenda, & secretissima Confessariis panduntur, & propterea rationabiliter secretorum Sacramentalium, non verò naturalium in casibus quibusdam revelatio esset odibilis.

423. Nec refert, hujusmodi secretum expressè in Scripturis minimè contineri: habetur enim in Verbo Dei tradito, & ex ipsamet Sacramenti institutione deducitur, cum loco Dei

Sa-

Sacerdotes in eo Tribunali Judices sedeant, ad quod peccata, veluti proprium Dei, deferuntur; & propterea ad aliud Tribunal trahi non possunt: quamvis autem in primitiva Ecclesia permitteretur interdum Pœnitentibus in Ambone pro majori sui humiliatione propria scelera revelari, quæ in Confessione aperuerant; numquam tamen licebat Sacerdotibus ipsa publicè exponere, Pœnitentibus invitis: imò sub rigidissimis pœnis erat interdictum, de Pœnit. Dist. 6. cap. 2.

ARTICULUS TERTIUS

Solvuntur Objecta contra secundam Partem.

424. OBji. I. Consuetudo antiquissima habet vim legis, & præscriptionem inducit, ipsismet Latinis fatentibus: at in Ecclesia Græca consuetudo viget antiquissima exigendi testimonium scriptum à Confessariis de qualitatibus Ordinandorum, ex Tarasio novæ Romæ Antistite, vitæ Sanctitate, & Doctrina clarissimo, Iconomachismi eversore, & VII. Synod. adversus eos promotore, epist. ad Chilian. Episcop. Rhimnæ sub Sidensi Metropol. apud Leonem Philosophum August. lib. 2. Juris Græci-Rom. tom. 1. Eumdem morem jam obsoletum restauravit Michael III. cognomento Anchialensis Constantinopolitanus Patriarcha, apud Coresium Epist 3. ad Coridal.; ergò hujusmodi consuetudo antiquissima habet vim legis; ergò licitè observatur.

425. Resp. majorem intelligi de consuetudine Juri Divino, & Naturali nequaquam contradicente, non verò de ipsis repugnante, veritati, & rationi minimè præferenda, Dist. 8.

 Cap.

Cap. *Veritate*, Cap. *si Consuetudinem*; tunc enim numquam præscribit, ut ipsemet docet Photius Græci Schismatis Author in Nomocan. tit. 1. cap. 3. Balsaman. in cap. 16. Primæ, & Secundæ Synodi.

426. Minor quoque falsa est ex ipsomet loco adducto Tarasii, qui eo loco consuetudinem hujusmodi dicit apertissimè malam esse, perversam, atque anathemate dignam, & propterea tollendam, quæcumque illa sit. Cæterum loquitur Tarasius non de Confessione secreta, & clanculari, sed de publica illa, & confusibili, quæ in Ecclesia fiebat interdum in primitiva Ecclesia, per Nectarium Constantinopolitanum Antistitem sublata, infamiam inferente, atque ab Ordinibus arcente, ex Innoc. I. epist. 3. Confessarius ergò testabatur, ex hujusmodi Confessione nihil adversus Filium spiritualem resultare, quominus ad Sacros Ordines admitteretur: & hoc pacto aliæ similes authoritates, si quæ ex Græca antiquitate adduci possunt, intelligendæ sunt: at nihil ad rem faciunt, cum de Confessione Sacramentali, uti in præsenti apud Græcos in usu est, sermo instituatur.

427. Obji. II. Episcopus, & Confessarius constituunt unum Tribunal Sacramentale, cum Confessarius authoritatem suam ab Episcopo accipiat; ergò, petente Episcopo, sibi aperiri revelata in Confessione à Candidatis Ordinationum, obtemperare debet, eo modo, quo Delegatus in Foro externo faciens unum cum Delegante Tribunal, potest ei aperire statum Causæ coram se vertentis. Sic etiam ob eamdem rationem Confessarius peccata reservata Pœnitentis ipsomet Reservanti licitè revelat pro absolvendi potestate obtinenda, & Inter-

pres

pres crimina confitentis aperit Confessario, ut ab eo eorumdem absolutionem obtineat.

428. Resp. ant. esse falsum: quamvis enim Confessarius ab Episcopo, Oves, super quas in Sacramentali Foro jurisdictionem exercet, accipiat, non tamen potestatem ligandi, atque solvendi; hanc enim habet ab ipsomet Christo, cum Sacerdotio initiatur. Cæterum ne. conseq. semper enim versamur in eodem Foro Sacramentali, & propterea Confessarius Præsuli reservanti peccata Pœnitentis revelare potest, & Interpres Confessario aperire, quia idem semper est Forum Sacramentale, eodemque vinculo secreti tam Reservans, quàm Interpres tenentur. Quando autem Episcopus requirit testificationem scriptam pro Ordinandis, id non facit ut Judex Sacramentalis, & in Foro interno, sed veluti judicialis, & in Foro externo; adeoque disparitas latissima est, nec ullo pacto Episcoporum Orientalium abusum justificat.

CAPUT V.

De Unctionis Extremæ Sacramento.

SECTIO PRIMA

An extrema Unctio sit verum novæ Legis Sacramentum?

429. UNctionem Ægrotorum in vitæ discrimine laborantium, extremam appellatam, certisque Ritibus collatam, Novæ Legis esse Sacramentum, Catholica tenet Ecclesia, usuque perpetuo confirmatur. Jacobitæ, & Cophtæ oppositum mordicus sustinent: quibus Sectarii quoque Occidentales suppetias ferunt

nedum antiqui, ut Albigenses, Lollardi, Wiclephistæ: verum etiam moderni Lutherani, & Calvinistæ, quos omnes Triden. sess. 14. Can. 2. anathemate proscribit. Videndum est, an fundamento aliquo nitantur?

430. Notandum autem est, multas dari in Dei Ecclesia Unctiones. I. Est Cathecumenorum ante Baptisma. II. Baptizatorum in fronte per Episcopos, quæ Confirmatio appellatur. III. Qua Sacerdotum manus, Episcoporum vero & manus, & caput in sui Ordinatione perunguntur. IV. Qua Reges Oleo ab Episcopis sacrantur. V. Quæ in sacrorum Vasorum, Altaris, Templique consecratione fieri solet. VI. Qua Fideles ægroti, dum in vitæ discrimine versantur, Oleo ab Episcopis benedicto perunguntur in aliquibus membris, & propterea Extrema vocitatur. De hac ultima Quæstio vertitur, an sit Novæ Legis Sacramentum?

ARTICULUS PRIMUS

Unctio in postremo hoc sensu accepta est verum Novæ Legis Sacramentum.

431. Ostenditur breviter ex Divina Scriptura: nam Jacobi 5. 14. habetur: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum Oleo in nomine Domini: & Oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei*: quibus verbis denotatur signum efficax Gratiæ, quæ infunditur in hoc Sacramento: nam per *Ungentes Oleo* innuitur materia, sicut in Baptismo per ly *Baptizantes*, Matth. ult. Per ly *in nomine Domini* indicatur forma ex Divina institutione profecta,

fecta, ficut eadem de Baptifmo innuitur, Math. ult. dum dicitur, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: infufio verò Gratiæ, cæterique Extremæ Unctionis effectus illis verbis exprimuntur: *Et alleviabit eum Dominus; &, si in peccatis fit, remittentur ei*: ficut Joann. 3. 5. dicitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*. Miniftri quoque defignantur, dum dicitur: *Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum*, ficut Matth. ult. poftquam Apoftolis dictum eft: *Docete omnes Gentes*, fubditur: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; ergò in Unctione Extrema reperitur fignum fenfibile, Gratiæ infufio, ab illo figno ex Divina inftitutione dependens; adeoque eft verum, & proprium Novæ Legis Sacramentum.

432. Nec dici poteft, deeffe Chrifti inftitutionem in loco citato non apparentem; etfi enim explicitè ibi non pateat, habetur tamen implicitè, & æquivalenter, dum afferitur ibi, remitti peccata, quod fieri nequit, nifi à folo Deo, & quidem per Gratiæ infufionem cum reftrictione ad peculiares Miniftros, nempè Presbyteros, & materiam determinatam, nempè Oleum, Unctionem, ac preces determinatas, fcilicet Orationem fidei, formæ vices gerentes; ergò Symbola ifta figna funt Sacramentalia, non à Jacobo inventa; tantus enim Apoftolus hujufmodi flagitium nec cogitaffe dicendus eft; fed promulgata, infinuata tamen apud Marcum 6. 13. ut optimè Triden. fefs. 14. cap. 1. adeoque ad donum fanitatis nequaquam pertinet, quo morbi corporales folummodo tolluntur: Extrema autem Unctio morbos aufert fpirituales, nempe peccata, & munera cœleftia

Gratiæ largitur, quod non facit donum sanitatis.

433. Ecclesiæ quoque sensus, & usus idipsum docet: nam præter antiquos Patres Chrysost. lib. 3. de Sacerd. Cyril. Alexand. de Orat. in Spirit. lib. 6. August. serm. 215. Innoc. I. Epist. ad Decen. Eugub. Episcop. n. 8. Dist. 95. Cap. *Illud superfluum*. Et Concilia Nicænum Can. 69. ex Arab. translat. Cabilon. II. Can. 48. Mogunt. sub Rabano cap. 26. Meldense apud Burcard. lib. 4. cap. 75. Florent. Oecumen. cui Nationes Orientales assensum præbuerunt, apertè id diffinivit in Instruc. Armen., inquit enim: *Quintum Sacramentum Extrema Unctio est, cujus materia est Oleum olivæ per Episcopum benedictum. Hoc Sacramentum, nisi infirmis, de cujus morte timetur, dari non debet.*

434. Idipsum Ecclesia Græca, etiam Schismatica sensit, ut ex Euchologia habemus c. 98. ita sonante: *Canon consolationis in Peccatoris Confessione, quod etiam fit in administranda Extrema Unctione*. Magisque explicat Nicolaus Cabasilas de Liturgia cap. 29. ita scribens: *Peccatorum quoque remissio Pœnitentibus datur per orationem Sacerdotum, & ultimum Olei Sacramentum, quod etiam corporalis morbi medelam, & peccatorum remissionem dat iis, quibus peragitur, ut habet Apostolica traditio: Infirmatur quis in vobis? Accersat Presbyteros Ecclesiæ, & orent pro ipso, ungentes eum Oleo, & Oratio fidei servabit laborantem*. Similia tradit Jeremias Constantinopolitanus Patriarcha Resp. 1. ad Interrog. Germon. cap. 7. Extremam Unctionem inter septem Sacramenta recensens, quod quidem Græci Venetiis degentes confirmarunt Resp. 12. inter septem Sacramenta Extremam quoque Unctionem numerantes:

Hinc

Hinc Michaelem Augustum Andronici filium, salute jam desperata, Sacram Unctionem sumpsisse, narrat Georgius Pachimeres lib. 11. Hist. Ecclesiast., & de similibus Ecclesiæ monumenta innumera referunt exempla; igitur ex Doctrina, & sensu Ecclesiæ Extrema Unctio est verum Novæ Legis Sacramentum.

435. Tandem ratio ipsa, & congruitas idipsum suadet: nam pro aliis necessitatibus cætera Sacramenta sunt instituta, nempe Baptismus, ut regeneremur ad Vitam, Confirmatio, ut roboremur ad pugnam, Pœnitentia, ut resurgamus ad Gloriam, Eucharistia, ut Spiritu nutriamur, Ordo, ut Ministri Ecclesiæ instituantur, Matrimonium, ut Populus Dei propagetur; ergò etiam medium aliquod, seù Sacramentum institui decuit, quo ægritudine laborantes, nedum ejus molestias libenti animo sustineamus, sed viribus quoque in agone, mortis muniamur, ut pugnare invictè cum hostibus nostræ salutis æternæ possimus, & animo lubenti Christi vultum morientes inspicere valeamus; ad hunc autem est Extrema Unctio finem instituta; ergò ipsa est verum Novę Legis Sacramentum.

ARTICULUS SECUNDUS

Solvuntur Objectiones.

436. OBji. I. Extrema Unctio effectus suos non producit ex opere operato, sed operantis, nempe Sacerdotis, cujus oratione impetrantur: dicitur enim in Textu citato Jacobi: *Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, & oratio Fidei salvabit infirmum*; ergò Extrema Unctio non est Novæ Legis Sacramentum.

437. Resp. nè. ant. Argumenti, & conf. probat. illa enim verba, quæ citantur Jacobi, non significant, orationibus Sacerdotum tamquam ex merito effectum produci, alioquin non magis Presbyteri, quàm alii viri Sancti, Sacerdotibus interdum meliores, possent ad orandum accersiri: sed quod verbà orationis, quibus utuntur Sacerdotes, rationem habent formæ: dicitur autem, *Oratio Fidei salvabit infirmum*, non quia effectus ex precibus, & merito prodeat Sacerdotis, tamquam Personæ privatæ, sed quia Fides significat omnia Charismata Fide nitentia, quæ communicantur unicuique, Rom. 1. 2. 3. *Sicut Deus divisit mensuram Fidei*: vel quia efficacia Sacramentorum in virtute consistit verborum Christi, quæ Fide comprehenduntur, juxta August. Trac. 80. in Joan.: vel quia in suscipiente, ut effectus habeatur, Fides requiritur; vel quia Sacerdos agit nomine Ecclesiæ, cujus Fide infirmus salvatur.

438. Obji. II. Extrema Unctio non producit infallibiliter effectum suum, nempe sanitatem Ægroti, quæ profectò præcipuus videtur hujus Sacramenti effectus; spiritualis enim, nempe remissio peccatorum, ponitur solummodo sub conditione, *&* *si in peccatis sit remittentur ei*, nec tamen semper habetur, cum obitus frequenter sequatur, aut saltem valetudo minimè restituatur: neque etiam remissionem peccatorum: nam reatus culpæ per Confessionem Sacramentalem, & Contritionem antecedentem supponitur deletus: reatus verò pœnæ per satisfactionem subsequentem, ad quam Ægrotus tenetur, extinguendus est: ergò Extrema Unctio non est Sacramentnm.

439. Resp. neg. ant., ad cujus probat. dico, Sanitatem corporalem esse quidem effe-

ctum

ctum hujus Sacramenti, si Ægroto expedierit, non tamen primarium, sed secundarium, eo quia non ad sanitatem absolutè tribuendam, sed alleviandam institutum est, ut faciliùs, & tranquillius ad Deum pergat: primariò verò ad Gratiam habitualem augendam, & alia munera Cœlestia tribuenda, quibus munitus ægrotus sistere se Divino Tribunali, si vocatus fuerit minimè formidet. Quantum verò ad peccata utique verum est, læthalia fuisse dimissa per Confessionem Sacramentalem: at hujusmodi Sacramento minuitur reatus pœnæ temporalis, & mortalià quoque dimittuntur per accidens, si obicem non invenerit, & Pœnitentię Sacramentum sumi non poterit, juxta doctrinam D. Thom. Supplem. Quæst. 30. art. 1., & Subtil. 4. Dist. 9. Quæst. Unic. §. *De secundo*, impedimenta quippè tollit Exeuntium, & reliquias peccati. Venialia verò dimittuntur per se, juxta Subtilem 4. Dist. 23. Quæst. Unic. §. *Primo sic*. Et Seraphicum ibidem art. 1. Quæst. 1. in Corp.; quocirca habetur integer effectus Sacramenti in rectè disposito, nempe valetudo corporalis, si Animæ expedierit, alleviatio morbi, & angustiarum mortis, si ad Deum pergere contingat: dimissio Venialium per se, & Mortalium per accidens, & Gratiæ augmentum.

440. Obji. III. In primitiva Ecclesia non legitur usus hujus Sacramenti, sicut cæterorum, vel saltem habetur solummodo, Oleum, quo Infirmi unguntur, benedictum esse oportere, quod nihil probat, cum innuat solum Ritum eo modo, quo Aqua benedicta esse debet, ut Baptismo deserviat: tumquia in Veteri Testamento non leguntur Figuræ Extremæ Unctionis, sicut cæterorum Sacramentorum: hinc nec Christum, nec Apostolos hujusmodi Unctionem ad-

 hibuis-

hibuisse legimus in Scripturis; ergò Extrema Unctio non est Sacramentum, sed merus Ritus.

441. Resp. falsum esse ant., cum ex Surio tom. 2., & Bollan. in Act. Sanct. plura legantur exempla; cæterum cum in primitiva Ecclesia Fidelium persecutio urgeret, & Ministri in Cathacumbis laterent, Apostoli verò curis majoribus premerentur, mirum non est, usum minimè legi adeo frequentem, qui in sæculis posterioribus habetur: quamvis autem apud Patres, & Concilia antiqua Extrema Unctio ità expressè non legatur, habetur tamen deductivè, cum statutum sit, Oleum Infirmorum ab Episcopis benedici oportere, quod de Oleis ad alios usus sacros ordinatis minimè dicitur.

442. Nec officit, in Veteri Testamento non legi usum hujusmodi Olei Infirmorum; ut enim optimè D. Thom. Supplem. Quæst. 19. art. 1. ad 2. Extrema Unctio Sacramentum est Exeuntium, Hominem immediatè ad Gloriam disponens; hujusmodi autem transitus eo tempore haberi nequaquam poterat, Redemptionis pretio nondum soluto. Cæteræ verò curationes, quæ in Scripturis leguntur, Oleo mediante, Unctionem hanc remotè præfigurarunt; quæ verò Mar. 6. 5. insinuatur, proximè, ex Triden. sess. 14. de Extrem. Unct. cap. 1.

443. Obji. IV. Unctio à Valentinianis Hæreticis in Vitæ fine morientibus, ex Iren. lib. 1. cap. 5. à Gentilibus verò defunctis Oleo Aqua mixto perunctis, legitur applicata; ergò Extrema Unctio non est Sacramentum, quod utique neque ab Hæreticis, nec à Gentilibus in usum adducitur.

444. Resp. ne. cons. Nam idem Ritus, & Elementum apud Paganos mera superstitio esse potest, apud Christianos verum Sacramentum,

sine

fine variato ! sic ablutio apud Mahumetanos, & Hæbreos fit superstitiosè, apud Christianos sanctissimè, cum ablutio tali Ritu confecta sit verum Baptismi Sacramentum. Ceterum Ethnici non morientes, sed mortuos Oleo Aqua permixto ungebant. Valentiniani in fine vitæ fortasse Sacramentum Extremæ Unctionis ministrare intendebant, cum essent Christiani, neque enim Hæretici in omnibus errant. Cæterum, si dicatur cum Epiphan. Hæres. 30. Valentinianos, qui ab eodem Arcontici appellabantur, statim post mortem, non verò ante ipsam Infirmos perunxisse, tunc non Sacramentum, sed potius Sacrilegium, Ritu sacro abutentes, ministrabant.

SECTIO SECUNDA

Quædam Quæstiunculæ dissolvuntur.

445. QUæres I. Quænam sit materia Extremæ Unctionis?

446. Resp. Materiam remotam esse Oleum olivę, Florentina Synodo ita expresse diffiniente in Instruc. Armen., & Triden. sess. 14. de Extrem. Unct. cap. 1. Quę licet olivę conditionem non exprimat, quia tamen Oleum absolutè statuit esse materiam hujus Sacramenti, intelligenda est de Oleo olivæ, quod est simpliciter, & in communi opinione Oleum, eo modo, quo de Aqua in Baptismo, Pane, & Vino in Eucharistia intelligimus; quo circa Innoc. I. Epist. ad Decen., cum illud Chrisma appellat, non in rigore, sed generali quadam ratione loquitur. Quod quidem Oleum, ut Extremæ Unctionis materia esse possit, ab Episcopo benedici oportet necessitate Sacramenti, ex Conciliis

cita-

citatis ibidem, quod quidem perenni traditione accepimus, quidquid in contrarium Cajetanus senserit 3. Par. Quæst. 72. art. 3.

447. Materia proxima est Unctio membrorum, nempe oculorum, aurium, narium, oris, manuum, pedum, & renum, eo quia in membris illis radix est morbi spiritualis, nempe peccati, ex appetitu ortum habentis, qui profectò à sensibus originem trahit: istæ tamen actiones ad integritatem faciunt Sacramenti, non verò ad essentiam: hinc Ecclesiæ particulares, aliæ plures, aliæ pauciores Unctiones faciunt.

448. Quæres II. Quænam sit Forma hujus Sacramenti?

449. Resp. Eam esse, qua utitur Ecclesia Romana, & Florentinum loc. cit. ipsam præscribit, scilicet: *Per istam Sanctam Unctionem, & suam piissimam Misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti*. Et elicitur ex Jacobo cit. *Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum &c.* Forma verò hæc cur sit deprecativa, non autem enunciativa, sicut in cæteris Sacramentis, est voluntas Christi Institutoris. Addi potest, quia suscipientes Sacramentum viribus propriis destituti, ac Dei Tribunali proximè sistendi, Ecclesiæ præcibus indigent, quæ fiunt potissimè ministerio Sacerdotum, secundariò verò cæterorum Fidelium.

450. Quæres III. Quinam sit hujus Sacramenti Minister?

451. Resp. Si de Ordinis potestate sit sermo, Sacerdotem quemlibet esse hujus Sacramenti Ministrum, non Laicum, quicumque ille sit, ex Triden. sess. 14. cap. ult., & docet Innoc. I. Epist. ad Decen. Si verò de authoritate ordinaria loquamur, Parochum esse hujus Sacramenti Ministrum, vel alium Sacerdotem ab

ipso delegatum: hoc enim ad Pastoralem spectat authoritatem, Filios Ecclesiæ in extremo discrimine, atque agone versantes salutari Oleo ad luctam roborare; talisque revera Ecclesiæ stylus est, Sacerdotes omnes citra Parochi facultatem explicitam, vel saltem implicitam, excludentis.

452. Quæres Ultimo, Quænam dispositio ad dignè recipiendam Extremam Unctionem requiratur?

453. Resp. Cum Extrema Unctio sit Vivorum Sacramentum, eos qui illud suscipere debent, in Gratia esse oportere: hinc præmitti solent eidem Pœnitentia, & Eucharistia, ut fructuosè suscipiatur; si tamen Infirmus post ipsa suscepta in peccatum relaberetur, ejusque omninò oblivisceretur inculpabiliter, aut ob aliam causam citra ejus crimen, Sacramenta illa irrrita essent, Ægroto alium obicem non ponente, effectus Extremæ Unctionis haberetur, & læthale illud abstergeretur, juxta verba Jacobi: *Et si in peccatis sit, dimittentur ei*.

CAPUT VI.

De Matrimonii Sacramento.

SECTIO PRIMA

An Matrimonium consummatum sit indissolubile?

454. SUpponimus hic Matrimonium inter Christifideles contractum esse Novæ Legis Sacramentum, quod quidem etiam Sectarii Orientales admittunt: at quoniam in eo multa sunt, nempe Vinculum, Fides, & Bonum prolis, quæ à Theologis bona Matrimonii

nii nuncupantur, Vinculum solummodo, quo unio Christi cum Ecclesia significatur, utpote indissolubile, Sacramenti nomen aquisivit. Hinc oritur præsens difficultas, an hoc Vinculum ita sit indissolubile, ut nullo casu possit solvi, neque ipsiusmet Ecclesiæ authoritate?

455. Notandum est autem, minimè hìc ambigi, quin Matrimonium ratum, non verò consummatum, quoad Vinculum, aut ingressu in Religionem, aut dispensatione Ecclesiæ in casu aliquo gravissimo possit dissolvi: vel Matrimonium consummatum, non quidem quoad Vinculum, sed quoad Thorum, & cohabitationem, aut consensu Conjugum, aut alterutrius ingressu in Religionem, aut in pœnam delicti, vel alias graves causas posse pariter Ecclesiæ authoritate dissolvi: sed difficultas est de Matrimonio consummato, an ejusdem Vinculum possit rescindi? Jacobitæ, & Cophtæ, apud Dominic. à Trin. in Bibliot. sec. 10. c. 23. ex Thoma à Jesu de convers. omn. Gent., Blasio Tertio in sua Syria de Patriarc. Alex., qui eamdem sententiam Abyssinis, & Aliis Orientalibus Nationibus adscribit, mordicus tenent, Matrimonii consummati Vinculum in aliquibus casibus posse dissolvi. Videndum nunc est, an hujusmodi sententia possit sustineri?

ARTICULUS PRIMUS

Matrimonium consummatum numquam est dissolubile.

456. OStenditur ex Scripturis; nam Mar. 10. 11. 12. habetur: *Quicumque dimiserit Uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam; etsi Uxor dimiserit Vi-*

Virum suum, & alii nupserit, mœchatur. Lucæ 16. 18. *Omnis qui dimittit Uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur, & qui dimissam à Viro ducit, mœchatur*. Non mœcharetur autem sive Vir, sive Uxor alteri nubendo, si Matrimonium consummatum esset solubile: nam adulterium non committitur, nisi se miscendo cum Uxore aliena, aut alieno Viro, quæ sanè non esset, si Matrimonium esset solubile; ergò si mœchatur se copulans alteri Viro, aut Uxori, Vinculum Matrimonii est omninò indissolubile.

457. Nec officit, Mat. 5. 32., & 19. 9. excipi casum fornicationis: tumquia saltem in nullo alio casu, præter fornicationem, Matrimonii Vinculum liceret dissolvere, cum tamen ipsi Orientales ob alias etiam leviores causas frequenter dissolvant: tumquia sententiæ Marci, & Lucæ sunt universales, & à Matthæi loco independentes, cum ipsi independenter à Matthæo scripserint. Marcus quidem, ut Romani, quæ Petrus ore docuerat, dogmata in scriptis haberent; Lucas, ut Gentes, quibus Paulus Evangelium annuntiaverat, & cæteris carebant Evangeliis, doctrinam certam haberent, ne à Pseudoprophetis deciperentur, ut indicat ipse in Evangelii exordio, & ex Ambros. Commen. in Lucæ, Hieronym. de Viris illus. in Lucam, & Euseb. lib. 3. Hist. cap. 24. colligitur. Tumquia Matthæus de dimissione Uxoris quoad Vinculum in causa fornicationis nequaquam intelligi potest, sed solummodo quoad Thorum, & cohabitationem, alioquin pars fornicaria melioris esset conditionis, quam casta: illa quippe dissolvere Vinculum Conjugii posset, non verò ista, quod omninò absurdum est; ergò Christus in Evangelio etiam

Mat-

Matthæi indissolubilitatem Matrimonii sancivit etiam in casu fornicationis.

458. Idipsum habetur ex Paulo ad Rom. 7. 2. ubi ait: *Nam quæ sub Viro est Mulier, vivente Viro, alligata est Legi: si autem mortuus fuerit Vir ejus, soluta est à lege Viri. Igitur vivente Viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio Viro: si autem mortuus fuerit Vir ejus, liberata est à lege Viri, ut non sit adultera si fuerit cum alio Viro.* Et 1. Cor. 7. 36. *Mulier alligata est legi, quanto tempore Vir ejus vivit, quod si dormierit Vir ejus, liberata est, cui vult nubat tantum in Domino.* Quibus locis Apostolus unicam causam assignat dissolutionis Vinculi Matrimonialis, nempe, alterutrius ex Conjugibus obitum.

459. At difficultatem omnem tollit eodem capite Paulus: cum enim ad usum Matrimonii hortatus esset Conjuges ad incontinentiam præcavendam, subdit. v. 10. *Iis autem, qui Matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, Uxorem à Viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut Viro suo reconciliari. Et Vir Uxorem non dimittat.* Hæc autem disjunctiva Pauli esset inepta, & falsa, si Matrimonium posset quoad Vinculum dissolvi: nam si Vir adulterasset, non deberet ipsa utpote innocens manere innupta, sed posset transire ad aliud Conjugium: si verò ipsa adulterasset, deberet absolutè Marito suo reconciliari, non autem manere innupta, aut Viro suo reconciliari, commodum quippè ex iniquitate referret, se à Viro separans sibi molesto: nam, etiamsi sit Adultera, pœnamque mereatur, adhuc tamen si Vir ad aliud Conjugium transeat, Matrimonium prius dissolvitur, & ipsa libertatem pristinam aquirit. Hinc August.

hom.

hom. 47. inter 50. optimè ad rem nostram Fideles instruens: *Solius*, inquit, *fornicationis causâ licet Uxorem dimittere; sed illa vivente, non licet aliam ducere, & Vobis, Fœminæ, nec illos Viros, à quibus per repudium recesserunt Uxores eorum, Maritos habere conceditur; non licet: adulteria sunt ista, non conjugia*; ergò Matrimonium priùs ritè celebratum, etiam in casu fornicationis alterutrius ex Conjugibus, est omnino indissolubile.

ARTICULUS SECUNDUS

Idipsum ex Ecclesiæ sensu, Patrumque doctrina evincitur.

460. Concilia antiquissima, ut Elibertinum Can. 8., & 9. Milevitanum II. Can. 17. Africanum Can. 69. Forolivien. Can. 10. Tribur. Can. 46. Nanneten. Can. 12. apertè statuunt sub gravissimis pœnis, Conjugem ab altero relinqui non posse, citra gravissimam causam: at si dimittatur, etiam ex causa, innocentem non posse alteri copulari, sed mortem prioris expectari oportere, nec dimissam ab uno Conjuge Mulierem posse sumi ab altero Viro, quod sanè falsum esset, si fornicatio ad dissolvendum Matrimoniale Vinculum sufficeret. Synodus Quini-sexta seu Trullensis apud Græcos, etsi minimè Oecumenica, magnæ tamen existimationis, Cap. 87. graves pœnas præscribit, veluti illicitè agentibus, nempe adulteræ, quæ, relicto proprio Viro, ad alium se converterit, & Viro, qui legitima Uxore relicta, alteri nupserit, veluti adulterii Reo, & cap. 48. *Qui Uxorem aliis desponsatam, vivente adhuc Sponso, ut Uxorem duxerit, judicio adulterii subjaceat*; ergò supponit, nullo casu

Matri-

Matrimonium consummatum posse dissolvi, alioquin accipientes aliam Conjugem adulterium minimè committerent. Florentinum denique, quod ab Orientalibus omnibus spontè susceptum fuit, in Instruc. Armen. §. *Septimum* cum Matrimonium statuisset esse Novæ Legis Sacramentum, subdit: *Quamvis autem causâ fornicationis liceat thori separationem facere*, (quod in Scripturis exprimitur per ly *dimittere*,) *non tamen aliud Matrimonium contrahere fas est, cum Matrimonii Vinculum legitimè contractum perpetuum sit*.

461. Idipsum expressis verbis affirmant Patres vetustissimi, ut Clem. Alexand. lib. 2. Strom. cap. 12. Orig. Trac. 7. in Matth. Chrysost. hom. 17. in cap. 5. Mat. Basil. epist. 1. ad Auphil. uno agmine fatentur, etsi liceat ob fornicationem separari, neminem tamen ex separatis posse alteri ex quacumque causa conjungi, sed requiri mortem alterius Conjugis: hujusmodi nubentes, etsi in specie videantur legitimè copulati, revera Adulteros esse, eoquia accipiens ab alio dimissam, alienam sibi copulat Uxorem, quod numquam licitum est, sivè sit expulsa, sive non.

462. Iisdem fere formulis dimissionem quoad Vinculum damnantibus, Latini Patres loquuntur, ut Tertullian. lib. 4. in Marcion. cap. 34. Ambros. lib. 8. cap. 16. Lucæ. Hieronym. epist. 47., & commen. in cap. 19. lib. de Nupt., & concupisc. cap. 10. & alibi passim: ergò ex Patribus Matrimonium est penitus indissolubile.

463. Idipsum vetustissimi Romani Pontifices unanimiter senserunt, atque suis Decretis firmarunt, ut Evaristus epist. 2. Innoc. I. Epist. 59. Joan. VIII. Epist. 65. quod quidem suc-

succeſſivè poſteriores uniformi calculo firmarunt, ut Alex. III. de Sponſal. & Matrim. Cap. *ex Patre*, & de Divortiis Cap. *Quæſivi* & Innoc. III. lib. 4. tit. de Divortiis Cap. *Gaudemus*, aliiſque in Sacris Canonibus contenti; ergò ex Doctrina, ſenſuque Patrum, & Eccleſiæ Matrimonii conſummati Vinculum eſt omninò indiſſolubile.

ARTICULUS TERTIUS

Idipſum Rationibus ſuadetur.

464. I. MAtrimonium in ſuis primordiis indiſſolubile fuit inſtitutum, etſi ob duritiem Judæorum fuerit cum ipſis diſpenſatum, ut habetur Matth. 19. 9. ergò, coruſcante Evangelio, priori integritati fuit reſtitutum, alioquin Lex Evangelica Moſaycâ imperfectior, & laxior diceretur, quod abſurdum eſt.

465. II. Matrimonium ex Apoſt. ad Epheſ. 5. 32. repręſentat conjunctionem Chriſti cum Eccleſia ſua, veluti Sponſa: at hujuſmodi conjunctio perpetua eſt, ac numquam diſſolubilis, cum dixerit Chriſtus, cum ea ſe futurum uſque ad conſummationem ſæculi, Matth. ul. 2. ergò Matrimonium etiam eam repręſentans inter Chriſtifideles eſt omninò indiſſolubile.

466. III. Si Vinculum Matrimoniale diſſolveretur ob adulterium, vel alias cauſas; hoc utique contingeret, vel fornicatione ſtatim commiſſa, aut facto divortio, vel per ſecundum Matrimonium: non primum; quia innocens Adulteram pœnitentem retinere poteſt citra novum contractum: non ſecundum, quia divortium non tollit innocenti jus in alte-

rum

rum Conjugem, eumque repetere potest: non tertium, quia Vir dimittendo non dirimit Matrimonium; ergò nec alter dirimit accipiendo Uxorem alienam: non enim plus juris habet secundus, quam primus, nec ad solvendum Matrimonium plus valere debet consensus superveniens, quam prior utriusque Conjugis, qui primò Matrimonium contraxerunt; ergò si Vir prior Uxorem dimittendo Conjugium non dissolvit, multò minus dissolvet Vir posterior accipiendo.

467. IV. Multa sequerentur incommoda: nam primò fieret proli injuria, quæ cogeretur pro Matre Novercam, pro Patre Vitricium agnoscere. II. Filiorum educatio negligeretur, neuter quippè ex Conjugibus de ipsis curam haberet, quos sciret, ad arbitrium fore dimittendos, ut alienos, & hæreditatem amissuros. III. Ansa præberetur adulteriis, ac dissidiis: qui enim moribus dissiderent Conjuges, consultò jurgia quærerent, & adulteria patrarent, ut molesti Conjugis Matrimonium dissolveretur. IV. Immortales simultates inter Familias Conjugum nutrirentur, egerrimè utique laturas, ad priorem Domum Filias reverti ignominiâ adulterii notatas, quas non ita facile alteri Viro copularent; quod nunc minimè sequitur: vel enim Conjuges libidinem coercent: vel si labuntur, reconciliantur, ne ignominiam suam prodant: si verò aliis defectibus laborant, sustinent patienter, quos sola morte sciunt posse auferri; ergò Matrimonii Vinculum est prorsus indissolubile. Hinc in Primitiva Ecclesia illud frangere magnum adeo flagitium censebatur, ut Fabiola inter Matronas Romanas nobilissima, cum à Viro suo homine flagitiosissimo alteri nupta discessisset, rigorem igno-

ignorans Evangelii, publicam egit pœnitentiam sibi à Romano Episcopo impositam, summa Urbis, & Orbis ædificatione, Hieronymo in ejusdem Epitaphio referente.

ARTICULUS QUARTUS

Solvuntur argumenta in oppositum.

468. OBji.I. Ex Scripturis: Christus in causa fornicationis alterutri ex Conjugibus transitum ad alias nuptias permisit: nam Matth.5. 32. ait: *Omnis, qui dimiserit Uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mæchari, & qui dimissam duxerit, mæchatur*. Interrogatus à Judæis, an liceat dimittere Uxorem quacumque ex Causa, respondit. Cap 19. 9. *Quicumque dimiserit Uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mæchatur, & qui dimissam duxerit, mæchatur*; ergò Christus Dominus permittit transitum ad alias nuptias in causa fornicationis; ergò Vinculum Matrimoniale non est omninò indissolubile, alioquin exceptio illa, *Nisi* nihil operaretur, & ineptè Christus ad interrogata responderet, quod absurdum est.

469. Resp. neg. ant.; & conseq. probat. Nam loca adducta, quibus dicitur, dimitti Uxorem non posse, nisi ob fornicationem, vel excepta causa fornicationis, intelligi debent de dimissione quoad thorum, & cohabitationem, non verò quoad Vinculum. Nec sequitur propterea, Christum ineptè respondisse, cum utrique quæstioni à Judæis propositæ satisfecerit: primæ quidem, qua quærebatur: utrum liceret, dimittere Uxorem quoad thorum, & cohabitationem, dicendo per primam partem pro-

propositionis, non licere in omni casu, sed solummodo in causa fornicationis: secundæ, qua quærebatur, an posset Uxor dimitti quoad Vinculum, cui respondit per secundam partem propositionis absolutè, non licere, & mæchari, qui dimissam acceperit, ita ut ly *mæchari* bis in ea propositione intelligatur, nempe in dimittente, nisi in causa fornicationis, quia causa est Uxori ut fornicetur, & in sumendo dimissam ab alio adulterium patrante, quandoquidem cum Uxore aliena commiscetur. Quod verò Christus in secunda parte propositionis de illicita dimissione quoad Vinculum intelligat, patet, nam dicentibus Judæis, licuisse repudium Uxoris in Veteri Testamento, reposuit ipse: *Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere Uxores vestras: ab initio autem non fuit sic*; ergò abstulit pro Lege nova libellum repudii; ergò quando dixit Christus: *Quicumque dimiserit Uxorem, nisi ob causam fornicationis*, intellexit de dimissione quoad thorum, non verò quoad Vinculum. Discipuli profectò ista audientes, ita intellexerunt dicentes: *Si ita est causa Hominis cum Uxore, non expedit nubere*: adeoque secunda pars propositionis: *& qui dimissam duxerit, adulterat*, est vera absolutè, non verò comparativè ad exceptionem antecedentem, *Nisi in causa fonicationis*.

470. Quando igitur arguitur: qui dimiserit Uxorem suam, nisi ob fornicationem, vel excepta fornicatione, facit eam mæchari, & qui duxerit, mæchatur; ergò qui dimiserit Uxorem suam in causa fornicationis, & duxerit aliam, non mæchatur, fallax est consequentia, sed solummodo sequitur hoc: per ly *Nisi*, vel aliam particulam exceptam; ergò qui dimit-

mittit Uxorem suam in casu fornicationis, non mæchatur, aut facit eam mæchari; non verò non mæchari, qui aliam duxerit, vel illi, qui dimissæ nupserit; particula enim exceptiva, *Nisi* non refertur ad ly *aliam duxerit*, quæ est posterior, sed ad ly *Quicumque dimiserit*, exceptionem præcedens. Legantur Augustinus lib. de Adul. Conjug. Cap. 9. Basil. in Regul. Moral. Reg. 79. Ambros. in exhort. ad Virgin. Hieronym. in Matth. cap. 19. qui hujusmodi explicationes adducunt. Dicitur autem à Marito non posse Uxorem dimitti, nisi ob fornicationem, non quia divortium ob alias ingentes causas fieri non possit; sed quia fornicatio, cum opponatur Fidei matrimoniali, est motivum proprium, & præcipuum hujusmodi dimissionis.

471. Obji. II. Ecclesia non censet esse illegitima conjugia eorum, qui propria Uxore dimissâ, ob adulterium, sterilitatem, mortis machinationes, aut incurabilem infirmitatem, vel mores omnino difformes, alteri ex Conjugibus intolerabiles, ad alias nuptias transeunt, ex Arelat. I. Can. 10. ex Venerien. Citat. à Gratiano 31. Quæst. 1. Cap. *Si qua Mulier*, ex 32. Quest. 7. Cap. *Quadam*, ex Gregor. III. Epist. 4. ad Bonif. cit. 32. Quæst. 7. Cap. *Quod proposuisti*, ex Tribur. cap. 4. 41., ex Zachar. Papa relat. 32. Quæst. 7. Cap. *Concubuisti*; ergò Ecclesia censet, Vinculum Matrimoniale in Conjugio consummato non esse omninò indissolubile.

472. Resp. neg. ant., quod minimè probatur ex adductis in oppositum: Arelatense enim primum non loquitur de Matrimonio prout Sacramentum est, sed de ipso secundum Leges civiles, quibus permittitur Maritis ob

adulterium Uxoris ad alias nuptias transire. Concilium itaque hortatur Virum adolescentem, ne utatur facultate imperialis legis; sed rigorem Evangelicum servet; non autem asserit, ei licere, vivente Uxore, etiam adulterâ, ad aliam transire, imò expresse interdicit.

473. Canones ex Gratiano desumpti loquuntur de Conjugio post mortem Adulteri, vel Adulteræ, quibus etiam post obitum innocentis vetatur Conjugium, non verò ipsimet innocenti, ex Mogun. cap. 56. & Wormat. cap. 63.

474. Gregorius III. de impedimento frigiditatis, & impotentiæ sermonem facit, post Matrimonium quidem detecto, sed ipsum præcedente, quo legitimè probato, utique dissolvitur utpote nullum, Cap. *Ex Literis*, tit. *De Frigidis, & maleficiatis*.

475. Triburiensis Synodus nihil aliud vult, quam Fœminam sterilem, sterilitate Conjugium antecedente, at nondum cognita, posse, si innotescat, à Viro separari, Virumque ad alias nuptias transire, impedimento dirimente sterilitatis post Matrimonium cognito, quod utique verum est, & ex ipsomet Textu Concilii dignoscitur.

476. Zacharias Papa intendit solummodo, Conjugem innocentem posse post mortem Adulteri aliud Conjugium contrahere, quod nocenti in pœnam delicti denegatur, numquam sive cum Adultera, sive cum alia contrahere permisso.

477. Quibus sensibus si qui Patres subobscurè loquentes Adversariis favere videantur, ut Ambros. Commen. super 1. Cor. 7. qui videtur concedere Viro innocenti, Conjuge adul-

adulterâ, alterum Matrimonium, intelligendi ſunt juxta Leges Civiles, non juxta Evangelii rigorem, ut ipſemet Sanctus Doct. lib. 1. de Abraham cap.4. & lib.8. in cap.14. Lucæ expreſsè docet. Cæterum illa commentaria non ſunt Ambroſii, ſed Ambroſiaſtri, uti Viris doctis ex multis inditiis notum eſt.

478. Eodem pacto dicendum eſt de Lactantio, lib. 6. Divin. Inſtit. in ſpecie favente: loquitur enim juxta Civiles Leges, minimè ſecundum Evangelicas, ut patet ex Contextu, cum aſſerat, Vinculum Matrimoniale utpotè à Deo profectum numquam diſſolvi.

479. Leo autem Magnus Epiſt. 85. ad Epiſcop. Africæ cap. 1. Sacerdotem quidem, qui, dimiſſa Uxore, aliam duxerat, ab Ordine removit: at non declaravit ſecundum Matrimonium irritum, quia neque de hoc fuit interrogatus, nec opus erat in re clariſſima, totique Eccleſiæ nota, hoc declarari.

480. Obji.Ult. ratione: tumquia repudium Judæis in Lege Veteri, quo Vinculum ſolvebatur, licitum erat; ergò etiam in Lege Nova licitum eſt, cum eadem urgeant motiva; alioquin durior eſſet Lex Evangelica, quam Judaica, quod abſurdum eſt. Tumquia repugnat lumini naturali, innocentem ſuſtinere pœnam peccatoris: at iſte numquam poteſt ulteriores nuptias contrahere; ergò innocens poteſt. Tumquia nemo cogi debet ad Cælibatum, innocens autem cogeretur, cum, alterius Conjugis adulterio non obſtante, ad alias nuptias tranſire non poteſt, nec alteri Conjugi commiſceri. Tumquia omnis contractus reſcinditur, non purificata conditione in eo firmata: at Matrimonium fuit contractum cum conditione Fidei ſervandæ, & ideò inter bona Matrimonii connumeratur;

 ergò

ergò dissolvitur , eâdem non servatâ. Tum-quia in Matrimonio rato non consummato, & in Matrimoniis antiquæ Legis habetur significatio conjunctionis Christi cum sua Ecclesia, & tamen non est indissolubile, nec erat ante Christi adventum; ergò nec modo est.

481. Resp. ad I.: Permittendo, repudium fuisse in Veteri Lege concessum, dimissa Uxore quoad Vinculum, quod tamen multi apud Æstium 4. Dist.33. §. *Nono*, nequaquam admittunt, & putant, nullam quidem pœnam impositam, non tamen culpam desiisse, neg. adhuc conseq. cum D. Thom. supplem. 3. part. Quæst.67. art.2., & Subtili Doct. 4. Dist.33. Quæst.3. §. *Modus conveniens*: Nam novum Testamentum longè uberiorem gratiam tribuit, quam antiquum, & verum Sacramentum est, vires tribuens ad onera Matrimonii sustinenda, & propterea jugum Legis Novæ non gravius, sed longè suavius est: hinc videmus, juxta Pauli monitum, à Viris Uxores diligi, sicut Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea. Ad Ephes. 5.25.

482. Ad II. conc. maj. neg. min. innocens enim, nocente mortuo, potest ad alias nuptias transire, quod Adultero denegatur, qui pariter dimitti potest ab innocente, non tamen è contra.

483. Ad III., neg. min. Cum nemo cogatur ad Matrimonium contrahendum: at ipso contracto, non posse ad aliud Conjugium transire, provenit, non ex præcepto Cælibatus, sed ex ipsamet natura Matrimonii Christiani indissolubilitatem requirentis; quare, sicut ob unius Conjugis absentiam, vel ægritudinem, tenetur alter servare Castitatem, quin mandatum Cælibatus urgeat; ita stante dimissione quoad Thorum,

rum, & cohabitationem, non dicitur cogi ad Cœlibatum, negato cum altĕra congressu, Lege Matrimonii ita exigente.

484. Ad IV. dico, ant. esse verum de contractibus naturalibus, non verò Sacramentalibus, quorum essentia stat in ipsomet contractu de præsenti, ex quo Vinculum oritur indissolubile: & ideo, etiamsi Fides non servetur, adhuc Vinculum à Deo impositum minimè dissolvitur.

485. Ad V. dico, Matrimonia Veteris Testamenti, & in Novo Infidelium, ac rata, & non consummata, non ita perfecte unionem Christi cum sua Ecclesia, quæ numquam dissolvitur, repræsentare, sicut Matrimonium consummatum inter Fideles, & propterea illa potuere, & nunc possunt dissolvi quoad Vinculum, non autem consummatum. Neque hujusmodi significatio est vera ratio, quam in mera Christi institutione fundamus, sed congruentia quædam.

SECTIO SECUNDA

Quædam Quæstiunculæ enodantur.

486. Quæres I. Ob quæ motiva fieri possit Divortium?

487. Resp. Si motivum speciale, & proprium Matrimonii spectemus, & secundum se spectatum, esse Fornicationem, quo nomine comprehenditur quoque Adulterium, etsi ab illa distinguatur. Hoc habemus Cap. *Significasti*, de Divor. & ex Triden. sess. 14. Can. 17., in quo pares sunt Maritus, & Uxor, cum eadem injuria in utroque sivè activè, sivè passivè

inveniatur, & docent Magister 4. Dist. 35., & D. Thoma super eumdem Quæst. Unica art. 4. D. Bonav. 4. 3. Durand. Quæst. 1. art. 1. Aliique, quos cumulat Sanchez tom. 2. de Matrim. lib. 9. Disp. 4. Si verò de aliis motivis universalioribus sit sermo, plura sunt.

488. I. Infidelitas sivè partialis, ut Hæresis; sivè totalis, ut Apostasia. Tumquia cultûs disparitas iis, qui una caro esse debent, est magnopere incongrua. Tumquia ex nimia familiaritate imminet proximum periculum subversionis, cap. de Divor., & firmat Sotus 4. Dist. 39. Quæst. 4. nisi resipiscat, Cap. 3. de Convers. Conjug., aut per Ecclesiæ sententiam sit damnatus, Cap. Final. de Hæret. in 6.

489. II. est, cum unum ex Conjugibus alteri causa peccati, & ruinæ spiritualis est, ex Matth. 18. 8. 9. Navar in sum. cap. 1.

490. III. est, Sævities alterutrius ex Conjugibus, ita ut citra vitæ periculum non possit alteri cohabitare, Cap. *Lite* de Restit. Spoliat. Jus enim naturale dictat, discrimen mortis evitari oportere, nec Conjux innocens unquam cogitur pristinam reassumere societatem, nisi sub cautione de non offendendo, quod propriè Viro competit, non Mulieri, etiamsi ipsa sævitiæ motivum adulterando præbuerit, cap. de Benedict. 31. Quæst. 1. Si tamen per sententiam Judicis ob incurabilem alterutrius ex Conjugibus sævitiam perpetuum Divortium concedatur, tunc innocens ad Religionem migrare potest, vel Sacros Ordines respectivè suscipere; quandoquidem jure petendi, ac reddendi debitum sublato, impedimentum ingressus sublatum est.

491. Quæres II. An detur casus, quo minimè Divortium liceat?

492. Resp. Affirmativè, & septem à Canoni-

noniſtis aſſignantur, quibus illicitum eſt, nec conceditur, ſi Divortium petatnr.

493. I. Quando uterque Conjux adulterium commiſit, Cap. *Significaſti*, de Divortiis Cap. Final. de Adulter. Cum enim unuſquiſque ex ipſis peccaverit, juſtum eſt, æquali pœna, & compenſatione mulctari.

494. II. Quando Vir Uxorem proſtituit, Capite *Diſcretionem*, *de eo qui cognovit Conſanguineam*, ſivè coacta Uxor alteri miſceatur, ſivè conſentiens: vel quando unus Conjux adulterii alterius eſt conſcius, nec tamen prohibet, cum poſſet; amittit enim jus innocentiæ, & injuriarium, *Scienti*, enim, *& conſentienti non fit injuria*, *neque dolus*, de Reg. Juris in *6*. reg.27.

495. III. Quando unus Conjux exiſtimat probabiliter, alterum obiiſſe, & tamen vivit, alteri autem nubit; tunc enim ſicut adulterium eſt materiale, ita nullam pœnam incurrit, Cap. *Cum per bellicam* 34. Quæſt. 2. ſecus ſi dubitaret, nec debitam diligentiam adhiberet.

496. IV. Si Mulier fuerit violenter oppreſſa; quo caſu, cum deſit formale adulterium, non meretur pœnam Divoitii, Cap. *Propoſito* 32. Quæſt.5. Si tamen ob timorem ſolummodo licet graviſſimum ſe violari permitteret, ſicuti verè coram Deo peccaret, ita nec evaderet Divortii pœnam, ex D. Bonav. 4.Diſt.35. in expoſit. Lit. n. 2. Anton. 3. Par. tit. cap.21. Henriquez lib.11. de Matrim. cap.17.

497. V. Si uni ex Conjugibus aliquis ita commiſceatur, ut credatur verus Conjux: tunc enim, ſicut abeſt culpa, ita & pœna non debetur, Cap. *In Lectum* 54. quæſt.1.; bona autem fides Conjugis juramento probatur, & ex

 aliis

aliis circumstantiis eruitur, ex Hostien. serm. de Divor. n. 8. cap. 3.

498. VI. Quoties Infidelis repudiat Uxorem, non potest Mulier Divortium postulare, eo quia, licet in se illa conjunctio Infidelis cum secunda Uxore sit adultera, cum Christus omnem dispensationem abstulerit Matth. 19. 9., & ad primævam unitatem Matrimonium reduxerit: attamen, cum Infideles censeant constanter, fieri posse hujusmodi repudium, in eorum opinione congressus ille legitimus est, & proinde, quoniam injuria nulla fit repudiatæ, cum à vinculo priori soluta censeatur, nullus Divortio petendo locus superest, ut expressè habemus Cap. *Gaudemus* de Divor.

499. Ultimò, quoties Conjux innocens adulterium Reo condonat aut explicitè, aut implicitè ad Thorum, & cohabitationem admittendo, ex 32. quæst. 1. cap. *Non erit Turpis*. Si tamen Adulter in idem crimen recidat, tunc Divortio puniri potest, & Reus remanet in eodem statu, ac si primum non patrasset adulterium, ex Gloss. in cap *Plerumque*. Covarruvias 4. Decret. 2. par. cap. 6. Archidiac. cap. 132. quæst. 6.

500. Quæres III. Utrum, si adulterium unius ex Conjugibus sit publicum, alterius Conjugis occultum, vel unum dubium, alterum verò certum, possit peti Divortium?

501. Resp. Reum occultum, & certum, non posse petere Divortium; nam licet hujusmodi adulteria probari minimè possint, revera tamen existunt, ac proinde cum Adulter occultus jus suum apud Deum reipsa amiserit, Adulter manifestus, apud Judicem instare nequit, sicut nec certus de proprio, adversus dubium de alieno; ita resolvit S. Bonav. cit. 4.

Dist.

Dist. 35. in exposit. Lit. n. 1. art. 1. quæst. 1. in corpor.; reconciliatione itaque opus est in mutuo scelere, quando crimen æquè innotescit, ante Judicis sententiam, ex Glofs. in Cap. *Veniens* de Conver. Conjug.

502. Quæres IV. Utrum ad Divortium petendum sufficiant actus impudici, vel crimina carnalia alterius speciei, ut sodomia, bestialitas &c. vel adulterium ex una parte, bestialitas, aut aliud hujusmodi ex altera sufficiant ad compensationem?

503. Resp. Quantum ad primam partem, actibus solummodo impudicis non induci Divortium, aut dotis amissionem, ad quæ consummatum adulterium requiritur; odia enim restringenda sunt, non amplianda, ex comm. DD. conf. quos cumulat Sanchez lib. 10. de Divor. Disp. 4.

504. Quantum verò ad secundam partem dico, concubitu consummato sodomitico, aut cum bestiis, induci causam justam Divortii petendi, eo quia Caro reipsa dividitur, quæ tota Conjugi debetur; quæ divisio non sequitur in mollitie, uti docet D. Antonin. 3. Part. cap. 2. Silvester Verb. *Divortium* quæst. 7. & Alii.

505. Hinc sequitur, Maritum cum puero se commiscentem, Uxorem verò cum alio Viro copulantem teneri ad reconciliationem, cum neutri petere Divortium utpote Reo liceat. Si tamen unum ex Conjugibus correxisse se, alterum verò etsi admonitum, &, data cautione, in adulterio perseverare contingat; tunc Conjugem correctum posse ab incorrigibili recedere, veluti in priorem statum restitutum, ex D. Bonav. loc. cit. Navar. lib. 4. consil. tit. de Divor. consil. 3. Silvef. de Matrim. quæst. 6.

506. Quæres V. An Conjux innocens teneatur dimittere Conjugem nocentem, quem certo ſcit adulteraſſe, quamvis probare non poſſit, & quidem propria authoritate?

507. Reſp. Ab innocenti debere à thoro dimitti nocentem, ne cum ipſo in crimine participare videatur, non tamen quoad cohabitationem ſi probare non poſſit; Divortium enim eſt publica pœna, quæ nequit infligi ob crimen occultum; ſi verò publicum ſit adulterium, poteſt quidem, ſi pœniteat, Nocens Innocenti reconciliari, non tamen puniri, ſi perſeveraret, ex propria authoritate, ſed requiritur Eccleſiæ ſententia, ex Chartag. V. & Nicolao I. Cauſa 33. quæſt. 2., & uſu ipſo Eccleſiæ comprobatur.



TRACTATUS VIII.

De Reliquis Orientalium erroribus.

1. QUoniam in decursu Controversiarum Orientalium nonnullæ sunt Quæstiones, quæ disparatæ videntur, nec ad ullum Tractatum commode reducibiles, placuit in hoc ultimo omnes istas in unum congerere, atque de his hoc in loco singillatim disputare.

CAPUT PRIMUM

An Perjurium quandoque sit licitum?

2. PErjurium apud Theologos in rigorosa significatione sumptum importat Juramentum, seu Divini Nominis invocationem in re, quam pejerans novit, aut saltem putat esse falsam, & eam affirmat; aut in re, quam novit, aut putat esse veram, & eam negat, uti docet D. Thom. 2. 2. quæst. 98. art. 1. in corpor. & ad primum; etsi aliis modis possit delinqui, vel illicita, vel citra necessitatem, atque prudentiam pollicendo, vel promissa non implendo.

3. Cophtæ vel reipsa, vel prout ipsis impingitur, Perjurium etiam in strictissima significatione licitum existimant, Priscillianistarum, ac Gnosticorum doctrinâ imbuti, quorum erat effatum: *Jura, perjura, secretum prodere noli*. Et propterea in Bracharensi I., Lucensi in Hispania, & à Leone Magno damnati Epist. ad Turibium.

Dicendum est, Perjurium in quocumque sensu, maximè verò, cum Deus in testem agnitæ falsitatis adducitur, acceptum, numquam esse licitum.

4. ERuitur ex Scripturis: nam dicitur Levit. 19. 12. *Non perjurabis in Nomine meo, nec pollues nomen Domini Dei*. Et Zachar. 5. 3. *Hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem omnis terræ, quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, judicabitur, & omnis jurans ex hoc similiter judicabitur: educam illud, dicit Dominus Exercituum, & veniet ad domum furis, & ad domum jurantis in nomine meo mendaciter, & commorabitur in medio domus ejus, & consumet eam, & ligna ejus, & lapides ejus*. Similia habentur num. 30. 3. Deuter. 5. 11. Exod. 20. 7. Ecclesiaſ. 23. 9. & propterea ibi fit hortatio ad omnes, ut à juramentis abstineant, ne incidant in perjuria: quod in Evangelio quoque confirmatur; nam Math. 5. 33. ait Christus: *Iterum audistis, quia dictum est antiquis: non perjurabis: reddes autem Domino juramenta tua: Ego autem dico vobis, non jurare omninò*, quibus verbis ostenditur nedum perjurium illicitum esse, sed Juramentum quoque, nisi magnâ cautelâ, & circumspectione, minimè adhibendum; non quia in se malum sit, cum à Sanctis Viris, necessitate cogente, legatur adhibitum, sed ne Dei Majestas contemptui exponatur. Hinc August. serm. 28. de Verb. Apost. *Falsa juratio exitiosa est: vera juratio periculosa est: nulla secura est*; ergò ex Scripturis Perjurium illicitum est.

5. Id-

5. Idipsum ex Ecclesiæ Decretis habetur gravissimis pœnis, quibus Homicidæ, Fornicarii, Adulteri, cæterique graviter criminosi plectuntur, Perjuria nedum voluntaria, verum etiam coacta mulctantis, Cap. *Prædicandum*, 22. quæst. 1. Cap. *Qui compulsus*, quæst. 5. Cap. *Quicumque* 6. quæst. 1., & Cap. *Si quis Perjuraverit* 22. quæst. 5. ad Perjurium impellentes Communionis privatione usque ad mortem, aliisque pœnis feriuntur: hinc August. ferm. 11. de Sanct. ad Perjurium cogentes, & impellentes Homicidis pejores appellat, Animas interimendo; ergò ex sensu Ecclesiæ Perjurium est omninò illicitum.

6. Ratio quoque suffragatur! nam ex Divo Thom. 2.2. quæst. 98. art. 2., & 3. Doct. Seraph. 3. dist. 39. quæst. 2. & Subtil. eadem dist. quæst. unic. §. *In ista quæstione*, magna Deo fit contumelia ipsum invocando in testem falsitatis: innuitur enim, ab illo ipsam, vel non cognosci, vel agnitam approbari: tumquia mendacium, utpote intrinsecè malum, veritati oppositum, numquam licet; ergò neque Perjurium, in quo illud includitur: tumquia juri naturali contradicit, cum destruat humanam societatem in mutua fide consistentem: ex una enim parte asserenti præstari fides deberet in confirmationem dicti sui Deum summè veracem adducenti; hinc Testi nisi jurato minimè creditur, Can. 3. quæst. 9. Cap. *Hortamur* de Testibus, Cap. *Nuper*; ex alia verò nulli credere liceret; sivè enim pejeraret, sivè verum diceret, semper licitè ageret; stultum est enim, ut ait August. lib. cont. mend. *Credere illi, cui licet mentiri*; ergò sicuti mendacium numquam est licitum; ita multo minus Perjurium licitum erit.

SECTIO SECUNDA

Solvuntur Argumenta.

7. OBji. I. In pejerando benè agitur, colitur enim Deus, cujus invocatur authoritas; ergò pejerando non peccatur. Nec refert, juramentum pejerantis cadere supra mendacium; hoc enim Divini Nominis invocationem in se bonam non tollit; ergò non maculatur actus ille in se bonus ob mendacium: *Utile, enim, per inutile non vitiatur,* de Reg. Juris in 6. sicut Eleemosyna, cui tantisper vanæ gloriæ miscetur, non tollitur, quin sit bona.

8. Resp. ne. ant., & conseq. probat. Deus enim in Perjurio colitur inordinatè & cum ipsius injuria, quasi esset Testis falsitatis. Nec ad rem facit regula citata Juris: ut enim optimè notat Gloss. intelligitur de utili ab inutili separabili, ac distincto: Perjurium autem est à mendacio inseparabile, adeoque invocatio Divini Nominis cadens super mendacium peccaminosa est, etsi sit in se bona: ex quo paritas quoque de Eleemosyna dissolvitur.

9. Obji. II. Perjurium utpote mendacium continens afficit solummodo intellectum, non voluntatem, opponitur quippe veritati, quæ intellectum respicit, non bonitati, voluntatem afficienti; ergò peccaminosum non est, cum malitia moralis non in intellectu, sed in voluntate resideat.

10. Resp. ne. ant., ad cujus probat. dico, Perjurium utpote voluntarium non solum opponi veritati speculativæ, sed practicæ, quæ consistit in conformitate objecti, prout mente concipitur, & locutionis, cum interna rei

per-

perceptionē: hæc autem in generē moris versatur; ac proindè opponitur Perjurium non solum veritati, sed etiam bonitati, cum pejerans Proximum decipere intendat, & propterea Deum vocat in testem; igitur deformitatem moralem gravem continet adversùs Veritatem, Charitatem, & Religionem, & propterea peccat.

11. Obji. III. Non omne Perjurium continet Dei contemptum, ut patet in juramento coacto, & jocoso, necnon in promissorio: qui enim jurat illicita, vel minùs bona, vel nimis difficilia, non servando, non peccat; ergò non omne Perjurium continet Dei contemptum; adeoque neque peccatum est.

12. Resp. ne. ant. saltem æquivalenter, & virtualiter: Ad probat. dico, in juramento coacto adesse Dei contemptum, cum Creaturæ timor Dei pavori præferatur in testem falsitatis adducti: sic etiam in jocoso, quasi Deus levissimus sit testis, cujus etiam jocando testimonium possit afferri; imò graviùs propterea cæteris videtur. Quod si lapsu linguæ id fiat, si tamen advertatur, falsum jurari, adhuc peccatum minimè vitatur: debuisset enim advertere, & cavere, ut optimè D. Thom. art. 3. ad secundum ejusdem 2. 2. Quantum verò ad juramentum promissorium in actu jurandi, qui illicita, aut difficilia, seù impossibilia, vel minùs bona, Divini Nominis invocatione, pollicitus est, utique Deum graviter offendit, eum irridens; advertere enim debuisset, quid in re adeò formidabili erat facturus: cæterum, cum promissa impleri non possint, atque quod melius est, exequi debeat, ut recte D. Thom. art. 2. ad 2. non peccat minimè implendo, aut melius operando, nisi progressu temporis res,

quæ

quæ videbatur impossibilis, aut illicita, possibilis, ac honesta evadat.

13. Quæres, an Perjurium cadens super mendacium leve sit læthale peccatum?

14. Resp. affirmativè cum D. Bonav. quæs. 3. Lib. & disp. cit. S. Thom. cit. art. 3. & Doct. Subtil. 3. dist. 39. quæst. unic. Quam opinionem Innoc. XI. damnatione Propos. 24. inter 65. proscriptas confirmavit: *Vocare Deum in testem mendacii levis non est tantæ irreverentiæ, propter quam velit, aut possit damnare Hominem*. Ratio autem est, quia, licet mendacium sit leve, deordinatio tamen Perjurii gravis est; contemptum quippe, & irreverentiam continet enormem, quasi Deus sit mendacii approbator; & irreverentia eo major est, quo mendacium est minus, major quippe Dei est contemptus, cujus mensurâ cætera quoque crescunt peccata.

15. Nec valet paritas de furto: hujus enim malitia divisibilis est juxta damnum, quod Proximo infertur, & motivum, quo infertur: malitia verò Perjurii indivisibilis est, consistens in irreverentia, qua Deus vocatur in testem falsitatis, quasi ipsam approbet: hæc autem in omni perjurio reperitur, sive mendacium grave sit, sive leve.

CAPUT II.

An Fornicatio simplex sit læthale peccatum?

16. Græcis Schismaticis à Nostro Alphonso de Castro impingitur, censeri ab ipsis, simplicem fornicationem non esse læthale peccatum. Nec perperàm adscripsisse, deducitur ex Innoc. IV. Constit. *sub Catholicæ*, ubi

inter

inter Græcorum errores, hic quoque recensetur. Videndum est, an aliquo fundamento fulciantur?

SECTIO PRIMA

Dicendum est, Fornicationem simplicem peccatum esse lethale.

17. EX Scripturis evincitur! nam 1. Cor. 6. 9. inter eos, qui numquam Regnum Dei possidebunt, quales sunt Idololatræ, masculorum Concubitores, Adulteri, Molles, Avari, Ebriosi, Maledici, Raptores, ponuntur Fornicarii: idipsum ad Gal. 5. 19. 20. 21., ubi inter opera carnis, immunditiem, impudicitiam, & alia plura gravissima crimina, ponitur fornicatio à Regno Dei excludens; talia autem peccata sunt læthalia; ergò etiam fornicatio.

18. Item Fornicarii ponunt ultimum finem in carnis voluptate, ex eodem Paulo 1. Cor. 6. 16. inquit enim: *Qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur*, sicut *qui adhæret Domino, unus spiritus est*; ergò grave peccatum dici debet fornicatio: hoc autem adeò verum est, ut usus ipse Matrimonii ob meram voluptatem, ut ex D. August. de Bono Conjug. cap. 10. Scholastici firmant cum D. Thom. 4. dist. 31. quæst. 2. art. 2. culpa non careat, saltem veniali.

19. Idipsum confirmat Apostolus ad Coloss. 3. 5. 6. ubi inter cætera crimina, ob quæ venit ira Dei in Filios diffidentiæ, ponit fornicationem; quæ omnia hucusque recensita, habentur quoque Jerem. 5. 8. Oseæ 5. 4. Deuter. 22. 21. Ecclesiast. 19. 3. ubi vel pœna gravissima infligitur, vel ira Dei imminens demon-

stra-

ſtratur, vel turpitudo, ac flagitium magnum innuitur; ergò ex Divinis Scripturis fornicatio eſt læthale peccatum.

20. Ex Sacris Canonibus idem habetur, qui pœnis graviſſimis Fornicarios plectunt: Clerici quidem ab officio decidunt 1. quæſt. 7. Cap. *Si quis omnem*: interdicuntur ingreſſu Eccleſiæ, Diſt. 81. Cap. *Si qui ſunt*: eorum miſſa non audienda, Diſt. 32. Cap. *Nullus*: accuſare, & denunciare prohibentur, Cap. *Cum dilectus* de Accuſat.: flagellandi, in carcere detinendi, diuturno Panis, & Aquæ jejunio macerandi ex Ratisbon. ſub Zacharia Pontifice; Laici excommunicationi ſubduntur, niſi pellicem dimiſerint, ex Turonen. IV. cap. 10. Triburien. I. cap. 49.

21. Si autem poſt pœnitentiam ad vomitum redierint, Euchariſtiâ uſque ad mortem privantur, ex Siric. Papa epiſt. 1. cap. 5. relat. 3. quæſt. 1. Cap. *De his verò*: Clerici omnibus Beneficiis ſpoliantur, atque ad illa fiunt inhabiles, ex Lateran. V. ſeſs. 9.; ergò ex ſenſu Eccleſiæ fornicatio eſt læthale peccatum, quod quidem apertè decidit Innoc. IV. Conſtit. *ſub Catholicæ*.

22. Nec deeſt ratio, quam adducit Divus Thom. 2. 2. quæſt. 153. art. 5., & Doct. Subtil. 4. diſt. 26. quæſt. unic. §. *Sequitur*. Quia nimirum rectæ rationi fornicatio adverſatur, cum ad prolis procreationem minimè ordinetur, ſed ad meram delectationem, nec modo à Deo inſtituto, quod ſanè inordinatum eſt: tumquia bonum prolis evertit; ex fornicatione enim procreati non habent certos Parentes, præſertim Patrem, à quo religiosè, & honeſtè valeant educari: tumquia utilitati familiæ opponitur, in qua nulla datur ſubordinatio,

ne-

neque Parentum ad Filios, neque è contra, cum nesciretur, quinam essent Parentes: tumquia bonum Civitatis tolleretur, cum nulla daretur determinata sanguinis propinquitas; adeoque nulla inter Cives amicitia insurgeret, & conjunctio, ob quam etiam Conjugium institutum est: tumquia delectatione sensibili ex fornicatione prodeunte, ac per se unicè intenta, adeo obtunditur acies rationis, ut ad spiritualia percipienda animus ineptus efficiatur, ac sensui subjiciatur: hinc pravi illi effectus prodeunt, quos Gregor. Mag. lib. 31. moral., & S. Thom. 2. 2. quæst. 152. art. 5. enumerant, nempe cæcitas mentis, inconsideratio, præcipitatio, inconstantia, amor inordinatus sui, tædium Dei, horror futuri sæculi, aliique, quos Patres, & Scripturæ passim enumerant; ergò fornicatio simplex tot malorum Parens, est læthale peccatum.

SECTIO SECUNDA

Solvuntur Argumenta in oppositum.

23. OBji. I. Fornicatio Proli minimè nocet, cum æque Filii à Parentibus solutis, quam à Conjugatis educari queant: Patres enim Veteris Testamenti plures habebant Uxores, & tamen Prolem optimè educabant: neque etiam Fœminæ, quæ corruptionem patitur, nocet; *Volenti* enim, *& consentienti non fit injuria, neque dolus*, de Regul. Juris in 6. reg. 37. ergò fornicatio non est illicita.

24. Resp. Fornicationem esse illicitam, quia Divinâ Lege vetita est, & intrinsecam continet deordinationem. Cæterum falsum est,

Pro-

Proli minimè nocère, cum ejus certitudinem tollat, & congruam educationem: quod verò interdum Filii benè educentur, accidentale est: Patres verò Veteris Testamenti idcircò Filios optimè educabant, quia Mulieres eorum non erant vagæ, & incertæ, sed veræ Uxores, optimè scientes, quinam essent eorum Filii, & in eadem domo manentes. Quamvis autem fornicariæ Mulieres consentiant, adhuc fit eisdem injuria, dum pudicitia, quam custodire tenentur, ipsis eripitur, & Filiis educatio, atque legitima hæreditas auferuntur.

25. Obji. II. Acies rationis hebetatur, & cætera quoque mala sequuntur ex concubitu maritali, sicut ex fornicario, & fit una caro Uxoris cum Marito, sicut Mulieris violatæ cum suo Fornicatore; & tamen congressus maritalis licitus est; ergò etiam fornicarius.

26. Resp. ne. ant. quamvis enim congressu maritali acies rationis obtundatur, & ideo Apostolus vult, interdum intermitti, ut vacetur orationi: attamen non ita absorbetur, ut fit in congressu fornicario, in quo ponitur ultimus finis in oblectatione, quod non contingit in legitimo Conjugio, qui pro fine habet Prolis procreationem, licet comitem habeat delectationem: & quia Novæ Legis Sacramentum est, habet annexa auxilia, quibus concubitus citra Dei offensam fiat, & ipsamet delectatio coercetur, ac minuitur incommodis Conjugii.

27. Obji. III. Deus præcepit fornicationem Oseæ 1. 2. Neque dici potest in hoc fuisse cum eo dispensatum, cum asseratur intrinsecè mala: si autem esset peccatum læthale, non fuisset permissa, multo autem minus imperata; nec ipsam Leges Civiles impunitam relin-

que-

querent, ficut in aliis criminibus minimè faciunt.

28. Resp. ne. ant. Oseæ enim Prophetæ non fuit imperatum, ut sumeret meretricem, cum qua in meretricio manente fornicariè concumberet; sed sumeret meretricem in Uxorem, qua significabatur Populus Hæbraicus à vero Deo per Idololatriam recedens: nec opus est typum in omnibus suo prototipo assimilari, alioquin non esset typus, sed prototipus. Filii verò inde nati dicuntur filii fornicationis, non quia ex fornicatione procederent; sed quia ex Muliere orti essent, quæ ante legitimum connubium fuerat fornicata. Ità Cornel. Comment. in 12.Prophet.ad hunc locum. Leges verò Civiles, idcircò fornicationem nequaquam speciali supplicio plectunt, quia tranquillitatem publicam temporalem pro scopo habent, quæ privatâ fornicatione minimè turbatur; privantes tamen filios ex fornicatione genitos paternâ hæreditate, satis denotant, fornicationem ab ipsis minimè approbatam. Leges verò Canonicæ pro fine primario æternam fœlicitatem habentes, eam veluti læthale crimen condemnant, ac pœnis gravibus afficiunt.

CAPUT III.

An Imagines sculpi licitè possint, sicut pingi?

29. GRæci Heterodoxi reliquias quasdam incensi olim Iconomachismi retinent: etsi enim Sacras Imagines pictas Christi Domini, & Sanctorum venerentur, sculptas tamen execrantur veluti Idola Gentium, apud Christianum Lupum in Schol. ad Can.7. Concil. in Di-

30. Notandum autem, ab Iconomachis sacras omnes Imagines fuisse sublatas, solis prophanis relictis, quibus nullum bellum indixerunt, Leone Isauro, ac Constantino Copronymo heresim hanc promoventibus, ex Theoph. Annal. ad An. 740. & Sancto Stephano Junior. in actis suis, apud Baron. ad An. Christi 714. His positis.

SECTIO PRIMA

Dicendum est, Imagines Sacras, etiam sculptas, licitas esse.

31. Ostenditur ex Scripturis: nam Exod. 25. formam præscribens 18. 19. Deus Tabernaculi construendi jubet fieri duos Cherubim aureos productiles, seque inter illos locuturum pollicetur. 2. Paralip. 3. idipsum fecit Salomon; quem fuisse prosperatum ob insigne opus Templi, & eorum, quæ fabrefacta in eo fuerant, narratur cap. 6., & locum illum fuisse à Deo electum, ut Populum audiret.

32. II. Num. 21. 9. narratur, à Deo Serpentis ænei constructionem fuisse imperatam, ut conspicientes illum Populi à morsibus Serpentium sanarentur, qui figura erat Christi in Cruce pendentis: ergò sicut typus erat licitus, utpote à Deo imperatus, cur non licebit etiam archetypum non merâ picturâ, sed alio imaginis genere figurare?

33. III. Ezechiel. 41. 18. In visione ostenditur Prophetæ figura Templi reædificandi, in quo Cherubim, & palmarum imagines non pictæ, sed cælaturâ fabrefactæ apparebant; igitur,

tur, si in Scripturis non reprehenduntur, sed potius commendantur Imagines, non pictæ, sed alterius generis; igitur sunt licitæ.

SECTIO SECUNDA

Ostenditur ex Doctrina, & usu Ecclesiæ.

34. Nicæna II. Synodus, in qua ex professo hæresis Iconomachorum profligata est, & errores funditus excussi, in Decreto Fidei statuit, ex omni materia fieri posse Sacras Imagines. Idipsum in Synodo Constantinopolitana post Theophili Imperatoris Iconomachi obitum à Sancto Methodio Patriarcha collecta, sancitum est, teste Theophane Orat. in Sanc. Nicephor. ac Joan. Curopol. apud Baron. An. Christi 873., & Nicæni II. Decreta confirmata, & Triden. sess.25. §. 3. Hoc idem ratum habuit.

35. Ecclesiæ quoque Traditio antiquissima ostendit: scribit en. Euseb. lib. 7. Hist. cap. 14. Cæsareæ Philippi à Muliere illa, quam Christus fluxu Sanguinis absolvit Matth. 9. 22. Æneam statuam eidem Christo erectam fuisse, atque innumera ab ipsa in Populos beneficia manasse; in Sacris Vasis effigiem Christi fuisse sculptam super humeros ovem bajulantis, narrat Tertul. Lib. de Pud. cap. 7. atque in iisdem figuram Agni fuisse pariter sculptam cum hac Epigraphe: *Ecce Agnus Dei*, narrat Baron. ad An. Christi 692. n.44. De Constantino Magno refert Anastas. Bibliot. in Vita S. Silvestri, post Baptismum acceptum in Basilica Later. Agnum posuisse ex auro purissimo conflatum, ad cujus dexteram Christi, ad lævam Sancti Joannis Baptistæ argenteam statuam posuisse. Similes

les statuas num. duodecim Valentinianum Augustum Juniorem in Templo Sancti Petri collocasse, suadente Sixto Papa III., scribit idem Anastasius. Zonaras in Vita Michaelis Balbi Augusti asserit, Sabatium Leonis Armeni Imagines persequentis Satellitem, ad statuam Sancti Gregorii Nazianzeni, cum mutus evasisset, sanitatem accepisse. Multa alia dici possent, quæ brevitatis causâ omittuntur; ergò ex Traditione, & usu Ecclesiæ antiquæ, Imagines sculptæ sunt licitæ.

36. Imò ipsimet Iconomachi hanc veritatem nescientes firmarunt, dum Imagines Sacris vasis, & utensilibus, ac vestibus insculptas voluere immotas, ex Pseudo-Synodo Constantinopolitana jussu Constantini Copronymi collecta, & constat ex act. 6. Synodi Nicenæ Secundæ; igitur ex ipsorummet Iconoclastarum confessione Imagines sculptæ in Ecclesia Catholica erant in usu, veluti licitæ.

SECTIO TERTIA

Ostenditur Ratione.

37. IMago, quâ exemplar repræsentatur, non ideò talis est, quia aurea, vel argentea, picta, vel sculpta, sed quia Prototypum exprimit; hoc autem facit sive sculpta, sivè picta, ut in prophanis Imaginibus animadvertimus: hinc deturpantes Principum statuas morte mulctantur, veluti majestatis Rei, ut optimè Constantino Copronymo Sanctus Stephanus Junior exprobrat, ex Theophane, in Constant. Copron. Tumquia ipsimet Iconomachi Crucem Domini, & Sacra Lispana venerabantur, ex Can. 170. ejusdem Pseudo-Synodi, & ex actis San-

Sancti Stephani Junioris; ergò imagines quoque sculptæ coli possunt. Tumquia Nicæna II. Synodus damnat Iconoclastas, quod asserent, imagines esse Idola Gentium: hæc autem reprehensio magis cadit super Imagines sculptas, quam pictas, sicut Idola potius erant statuæ, quam picturæ. Tumquia, ideò præter alias rationes admittuntur Imagines Sacræ pictæ, quia nimirum memorias eorum repræsentant, quos colimus, & veneramur, nosque ad eorum virtutes imitandas, & sanctimoniam aquirendam impellunt, & nostræ Religionis mysteria exprimunt, atque ad mentem revocant, ut Greg. II. Epist. ad Leonem Isauricum Iconoclastam, & Greg. Mag. ad Serenum Episcopum Massiliensem lib.7. Epist. 111. & ad Secundinum Epist. 154. scitè animadvertunt: Imagines autem sculptæ idem præstant, ac pictæ; imò longè meliùs id præstant, cum pictæ externam tantum effigiem, sculptæ totius corporis habitudinem repræsentent; ergò sicuti licitus est, & laudabilis usus Imaginum pictarum, ita & sculptarum commendandus est.

SECTIO QUARTA

Solvuntur Objectiones.

38. OBji.I. Imagines sculptæ Divino Præcepto interdicuntur Exod.20. 4. *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in Cœlo desuper, & quæ in Terra deorsum, neque eorum, quæ sunt in aquis sub Terra.* Quod Præceptum videtur distinctum ab eo de non colendis Diis alienis: nam v.4. dicitur: *Non facies tibi sculptile*, & v.23. *Non facietis Deos argenteos, nec Deos aureos facietis vobis*; ergò Præceptum de non colendis sculptilibus ut

Diis est distinctum ab illo de ipsis non extruendis ob alios fines; ergò non licent Imagines sculptæ.

39. Resp. neg. ant., loquendo de Imaginibus sculptis, ut contradistinguuntur à pictis: ad cujus probat. neg. conseq. Illa enim loca Scripturæ adducta loquuntur de iis Imaginibus, quæ veluti Dii coluntur, non de illis, quæ Prototypa solummodo repræsentant eo modo, quo loquimur de Imaginibus pictis: dicitur enim ibi: *Non adorabis ea, neque coles: Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, & zelotes*: Alioquin Deus Arcam, Propitiatorium, Candelabra, aliaque sculptibilia vetuisset, quæ tamen utpotè ad Dei Cultum ordinata magnam habebant venerationem, ut optimè Adrian. I. Epist. ad August. recit. Act. 3. Nicæn. II.

40. Nec duo sunt Præcepta, nempe de non adorandis, ac de non efficiendis sculptilibus, sed unum dumtaxat: intantum enim vetantur sculptibilia, ne scilicet honore Divino colantur, vel ad Idololatriam provocent: semoto isto fine, sicut licent Imagines pictæ, ita licent sculptæ, cum eadem sit ratio.

41. Aliam responsionem dat Damascenus, nempe nullas Imagines Sanctorum in Veteri Testamento fuisse admissas, quia tunc ad Cœlum nemo admittebatur, pretio Redemptionis non adhuc soluto; adeoque sicut Sancti, utpote adhuc captivi, non poterant invocari, ita nec efformari eorum Imagines; at hoc verificatur de omnibus Imaginibus sivè pictis, sive sculptis.

42. Obji. II.° Nicænum II. in Decreto Fidei solas Imagines pictas commemorat, quibus imperat cultum religiosum impendi. Idipsum facit octava Synodus cap. 3. Utraque enim solum-

lummodo de pictis exemplum adducit, non de sculptis; ergò sculptas non admiserunt; si enim admisissent, recensuissent, ut Iconoclastis opponerentur, utrasque detestantibus.

43. Resp. Falsum esse ant. nam Nicænum II. in Decreto Fidei admittit expresse omnes Imagines ex quacumque materia conficiantur: Concilia enim non materiam, sed formam Iconum respiciebant in repræsentando consistentem: cæterum, etsi omitteret sculptas, non tamen excludit: exemplum verò profert de pictis; quia magis sunt obviæ; ac propterea majori ab Hæreticis odio habebantur. Idipsum de octava Synodo dicendum est, vestigia septimæ sequenti: cæterum sicuti Sectarii omnes Icones oderunt etiam sculptos; hinc Leo Isaurus Iconomachus Imperator Gregorio II. minitatus est, se omnes statuas in Templo S. Petri Romæ existentes eversurum, ex Epist. ejusdem ad præfatum Augustum: ita Catholici, ut eisdem è regione opponerentur, omnes admiserunt, eadem in omnibus ratione militante. Legantur acta Synodi VII. act.4., & 6. & lucidissimè veritas apparebit.

44. Obji. III. Sanctus Germanus Constantinopolitanus Patriarcha, Sacrarum Imaginum non minus sanguine, quam scriptis propugnator, in litteris ad Thomam Honoriadis Provinciæ Metropolitam datis, qui statuam commendabat à Muliere à Christo sanata erectam, reposuit: *Non hoc diximus nos, ut statuas æneas facere studeamus*; ergò apud D.Germanum Imagines non pictæ illicitæ censebantur.

45. Resp. neg. conseq. solummodo enim sequitur, eum usui sculptas non censuisse ità accommodatas, sicut pictas. L: rationem reddit Anastasius Bibliotecharius in VII. Synod. præ-

ſat. quia, cum Græci Sacris Imaginibus Altare cælatum teneant, ne ſacra omnibus ſint obvia, hoc pacto magis obtinetur Imaginibus pictis, quam ſculptis.

46. Obji. IV. Imagines ſculptæ idololatriæ incentivum, & ſcandalum inducunt: ab Ethnicis quippe ſunt deſumptæ, qui Templa Imaginibus ſculptis implebant, Deóſque appellabant: hinc 4. Reg. 18. 4. à Rege Ezechia Serpens æneus, qui ſalutem olim Iſraelitis contulerat, & inde ſcandalum ingeſſerat, auferri juſſit, & ex hoc motivum Iconoclaſtæ Imagines evertendi ſumpſerunt; ergò Imagines ſculptæ ſunt illicitæ, non pictæ.

47. Reſp. ad argumentnm hoc, quod etiam ab Adverſariis de Imaginibus pictis ſolvendum eſt, ne. ant. nullum enim ex Imaginibus ſculptis Fideles ſcandalum patiuntur, aut incentivum ad Idololatriam, cum optimè noverint, illas eſſe Imagines, non Prototypa: quod ſi interdum aliquos ſimplices in hoc falli contingat, Epiſcopis ſeverè injunctum eſt à Synodis Moguntina cap. 4. Meclinienſi cap. 7. Triden. ſeſs. 25. de Invoc. Sanct. ut abuſus, ſi qui irrepſerint, tollant, & introducendis occurrant. Ethnici autem ideò Statuas potius Deorum ſuorum in Templis ponebant; non quia plus ſculptibilibus, quam pictis deferrent Imaginibus; ſed quia ſculpta ſimulacra plus Deos ſuos exprimerent; vel faciliùs Dii crederentur. Ezechias autem Serpentem æneum fregit, quia Iſraelitæ incenſum ei, velut Numini adolebant: quod ſane Catholici erga Imagines à Prototypo præſcindentes minimè faciunt: quod ſi ex abuſu interdum contingat, per accidens eſt, & cura incumbit Epiſcopis omnibus incommodis providendi: neque dogmata ex

iis,

iis, quæ per accidens contingunt, metienda sunt.

48. Porrò Iconomachi ansam quidem ex Imaginum abusibus errandi sumpserunt, non tamen verum motivum: Leo enim Isaurus Iconoclastiæ Antesignanus à duobus Hebræis incantatoribus, sub spe obtinendi Imperii, ad Imagines tollendas fuit inductus, ex Cedreno lib. 3. Hist. Leoni verò Armeno eidem errori penes extincto restituendo duo Iconoclastę, nempe Sabbatinus magia, Manicheorum familiaritate, morum fœditate infamis, ac Theodorus Mellissenus Fidei Orthodoxæ simulator, amittendi Imperii metu incusso, Authores fuere, ex Cedreno Compen. in Leone Armeno: at hæc abusuum ostentatio perpetua est hostium Ecclesiæ cantilena.

49. Obji. ult. Ecclesia primitiva respuit Imagines sculptas: habemus enim ex Elio Lampridio in Alexandro Severo cap. 43. scribente, Cæsarem illum, utpote Christianis propensum, sicut & Adrianum Templa Christo absque simulacris erexisse, ut iisdem morem gereret; ergò in Primitiva Ecclesia Imagines sculptæ nequaquam admittebantur.

50. Conf. nam Sanctus Augustinus in Psal. 113. inter opera manuum hominum, quæ ipse in Gentilibus reprehendit, vasa sacra collocat; ergò multò magis collocavit Imagines sculptas, quæ similitudinem longè expressiorem gerunt simulacrorum Gentilium. Eo magis quia Epist. 49. & in Psal. 113. ait, non posse absque Idololatria in Templis poni statuas fusas, aut sculptas, quin signum Idololatriæ appareat; ergò censet Augustinus, Imagines sculptas esse illicitas.

51. Resp. ne. ant. Id verò, quod adducitur

tur ex Lampridio, nihil evincit: solummodo enim probat, eo tempore in Templis, seu Oratoriis Christianorum nullas Imagines sive sculptas, sive pictas adfuisse: id verò factum est, ne ludibrio Infidelium, grassante persecutione, exponerentur: eo magis quia Gentiles censebant, Imagines Sanctorum putari Deos à Christianis; igitur Alexander Imperator eos sibi conciliaturus, absque simulacris eorum Templa fieri jussit, à quibus sciebat eos abhorrere, veluti falsis Numinibus, & ideò quia metuebat, multos fieri Christianos, vetuit imposterum fieri Templa simulacris nudata, ne ingredientes assuescerent moribus Christianorum, simulacra veluti Numina, vel eorum Imagines acerrimè detestantium.

52. Cæterum in primitivâ Ecclesia Imagines sculptas, sicut & pictas fuisse, superius ostensum est in corpore Quæstionis, & optime notat Adrianus I. in lit. dogmat. ad Constant. & Iren. act. 3. Synod. Nicæn. II. relatis.

53. Quantum verò ad Augustinum attinet, ipse tenuit Catholicam Doctrinam, ut patet ex lib. 3. de Trinit. cap. 10. & lib. 2. de Doct. Chris. cap. 25. Itaque quando vasa aurea, & argentea reprehendit veluti opera manuum hominum, aut de vasis Imaginem Divinitatis corpoream continentibus non ea forma, qua sæpius apparuit, sed secundum se spectata intelligendus est, cum Deus revera non sit corporeus; vel quia simulacra illa ob figurationem membrorum vivere censentur, & ideò ob errorem tunc grassantem, non verò secundum se, minimè adhibenda.

54. Eodem pacto dicendum est ad id, quod subditur: intantum ab Augustino censeri illicitas Imagines sculptas, quatenus putantur secun-

cundum se vivere, & propterea, ut Numina adorari: cum autem Catholici non putent, Imagines vivere, sed repræsentare tantum Divos cum Christo regnantes, uti erant, cum viverent, non sequitur, eas ab Augustino reprehendi.

CAPUT IV.

An sint admittendæ Traditiones?

55. VErbum Dei dividitur in scriptum, & traditum. Primum est, quod in Sacris Voluminibus Deus exaratum voluit, sive in Novo, sive in Veteri Testamento. Traditum verò est, quod continet Veritates, quæ à Deo quidem, vel Christo revelante prodierunt, scripto tamen nequaquam immediatè fuerunt traditæ, sed voce tantummodo significatæ, aut immediatè per se, aut per Apostolos, qui eas à Christo acceperunt, vel Divino spiritu perfusi cælitus hauserunt, & Posteris verbo communicarunt, non scripto, quas quidem Divina Fide credere compellimur, sicuti eas, quæ scripto nobis fuerunt expositæ. Quæ à Deo, vel Christo venerunt, *Divinæ*, quæ ab Apostolis prodierunt, *Apostolicæ* appellantur.

56. Dantur quoque aliæ, quæ Ecclesiasticæ nuncupantur, à Viris Apostolicis, & antiquissimis Ecclesiæ Præsulibus originem ducentes: at istæ magnam quidem venerationem, non tamen Divinam Fidem merentur, neque de his in præsenti Quæstio agitatur.

57. Æthiopes, Dominico à Trinitate in Bibliot. Theol. lib. 4. sec.9. cap. 1. referente, Traditiones Divinas respuunt, solo Dei Verbo scripto contenti. Errorem hunc à veteribus Hæreti-

reticis acceperunt, unanimi consensu Traditiones respuentibus, ut Valentinianis, & Marcionitis, apud Irenæ. lib. 3. cap. 2. Donatistis, & Pelagianis, ex August. de Nat., & Grat. cap. 39 ac de Unit. Eccles. cap. 19. Arianis, teste Hilar. cont. Constan. Eunomianis, ex Basil. de Spiritu Sancto cap. 27. sit tamen

SECTIO PRIMA

Dicendum est cum Catholica Christi Ecclesia, Verbum Dei traditum necessario admitti oportere, cui eadem Fides Divina adbibenda est, sicut scripto.

Ostenditur ex Scripturis.

58. CHristus Dominus non omnia revelata scriptis expressit: nam Act. 1. 3. habetur: *Christus per dies quadraginta apparens eis*, nempe Apostolis post Resurrectionem, *& loquens de Regno Dei*, eos docuit, & instruxit, nec tamen, quæ docuit in scriptis apparent: cum verò ad Patrem ascensurus esset eis omnia aperuit, juxta promissa Joan. 16. 12. *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo*; igitur multa dantur à Christo revelata, quæ scriptis non sunt expressa. Sicut ergò dantur multa facta Christi non scripta, juxta Joan. ult. 25. ita dantur quoque multa dicta ab eo, non tamen scripta.

59. Apostolos quoque non omnia scripsisse, quæ à Christo, vel Divino Spiritu acceperunt, juxta promissiones Joan. 14. 28. *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis*. Et 2. Joan. 12. habetur, ubi cum multa de vitandis

dis Hæreticis, de servandis mandatis, de Charitate, quæ utique à Spiritu Sancto acceperat, disseruisset, subdit: *Plura habens vobis scribere, nolui per chartam, & atramentum; spero enim futurum apud vos, & os ad os loqui*; ergò non omnia, quæ acceperat, scripsit,

60. Paulus quoque Apostolus profitetur, se non omnia, quæ à Christo hauserat, scripsisse, ait enim in 1. ad Cor. 11. 2. *Laudo vos Fratres, quod per omnia mei imitatores estis, & sicut tradidi vobis, Præcepta mea tenetis*. & eadem Epist. v. 23. cum multa, quæ acceperat, non scripto, sed voce referat prodiisse: *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis*: nempe Sacramenti Eucharistici institutionem; subdit v. 34. *Cætera cum venero, disponam*, cum tamen quid disposuerit, minimè in scriptis habeamus; ergò voce disposita reliquit, fide credenda.

61. At clarissime 2. ad Tessalonic. 2. 14. se expressit Apostolus, dum ait: *Itaque Fratres, state, & tenete Traditiones, quas didicistis sive per Sermonem, sive per Epistolam nostram*. Hinc Chrysost. in hunc locum de Apostolis loquens: *Hinc patet, quod non omnia per Epistolas tradiderunt: sed multa etiam sine literis; eadem verò fide digna sunt, tam illa, quam ista*: Et propterea Paulus 2. ad Tim. 2. 1. scribit: *Tu ergo Fili mi &c. quæ audisti à me per multos Testes, hæc commenda Fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere*.

62. Et profectò Christus Dominus numquam præcepit, Doctrinam suam literis tradi, cordibus potius insculpendam, juxta vaticinium Jerem. 31. 33. *Dabo Legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in Populum*;

M 5 adeo-

adeoque Traditione potius, quam scripto ad Posteros traducendam, quin Christi Doctrina Legibus humanis esset inferior, quas traditione novimus custoditas. De Romanis docet Ulpian. lib.7. ff. de Justit. & Jure; de Lacedemoniis tradit Plutarcus in Licurgo, hancque optimam esse Reipublicæ administrandæ rationem, docet Philosophus lib.3. Politic. cap.11. firmatque Jus Civile leg. *Diuturna* ff. de Legibus, & Jus Canonicum Dist.1. Cap. *Consuetudo*.

SECTIO SECUNDA

Idipsum ostenditur ex Patribus.

63. Athanasius de Incarnat. Verbi adversus Paulum Samosat. *Qui ea, inquit, quæ ultra vires sunt, indagat, in præcipitio versatur: qui verò Traditionibus inhæret, extra periculum est*: & super Epist.2. ad Thessalonic. explicans verba illa Apostoli: *Tenete Traditiones*, ait: *Hoc sanè perspicuum est, pleraque Paulum sine scriptis, sermone dumtaxat, hoc est viva voce, non Epistolis solum his tradidisse; non enim secus illa, atque hæc fide sunt digna. Itaque & Ecclesiæ Traditionem dignam existimamus, cui præstanda sit fides, ut si quid ab ea sit traditum, nihil ultra perquiras.* Epiphan. Hær.61. *Oportet & Traditione uti; non enim omnia à Divina Scriptura accipi possunt: quapropter aliqua in Scripturis, aliqua in Traditione Sancti Apostoli tradiderunt, ut dicit Apostolus*: sicut tradidi vobis: *& alibi*: *sic doceo, sic tradidi Ecclesiis, sic continetis, nisi frustra credidistis*. Chrysostom. Hom. 4. super 2. ad Thessal. loquens de Apostolis, ait: *Perspicuum est, quod non omnia tradiderunt per Epistolam,*

sed-

sed multa etiam sine scriptis, & ea quoque sunt fide digna. Quamobrem Ecclesiæ quoque Traditionem censeamus fide dignam: est Traditio, nihil quæras amplius. Hoc pacto quoque loquuntur Clem. Alex. lib. 7. Strom. Basil. Mag. de Spir. Sanc. cap. 27. ubi ex professo necessitatem Traditionum evincit. Diony. Areop. de Eccles. Jerar. cap. 1.; ergò si juxta hos Patres, & innumeros alios, qui possunt adduci, tam ex Græcis, quam ex Latinis, Traditiones eamdem fidem merentur, quam Verbum Dei scriptum, nec ultra ipsas aliud quærendum, cum Apostoli, non omnia, quæ docuerunt, scripserint, necessariò Verbum Dei traditum admittendum est à scripto distinctum, cui tamen eadem prorsus fides adhibenda est. Cui fundamento innixa Nicæna Secunda Synodus in Decreto Fidei cultum Sacrarum Imaginum ab Iconomachis oppugnatum stabilivit, atque solemni Diffinitione firmavit. Easdem Traditiones Tridentina Synodus expresse agnovit veluti Verbum Dei in Decr. de Can. Scripturis sess. 4., quæ ex ipsius Christi ore ab Apostòlis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictantes quasi per manus traditæ ad nos usque pervenerunt.

SECTIO TERTIA

Idipsum rationibus evincitur.

64. I. Quia Ecclesia Dei sine Verbo Dei revelato stare non potest, & nihilominus usque ad Moysen, à quo Verbum scriptum sumpsit exordium, optimè permansit, & Viris Sanctissimis floruit; ergò Verbum Dei traditum datur distinctum à verbo scripto.

65. II. Ecclesia Christi, coruscante Evangelio, stetit absque ullo Verbo scripto Legis Novæ aliquot annis, cum profectò, antequam Evangelia in scriptum redigerentur, Ecclesia Fidelibus florebat, qui salvi fiebant, cum tamen solum Verbum traditum, non verò scriptum vigeret; ergò Verbum traditum necessariò est admittendum, ut à scripto distinguitur.

66. III. Omnes Scripturæ tam Veteris, quam Novi Testamenti successivè, ac data opportunitate, & capta occasione, diversis temporibus fuerunt editæ: profectò enim nemo adhuc ita desipuit, ut omnes dixerit simul editas Scripturas, ut evincit Baron. Tom. 1. Annal. & Cornel. à Lapid. in Præfat. ad singulos Libros, ubi ostendit, quando, & qua occasione quisque fuerit conscriptus, & ex ipsamet Librorum inspectione apparet, cum tamen semper viguerit Verbum Dei, quo Fidelium mentes in rectè credendo, atque agendo dirigerentur: ergò Verbum Dei traditum, distinctum à scripto, necessarium fuit, ut rectè credere, atque agere possent; adeoque Verbum scriptum non est unica regula credendi, atque agendi.

67. IV. Fide Divina credendum est, dari aliquos Libros verè Divinos, alioquin non constaret nobis, dari Verbum Dei scriptum. Insuper quænam sit ista Divina Scriptura, alioquin frustra crederemus dari Verbum Dei scriptum, si, quodnam sit, ignoraremus. Denique scire oportet, an Libri illi, quos manibus terimus, ii sint incorrupti, qui ex Authore Canonico prodierunt, & non potiùs alicujus impostoris: hæc autem omnia sciri non possunt, nisi Verbum Dei traditum facem præbeat infallibilem; ergò Verbum traditum necessariò admittendum est.

68. Non

68. Non quidem primum! nàm licet Scripturæ se Divinas appellent, credere tamen non teneor esse Divinas, nisi alio Verbo Dei infallibili doceat, illas esse Divinas; nam etiam scripta Mahumetis, & aliorum Pseudo-prophetarum se à Deo prodiisse jactitant. Aliundè verò Libri Sacræ Scripturæ præsertim Historiales ratione styli, elocutionis, & modi loquendi humanum quid spirare videntur: narrant quippe illa, quæ à cæteris Historicis exhibentur; quod ergò à Spiritu Dei prodierint, aliunde probandum est.

69. Non secundum: nam certè ex Scriptura non habetur, Librum primum, & secundum Machabæorum, & Esdræ, non autem tertium, & quartum esse Canonicos; Evangelium Marci, & Matthæi esse Dei Verbum, non verò Thomæ, & Barnabæ, & Aliorum Apostolorum, de quibus Gelasius in Synod. Rom.; ergò quod Libri, qui nunc censentur Divini, non verò alii revera tales sint, non habetur ex Verbo scripto, sed tradito.

70. Non tertium: nam certè in Sacris Literis non habetur, Evangelium Joannis, quo utitur Ecclesia, esse illum ipsum Librum, quem Joannes conscripsit; ergò novimus sola Traditione. Et profectò si ab Abbyssinis quæramus, quo fundamento Libros *Manda*, & *Abetilis*, uti Divinos adeò soliciti custodiant, quorum tamen in Scripturis nullum extat vestigium: responderent utique, id fieri ab ipsis, quia ita à suis majoribus acceperunt, & sic deinceps usque ad primam originem ascendendo.

71. V. Scriptura Divina ob multiplicem, quem continet sensum, & modum loquendi, variasque phrases, & emblemata, multisque aliis de causis, in pluribus locis obscurissima est, 2. Petr. 3. 16. hinc diversæ adeò, ac interdum

exp-

exoticæ nedum Hæreticorum, verum etiam Catholicorum prodierunt interpretationes. Quod igitur sensus alicujus loci Divinæ Scripturæ sit hic, & non ille à Spiritu Sancto intentus, & tali pacto Sacer Textus interpretandus, non ex ipsa Scriptura venamur, sed ex Traditione. Hinc Concilium Magnum Nicænum ad intelligendas Sacras Literas, quibus Ariani abutebantur, & firmandam Catholicam veritatem, præsertim illum Joan. 10. 30. *Ego, & Pater unum sumus*, Traditione usum est, ex Theodoret. lib. 1. Hist. cap. 8. Idipsum præstitit Ephesinum I. pro unitate Filii Personæ in duplici natura subsistentis adversus Nestorianos tuenda, ex Vincen. Lirin. commonit. Par. 2. cap. 2., ac subsequentia Concilia imitata sunt.

72. VI. Multa dantur Dogmata, quæ explicitè in Scripturis non inveniuntur, & tamen Fide Divina creduntur, ut V. G. numerus Sacramentorum, materia, forma, usus: Baptismum ab Hæreticis collatum esse validum: Pascha celebrandum die Dominico, non alio: Beatam Mariam Virginem, Deiparam, post Partum intactam permansisse, multaque alia dogmata, de quibus Basilius Magnus de Spiritu Sancto cap. 27. ergò datur Verbum Dei traditum, quo mysteria ista novimus, Fide Divina credenda.

73. Ult. Vel universa Scriptura, nullis exclusis Codicibus, est simpliciter necessaria, veluti unicum Verbum Dei sive in credibilibus, sive in agibilibus, vel singuli Codices distributivè, aut disjunctivè sunt necessarii: Non primum; priusquam enim primi Codices ederentur, Ecclesia multis annorum centuriis floruit immaculata: imo Synagoga Traditione potiùs, quam Libris editis utebatur, neque Sacri Codices usque ad tempora Abdiæ fuerant in unum

cor-

corpus redacti; & nonnulla, ut remedium Legis Naturæ pro Fœminis, in Scriptura minimè continebantur; hinc semper inculcatur Traditio majorum, Exodi 13.8. 14. Job.8.8. Psal.34. 2. Ecclesiast. 8. 11. In Novo verò Testamento Apostolis Evangelii diffusio non per Scripturam, sed per Prædicationem injungitur, Mar. 16. 15. *Euntes in Mundum universum Prædicate Evangelium omni Creaturæ.*

74. Neque etiam dici potest secundum: nempe Libros Scripturæ necessarios esse distributivè, aut disjunctivè: tumquia plura Volumina Sacra perierunt: Ex Veteri quidem Testamento Libri Samuel, Natan Prophetæ, Gad videntis, Quinque millia Carmina, & pleræque Parabolæ Salomonis, ex 1. Paralipom. ult. 29. 2. Paralip. 9. 29. 3. Reg. 4. 32. Ex novo autem Epist. Pauli ad Laodicen., cujus meminit ad Colosš. ult. 16., & aliam ad Cor., de qua 1. Cor. 5. 9. fit mentio, haud dubium est periisse. Tumquia singuli Libri Scripturæ continent aliquid, quod in aliis non reperitur; ergò singuli non sunt sufficientes, alioquin superfluerent alii; cum igitur Divina Scriptura non omnia revelata saltem explicitè contineat, quæ tamen Divina sunt fide credenda, necessariò Verbum Dei non scriptum admittendum est, per continuam Pastorum sibi invicem legitimè succedentium traditionem, ad nos perductum; ut optimè Vincentius Lirinensis in Commonit. cap. 32. Ecclesia nequaquam nova inducit dogmata, sed firmat antiqua. Hinc à Patribus antiquis Doctrinæ, neque in Scriptura, neque apud Veteres inventæ, suspectæ habebantur, & propterea ad Traditionem confugiebant, ut optime Hieronymus adversus Luciferianos respondit.

SECTIO QUARTA

Adversariorum argumenta solvuntur.

75. OBji. I. Divina Scriptura continet omnia, nedum necessaria, sed etiam utilia, & ad perfectionem adipiscendam, ad Rom. 15. 4. *Quæcumque scripta sunt, ad nostram Doctrinam scripta sunt, ut per patientiam, & consolationem Scripturarum, spem habeamus.* Joan. 15. 15. Salvator loquens Apostolis, ait: *Vos autem dixi Amicos, quia omnia quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Item Joan. 20. 31. *Hæc autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in Nomine ejus.* 2. ad Timot. 3. 16. *Omnis Scriptura Divinitus revelata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit Homo Dei, ad omne opus bonum instructus*; ergò non datur Verbum Dei traditum, utpote superfluum.

76. Resp. ne. ant. si de continentia explicita, expressa, & formali sit sermo: ut enim probavimus in corpore Quæstionis, multa sunt utilia, imò etiam necessaria ad salutem, quæ sola novimus Traditione; ut V. G. numerum Sacramentorum, Virginitatem B. Mariæ post partum, & alia: imò existentiam ipsius Scripturæ, ipsius rectum sensum, numerum Sacrorum Librorum, & legitimam eorum interpretationem sola novimus Traditione. Nec loci adducti quidquam evincunt. Fatemur enim Divinam Scripturam esse utilem ad Fidem, Spem, & Charitatem nutriendam, ad docendum, ad erudiendum Populum, ad bonos mores effor-

man-

màndos; at Traditionem nequaquam tollit, cum utilitas unius alterius utilitatem nequaquam excludat: nec dicunt Scripturæ illæ, solam Scripturam esse utilem, sed loquuntur indefinitè; imò tametsi diceretur, eas non esse necessarias, adhuc tamen minimè excluderentur, cum multa existant utilia quidem, non tamen necessaria. Dici quoque potest, Scripturas allatas loqui de præcipuis Fidei mysteriis, sine quorum Fide explicita salus nequit obtineri, non tamen de objectis omnibus credibilibus, quæ credi quidem debent Fide Divina, quoties innotescant; si tamen ignorentur, perniciem æternam Animæ nequaquam inducunt.

77. Obji. II. Christus Dominus minimè agnovit Traditiones, quandoquidem, ut se Messiam probaret, unicè ad Scripturam Judæos provocavit, Joan. 5. 39. dum ait: *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis Vitam æternam habere, & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me*: imò eas reprehendit Matth. 15. 6. dum alloquens Judæos ait: *Irritum fecistis mandatum Dei propter Traditiones vestras*. Hinc 1. Petri 1. 18. adversus eas ità scribitur: *Redempti estis de vana vestra conversatione paternæ Traditionis*; ergò non dantur Traditiones.

78. Resp. ne. ant., ad cujus probat. neg. conseq. Idcircò enim Christus Judæos ad Scripturam remisit, ut ad Hominem convinceret, qui, spretis miraculis adeò evidentibus, ab eo in comprobationem doctrinæ suæ patratis, quæ dicebant in virtute Belzebub Principe Dæmoniorum effici, spretâ quoque Joannis Baptistæ authoritate, Christum Messiam verum pronunciantis, unicè Scripturis inhærebant dicentes,

Joan.

Joan. 9. 28. *Nos Moysi Discipuli sumus. Nos scimus, quia Moysi locutus est Deus: hunc autem nescimus unde sit.*

79. Porrò Traditiones, quas Christus reprehendit Matth. 15. 6. non sunt illæ, de quibus loquimur in præsenti, sed privatæ Judæorum inani superstitione perfusæ, ob quarum observantiam Dei mandata negligebant; vult ergò Christus, mandatum Dei sive scriptum, sive traditum privatis Traditionibus humanis preferri oportere, quod utique verissimum est: at hoc nihil ad nos, cum Traditiones, quas inculcamus, humanæ non sint, nec privatæ, sed Divinæ, & publicæ.

80. Obji. III. Verbo Dei scripto nihil potest addi, vel detrahi, Deuter. 4. 2., & 12. 31. & Apocal. 22. 18. 19.; adderetur autem, si daretur Verbum Dei traditum; ergò Verbum Dei traditum non est Verbum Dei, adeoque non dantur Traditiones.

81. Resp. hoc Argumento concludi oppositum; nam Verbo tradito nulla fieri potest additio, vel detractio, juxta Paulum ad Galat. 1.8. *Licet nos, aut Angelus de Cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit*; ergò Verbum traditum est verum Dei Verbum.

82. Resp. nihilominus directè, ant. esse verum de additione, vel detractione corruptiva, & ab Authore non habente authoritatem edendi Verbum Dei, non verò de additione alterius generis ab ipsomet Deo Omnipotente profecta: alioquin Deus nova aliis Scripturis, præter citatas in argumento, mysteria revelare non potuisset, nec posset in præsenti, cum profecto non omnia revelabilia fuerint adhuc Ecclesiæ à Deo patefacta, quod absurdum est;

est; sicut ergò potuit revelare Verbo scripto, cur non potuit tradito? Deliria sunt hæc, non argumenta.

83. Obji.IV. Patres in solo Verbo scripto Divinam collccant authoritatem; ergò non dantur Traditiones. Prob. ant. Nam aliqui eorum asserunt, in Verbo scripto omnia contineri, atque ad Doctrinæ plenitudinem sufficere, ut Iren. lib.3. cap. 1. Athanas. lib. cont. Idola Cyril. Alexand. Hom.9. in Epist. ad Timoth. Ambros. serm.20. in Psal.118.

84. Alii asserunt, ad Scripturas provocari oportere, iis uti, nihilque loqui absque Scripturis, easque adversus Sectarios, cum quibus dimicamus, jactari, veluti sagittas, opus esse, quibus configuntur. Ita Origen. Hom.7. in Jerem. Chrysost. Hom. in Psal.95. Hieronym. in cap.13. Matth. August. Cont. Maxim. Arian. & super Psal.57.

85. Alii nihil acceptandum affirmant in Scripturis minimè contentum, ut Theophil. lib. 2. Paschal. Augustin. de Peccator. merit. & remis. cap.36. lib.3. cont. lit. Petil. lib. de Bono Viduit. cap. 1. Cyprian. ad Pompejum; ergò ex Patribus solum Verbum scriptum admittendum est, non verò traditum.

86. Resp. ne. ant. Patres enim omnes etiam in adversum citati unanimi consensu adeò perspicuè Traditiones admittunt, ut nullus de ipsis ambigendi locus appareat. Ad probationem igitur dico, Patres asserentes, in Verbo scripto contineri omnia, atque ad plenitudinem Doctrinæ sufficere, intelligendos esse; vel quoad principalia dogmata, quæ ad Vitam æternam aquirendam scitu sunt necessaria, & ad mores componendos requisita. Vel quia revera continentur, saltem implicitè, ac designatur, unde acci-

accipi debeant, nempe à Pastoribus, quibus dictum est Joan. 14. 16. *Et ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis*: vel per Traditiones per manus acceptas, dicente Apostolo: *Tenete Traditiones*.

87. Illi autem, qui docent, in concertatione cum Hæreticis utendum esse Scripturis, utique verum est, cum Sectarii Traditiones respuant, Scripturas allegari ad probationem dogmatum oportere, etiam nos affirmamus; at non dicunt Patres illi, deficientibus Scripturis, Traditiones adduci non posse, si revera suppetant.

88. Illi denique Patres, qui videntur asserere, nihil quod in Sacris Literis apertè non continetur, esse recipiendum, cum grano salis sunt intelligendi, ne sibi contradicere asserantur; volunt igitur solummodo, in obscuris Quæstionibus, ubi deest Verbum traditum, ad scriptum recurri oportere; nec cuipiam facilè credendum, qui loca expressa Scripturæ non adducit, ut audacia compescantur ingenia, quæ novitatis cupida pro dogmatibus ingenii proprii fœtus simplicibus venditant. Quocirca cum Patres omnes Verbum Dei traditum constantissimè propugnaverint, optimè scientes per hoc Catholicos ab Hæreticis distingui, ut optimè Tertul. de Car. Chris. cap. 2. si qui autem obscurè locuti, sunt in bonum sensum trahendi, ne à seipsis diffideant, clarissimè pro Traditione differentibus.

89. Obji. Ult. Pluribus rationibus in unum conglobatis. I. Unicum est Verbum Dei, sicuti unica est Ecclesia, veluti Testamentum nobis à Deo relictum ultimæ suæ voluntatis; ergò cum Verbum scriptum sit Dèi Verbum, traditum

non

non erit tale. II. Verbum Dei certum, & incorruptum ad nos pervenire debuit: Verbum autem traditum non est tale, cum Homines, per quos ad nos pervenit, oblivioni, deceptioni, ac temeritati fuerint subjecti. III. Quia transfusio Doctrinæ, media Traditione, ansam præbet sceleratis Hominibus commentitia dogmata fingendi, ac simplicibus imponendi, uti Sanctus Cyprianus fuit deceptus circa Hæreticos rebaptizandos. IV. Quia asserere existentiam Verbi Dei ex pura Traditione, falsi dogmatis suspecionem ingerit: veritas enim publicam lucem in scriptis non erubescit: hinc Hæreticorum mos est, dogmata sua non scripto, sed verbo tradere, ut convinci nequeant, uti de Basilidianis, & Corpocratianis narrat Iren. lib. 1. cap. 23, & 24. V. Admissis Traditionibus, Concilia Ecclesiæ essent superflua, cum sensus Scripturæ ex ipsismet Traditionibus pateret, sicuti essent superflua, si Scripturæ sensus esset clarissimus. VI. Superflueret magisterium Spiritus Sancti in Ecclesia, eo quia per Traditionem omnes obscuritates, & ambiguitates tollerentur; ergò cum omnia ista sint absurda, concludendum est, non dari Traditiones.

90. Resp. Ad ultimum plures objectiones complectens. Quantum ad primam

91. Resp. neg. conseq. Nam etiam Verbum traditum est perfectissimum Dei Verbum, sicuti unica est Ecclesia, per quam Dei Verbum & scripto, & Traditione ad nos pervenit: quod quidem etiam Testamentum esse potest, cum ultima voluntas Testatoris & verbo, & scripto possit ostendi.

92. Ad II. dico, eadem Dei Providentiâ, qua incorruptum ad nos Dei Verbum scriptum per-

pervenit, traditum quoque pervenire posse, periculis omnibus in objectione tactis minimè obstantibus, cum illæ difficultates etiam Dei Verbum scriptum æque afficiant.

93. Ad III. dico, nullum urgere periculum, Traditione verè Divinâ, vel Apostolicâ falsum aliquod dogma intrudendi, cum per legitimam Episcoporum successionem ab ipsomet ore Domini, vel Apostolorum prodiisse convinci debeat, ut optimè Iren. lib.2. 3., & 4. quare si Pastores legitimi audiantur, qui originem Doctrinæ usque ad Christum deducunt, numquam errori locus patebit, uti monet scitè Tertul. de Præscrip. cap.20., & 21.: nec major urget ratio, cur falsæ Scripturæ interdum obtrudantur, intrudi autem nequeant falsæ Traditiones, quibus proinde Cyprianus fuit deceptus, quia custodem earum legitimum audire detrectabat, nempè Romanum Pontificem, etsi errori sub progressu temporis vale dixerit.

94. Ad IV. Falsissimum est assumptum: non enim ideò admittuntur Traditiones, quia in publicum dogmata nostra scripto prodire vereantur, uti erant secreta Gnosticorum mysteria, de quibus Epiphan. Hæres.21. & 27., sed quia, ut nostra humilitas exerceretur, Christo minimè placuit ea scripto commendare: quo pacto Pastores, & Doctores ad instructionem necessariò consulerentur: ob quam rationem voluit Deus etiam Verbum scriptum pluribus in locis obscurissimum. Cæterum Catholica dogmata lucem publicam minimè formidant, quam proinde Sacri Doct. etiam coram Ethnicis Augustis nedum voce, sed scripto liberrimè protulerunt, ac propugnarunt, ut ex Origenis contra Celsum, Tertul. adversus Gentes, Justini Martyris ad Antoninum Pium voluminibus,

bus, aliorumque Virorum Doctissimorum disceptationibus liquidissimè constat, quod sanè Gnostici, aliique Tenebriones facere metuebant, ne scelerata ipsorum dogmata Populis innotescerent.

95. Ad V. negatur, admissa Traditione, quæ Verbum Dei sit, Concilia fore supervacanea. Nam etsi multa nobis dogmata per eam innotuerint, non tamen omnia suppetunt, quæ per inspirationem Spiritus Sancti Ecclesiam docentis possunt ministrari, & per eamdem Scripturarum multarum interpretationem haberi. Tumquia Traditiones à multis ignorantur, & in Libris Veterum, & apud Ecclesiam Apostolicam sunt inveniendæ, & inquirendæ: propterea Concilia colliguntur, ut, ipsis investigatis, atque inventis, veritas elucescat. Quia tamen, etiamsi legitimè appareant, habent solummodo rationem Normę, non autem Judicis, adeoqueetiam circa ipsas oriri Quæstiones possunt. Idcircò Concilia Oecumenica minimè superfluunt animati Judicis munere fungentia, qui Controversias ultima decisione resolvit.

96. Ad ultimum neg. quoque sequela. Nam, etsi per Traditionem multa dogmata, multorumque locorum Divinæ Scripturæ interpretationem habuerimus, non tamen omnia, nec omnium: propterea ad infallibile Spiritus Sancti magisterium recurrimus ore Romani Pontificis, vel Synodi ab eo confirmatæ Ecclesiam docentis, uti in Concilio Jerosol. de quo Act. 15. sermo fit, contigit; semper igitur ope Spiritus Sancti Ecclesia in decisionibus suis eget: nam quamvis multa dogmata teneat Traditione accepta, & interpretationem multarum Scripturarum per manus fuerit nacta; adhuc tamen, si auxilio Spiritus Sancti destituatur, errare pos-

set

set in ferenda sententia, male Traditiones intelligendo, aut Scripturas interpretando, aut malè applicando, uti celeberrimas Ecclesias, etiam Apostolicas, præter Romanam, fecisse animadvertimus: ad certitudinem enim Doctrinæ non sufficit certitudo Normæ, sed Judicis requiritur infallibile judicium, Normam citra erroris discrimen ad causę decisionem applicantis, quod sanè absque Spir. Sancti influxu fieri non potest.

SECTIO QUINTA

Nonnulla dubia resolvuntur.

97. Quæritur I. Quibus regulis utendum sit ad dignoscendas Traditiones, utrum Divinæ sint, aut Apòstolicæ, vel merè Ecclesiasticæ?

98. Resp. plures esse, quarum prima est. Quando tota Ecclesia Articulum aliquem veluti Fidei dogma amplectitur, quod tamen minimè in sacris legitur Literis; tunc Doctrinam aut à Domino ipso immediatè, vel à Sanctis Apostolis, Divino Spiritu suggerente, aut docente, prodiisse censendum est, cum nihil de Fide sit, nisi quod à Deo mediatè, vel immediatè revelatum est. Hujus generis sunt Librorum Canonicorum numerus, multorumque Textuum earumdem Sacrarum Literarum genuina interpretatio, descensus Christi ad Inferos, Pascha semper die Dominica celebrandum, & alia, quæ in Sacris deinde Conciliis definita sunt.

99. Secunda est. Quidquid ab Ecclesia institui non potuit, sed à solo Deo, nec tamen illius ullum in Scriptura est vestigium, à Dominica, vel Apostolica dicendum est Traditione acceptum, cujusmodi sunt materia, & forma Ordi-

Ordinis, Confirmationis, & Extremæ Unctionis, Baptisma Parvulorum, validitas Baptismi ab Hæreticis collati; quæ cum semper ab exordio Ecclesiæ usque ad nos inconcussè retentæ sint, nec ab Ecclesia institui potuerint, necessario à Christo, aut Apostolis de ejusdem mandato institui debuerunt, ut observat August. lib. 10. de Gen. ad Lit.

100. Tertia est. Etsi dentur plura, quæ ab Ecclesia institui potuerunt: si tamen nullum Concilium, nullus Pontifex Summus inveniatur, à quo fuerint primò instituta, & nihilominus semper retenta, & executioni mandata fuere, Divinæ, aut saltem Apostolicæ sunt Traditioni adscribenda; ex quibus est Quadragesimale Jejunium, cujus meminerunt etiam Patres antiquissimi, ut Chrysostomus, Basilius, Origenes, Irenæus, Cyrillus Jerosolymitanus, Clemens Romanus, veluti rei jam usitatæ, tametsi in posterioribus Conciliis stabilitæ, ex Gangren. cap. 19. Laodicen. cap. 50. Nicæno I. cap. 5. & aliis subsequentibus. Tales quoque sunt Ritus nonnulli, qui in Sacramentorum administratione servantur, ut in Baptismo trina mersio, salis usus, unctio Chrismatis, abrenuntio Satanæ, quorum origo non nisi Apostolis adscribi potest.

101. Quarta denique est. Quotiescumque Patres omnes, & Ecclesiæ Doctores unanimi consensu, aut saltem multis asserentibus, aliis verò minimè discrepantibus, asserunt, dogma aliquod, aut ritum, vel consuetudinem ex Dominica, vel Apostolica Traditione descendere, id proculdubio pro tali tenendum est, quales sunt plerique Ritus in Sacramentis administrandis, quos describit Basil. de Spir. Sanct. cap. 27., & Tertull. de Coron. Milit. cap. 3. In.

Scripturis enim jubemur Doctoribus credere, quos Deus, Act.20.28.,posuit ad instructionem, & directionem nostram, quos omnes errare absurdum est, iis quippè errantibus, Ecclesia quoque errare diceretur. Horum qualitates enumerat Vincentius Lirinensis cont. Hæres. cap.39. & 40.

102. Quæres II. Cum Patres asserant, Traditiones, ab Ecclesiis Episcoporum Successionem habentibus quæri oportere, à quibusnam Ecclesiis quærendæ sint; cum nulla Ecclesia citra Episcoporum Successionem constare queat, & nihilominus non omnes Ecclesiæ sint fideles Traditionum Custodes?

103. Resp.Cum omnis vera Doctrina in Lege Nova à Christo prodierit: ipse verò eam Apostolis communicaverit, qui Discipulis suis eamdem tradiderunt in Posteros derivandam, certum est, origine dogmatum inspecta, Ecclesias, quibus Apostoli præfuerunt, consuli oportere, ut pulchrè Tertull. lib. de Præscrip. cap.36. At, quia quæcumque alia, ex Apostolicis Ecclesiis, præter Romanam, hæreticis novitatibus depravata succubuit, & proinde legitima quoque in iis desiit successio Sacerdotum, idcircò ad solam Romanam confugiendum est, in qua, sicuti Fidei depositum à Sanctis Apostolorum Principibus Petro, & Paulo eidem commendatum, inviolatè servatum est, ita etiam legitima remansit Episcoporum successio, quam nedum posteriorum, sed priorum etiam sæculorum, antiquissimi, & gravissimi Patres agnovere. Irenæus Doctissimus simul Episcopus, & invictissimus Martyr, qui secundo floruit Sæculo, apud Baron. ad an. Christi 179. Romam pro discendis Traditionibns venit, quas in Romana Ecclesia immaculatas existere verbis disertissimis

ſimis lib. 3. cap. 3. teſtatur: & propterea omni ævo, ortis de Fide diſſidiis, aut dubiis ad Religionem pertinentibus, Epiſcopi etiam præcipui ſemper Eccleſiam Romanam conſuluere, ut ex infinitis propemodum reſponſis Romanorum Pontificum, eorumque Decretalibus Epiſtolis perſpicuè conſtat.

104. Hoc autem adeo verum eſt, ut ipſemet Photius moderni Græcorum Schiſmatis Author, ut hæreticum cælaret animum, de ſuæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ diſciplina, quam per Traditionem ſe accepiſſe dictitabat, Nicolao I. Romano Pontifici rationem reddit, ejuſdem petens approbationem, Epiſt. relat. apud Baron. ad an. 861. Præfatus verò Pontifex anno ſequenti reſcripſit, omnes approbans conſuetudines, præter illam, qua Laici ad Epiſcopatum immediatè elevabantur. Hanc eamdem authoritatem cum Bulgaris ad Fidem Orthodoxam recenter converſis exercuit Nicolaus eorumdem Quæſitis per 106. capita accuratiſſimè reſpondens. Itaque in re clariſsima non eſt immorandum.

105. Qui uberem Traditionum Cathalogum videre cupit, Martinum Pereſium Guadixienſium Antiſtitem adeat in ſuo Libro de ipſis luculenter agentem, ex quo Cardinalis de Laurea ex Noſtris multa in Tractatum ſuum de Traditionibus ſe tranſtuliſſe ingenuè fatetur Tom. 1. de Fide Diſp. 4. art. 6.



CAPUT V.

An Canones Apostolici sint Verbum Dei?

106. ÆThiopes, seu Abyssini apud Franciscum Alvaresium in sua Historia, & Dominicum à Trinitate in sua Bibliot. lib.4. sec.9. cap.1. Canones Apostolis adscriptos in Libro quo iam, *Manda*, & *Abetilis*, nuncupato, atque in octo partes distributo contentos, veluti ab Apostolis, dum Jerosolymis de Gentilium conversione agerent, ac de Symboli editione differerent, collectis, conditos, summa, tamquam legitimum Dei Verbum, veneratione prosequuntur, qui quidem octoginta quinque Canones Constitutionibus Clementis annectunt. Videndum igitur nunc est, an hujusmodi opinio possit sustineri citra Fidei Orthodoxæ jacturam?

SECTIO PRIMA

Quædam prænotantur.

107. NOtandum est I. Magnam inter Viros Doctos olim difficultatem viguisse, utrum verè ab Apostolis Canones eisdem adscripti, eorumdemque circumducti nomine, prodierint, vel potius subsequentibus editi sæculis, ab aliquo Impostore eisdem fuerint attributi: mos enim inoleverat præcipuè apud Græcos, de quibus Gregorius Magnus, Leo Magnus, Gelasius, Aliique Romani Pontifices acerbè conqueruntur, non tantum Epistolas, Libros, & Sermones, sed etiam Ecclesiasticos Canones corrumpendi, ac sub alieno nomine falsa vendi tan-

ditandi, spuriaque miscendi legitimis. Hinc ultra Canonum collectionem in Calcedonensi discussam, quam Ecclesiæ Codicem appellamus, aliæ prodiere in duo volumina per Christophorum Justellum redactæ. Multi profectò hujusmodi Canones, veluti adulterinos, rejecerunt, pro quibus sufficiat Gelasius in Concilio Romano 70. Episcoporum à Gratiano relatus, Cap. *Sancta Romana* Dist. 15., & 16. c. 1. & 2. Quod quidem Decretum numquam à Posterioribus Pontificibus videtur revocatum. Alii è contra citra exceptionem approbarunt, & revera in Trullen. Synod. Can. 2., in Nicæna II. Can. 1. & Syn. VIII. Can. 1. tamquam legitimi supponuntur, eosque citant Epiphan. Hæres 70. de Audianis agens, Athanas. in Sinop., Tertull. cont. Praxeam, & ex Junioribus præ cæteris Turrianus à criminationibus Magdeburgensium doctissimè vindicavit.

108. Notandum est II. Duplicem in Apostolis spectari prærogativam posse. Prima est, qua veluti Organa Spiritus Sancti verba ipsius mediatè, vel immediatè percepta Populis voce revelare, vel scripto debebant. Secunda est Potestas spiritualis, qua veluti Ecclesiæ Præsules, & Pastores condere Leges, Pœnas præscribere, Lites exorientes componere de Fide, & Disciplina, cæteraque omnia, quæ ad Principatum Ecclesiasticum pertinent, exercere poterant. Scribere Libros Canonicos ad prioris generis potestatem pertinet: scimus enim, plures Prophetas nulla regiminis authoritate præfulsisse, imò viles fuisse homines, ac plebejos, eos tamen Volumina Divinæ Scripturæ edidisse: è contra plures Apostolos Ecclesiastica præditos potestate, quos tamen novimus, nullum Scripturarum Volumen edidisse. Hinc diversa est

authoritas Divinæ Scripturæ, ac Ecclesiæ Decretorum: Illa enim se habet per modum inspirationis, ista per modum Prælationis. Scriptores enim Canonici asserunt se loqui, Domino loquente: Præsules autem asserunt, se decernere, Domino dirigente. His præmissis sit

SECTIO SECUNDA

Dicendum est, Canones Apostolorum, etsi Apostolorum fœtus admittantur, non esse Verbum Dei, & Scripturam Canonicam.

109. Ostenditur breviter I. sic. Canones isti Apostolici, sive quinquaginta priores, sive posteriores spectemus, in nullo Divinarum Scripturarum Cathalogo continentur: profectò enim in Canone Judæorum inveniri non possunt, cum ad Novum Testamentum pertineant: neque in Canone Novi Testamenti, neque apud Laodicen. cap. 59. aut apud Charthaginen.III. cap.47.,aut apud Romanum sub Gelasio, aut in Floren. in Decret. Union., aut Instruc. Armen., vel in Triden. sess.4. aut ab Innoc. I. ad Exuper. Tolos. Episcop. cap. ult. ullo pacto recensentur; ergò Ecclesia non censet, eos esse inter Sacras Scripturas numerandos.

110. Neque dicatur: Canones illos non includi quidem in Cathalogis Scripturarum, sed neque excludi:

111. Refutatur enim instantia! tumquià Cathalogi illi vim habent Legis, & Regulæ, quibus à falsis vera, & Divina eloquia discernuntur. Tumquia si hoc Argumentum convinceret, Liber Pastoris, Evangelium Barnabæ, & Andreæ Apostolorum, & Alii, qui in Decre-

Decreto Gelasii proscribuntur, quoniam in Cathalogis Conciliorum, & Pontificum minimè videntur proscripti, Canonici dicerentur, quod tamen falsum est.

112. Ostenditur II. Nam quinam sint Libri Canonici, ab Ecclesiæ Decretis præscindendo, ex ejusdem novimus Traditione: hanc autem ex dictis, ac sententiis Patrum colligimus, qui ab Ecclesiæ primordiis usque ad nostra temra floruerunt: ex Libris autem Patrum nullo modo habetur, Canones Apostolicos Divinæ ab iis existimatos authoritatis, cum illos numquam, ut Divinos citent: vel iis ad dogmata stabilienda, veluti Divinę authoritatis, utantur; vel, si eos magna dignos censent veneratione, ut Athanas. in Sinop., Canonicis tamen inferiores agnoscunt, quod sanè de verè Divinis nequaquam dici potest. His enim, etsi aliquando aliqui ipsorum in dubio fuerint, ut Libri Esther, Tobiæ, Sapientiæ, Ecclesiastici & aliorum; tamen ad dogmata stabilienda, atque Hæreticos revincendos usi sunt, ut optimè Bellar. lib. 1. de Verb. Dei à cap. 7. usq. ad 20.; ergò cum Canones hujusmodi apud Patres non fuerint Divinæ authoritatis, utique Verbum Dei dici non possunt.

113. Non minori absurditate recipiunt Æthiopes, saltem ut ipsis tribuitur, octo Libros Constitutionum Clementis uti Apostolicos, Canone 84., ex vulgo Apostolicis, fortasse decepti: quæ quidem etsi in sua puritate utiles sint, attamen Apostolicæ non sunt, cum ab ipsismet Apostolis minimè prodiisse noscantur, atque, ut modò eas habemus, multis erroribus, qui Abyssinis adscribuntur, sordescant, & propterea in Synod. Trul. Can. 2. à Græcis fuerint repulsæ; igitur hujusmodi Constitutio-

nes, five fecundum fe fpectatæ, five ut modò inveniuntur, utpotè corruptæ, perperam ab Abyffinis veluti Apoftolicæ recipiuntur, cum à Gelaf. in Concil.70. Epifcoporum veluti Apocriphæ fuerint pronunciatæ.

SECTIO TERTIA

Soluuntur Argumenta.

114. OBji. I. Canones vulgò Apoftolicos agnoverunt Oecumenica Concilia, verè ab ipfifmet Apoftolis prodiiffe, ex Trul. Can.1. ex Syn.VII. Can.1. & VIII. Can.1., & ex Adrian.I., qui Septimam Synodum confirmavit, afferente, fe ratam habere VI. Synodum, cum Canonibus fuis: hæc autem VI. Synodus, quæ Canones condidit, non poteft effe, nifi Trullenfis, cum vera VI. Synodus nullos Canones condiderit, fed folummodo Monothelitas Hæreticos anathemate damnaverit; ergò Canones Apoftolici funt verè Dei Verbum, quoniam ab Apoftolis prodierunt, qui fuere quoque Divini Verbi Scriptores.

115. Refpon. permitto ant., & neg. confeq. Tumquia non omnes Apoftoli Canonicas Scripturas ediderunt. Tumquia Canones editi fuerunt ab Apoftolis, non tamquam Canonicis Scriptoribus, fed tamquam Ecclefiæ Prælatis, atque Paftoribus. Idcircò à Conciliis præfatis afferitur, fe Canones Apoftolorum recipere cum Nicænis, Ancyranis, Gangrenfibus, & Aliis, quos profectò conftat non effe Verbum Dei, etfi Dei infpiratione conditos, & totius Mundi reverentia confecratos, ut ait Leo Magnus Epift.84. eo pacto, quo Leo IV. Epift. ad Epifcop. Britan. relat. Dift.2. cap.1. de Libel., & Comment. fcribit, recipi Canones

Apo-

Apostolorum cum regulis Præsulum Romanorum Sylvestri, Siricii, & Innocentii: *Per quos judicant Episcopi, & Episcopi judicantur, & Clerici*: Hos autem nemo umquam somniavit, aut dixit esse Verbum Dei.

116. Resp. II. ne. ant. ad cujus probat. quantum ad Trullense jam Eruditi noverunt, nec Oecumenicum, nec legitimum fuisse Concilium, & cui Apostolica semper authoritas defuit. Cæterùm non dicit Trullense, Canones illos esse Apostolorum, sed tantum nomine editos eorumdem. Quantum verò ad Septimam, & Octavam Synodum, hujusmodi Canones acceptantur in ea opinione, in qua versabantur, quatenus sub nomine Apostolorum solummodo veniebant, non autem censebantur verè Apostolorum: Trullensem enim secutæ sunt eos Canones recipientem sub nomine Apostolorum, non quod revera ab ipsis prodiisse censerentur.

117. Nec movet Adriani I. authoritas: solummodo enim vult, ratam haberi Sextam Synodum cum Canonibus suis, idest regulis credendi, solas quippè credendi regulas edidit, non autem agendi, quales sunt Apostolici Canones: quo pacto intelligenda quoque est Professio Fidei Romanorum Pontificum pollicentium, se Decreta Conciliorum Generalium servaturos, inter quæ Canones quoque vulgò Apostolici continentur.

118. Obji. II. Tertullianus Lib. adversus Praxeam scribit, Canones vulgo Apostolicos esse nobis per manus traditos. Athanas. in Sinop. eos numerat inter Agiographos. Damascen. lib. 4. de Fid. Orthod. ponit eos inter Divinas Scripturas; ergò Canones vulgo Apostolici sunt Verbum Dei.

119. Resp. A Tertulliano non dici, Canones vulgo Apostolicos esse Verbum Dei, sed ad nos Traditione perductos: quod utique verificari potest, etiamsi Dei Verbum minimè dicantur. Athanasius pro nobis facit: dum enim asserit, Canones illos Agiographos esse, utique fatetur, ipsos tempore suo dubiæ authoritatis extitisse: cum autem dubium hoc numquam fuerit sublatum, profectò remanet: adeòque minimè constat, Canones hujusmodi posse in præsenti vocari Verbum Dei. Damascenus Sacras Scripturas eo loco largè intelligit pro omni eo, quod est Ecclesiæ regula, non in rigore: vel si in eo sensu loquatur, deceptus est Can. 2. Synod. Trull., post cujus tempora vixit, Verbum Dei in laxa nimirum significatione sumentis.

120. Obji. III. Canones vulgo Apostolici semper fuerunt in Ecclesia servati, nec ab ulla Synodo, vel Romano Pontifice fuere inventi; referuntur quippe ex Dionysio Exiguo in Exord. Collec. Canon., quos è Græcos in Latinum, Stephano Salonitano Episcopo rogante, apud Cassiod. de Divin. Lect. cap. 23., transtulerat, à Clemente veluti ab Apostolis conditi; ergò ex Apostolica Traditione prodeunt, cum ex August. de Baptis. cap. 24. quod semper servatum est, nec ab ullo Concilio, aut Romano Pontifice legitur statutum, ex Apostolica censeatur Traditione descendere; ergò ab Apostolis fuere hujusmodi Canones conditi; ergò sunt Verbum Dei.

121. Resp. ultimum conseq. esse malam! Verbum enim Dei qua tale est, ut ab Ecclesiæ secernitur Decretis, debet esse per inspirationem, non autem per prælationem, & publici magisterii authoritatem conditum: alioquin

quin etiam Pontificum, & Synodorum Generalium Decreta Verbum Dei dicerentur, quod nemo dixerit: Canones autem vulgo Apostolicos hoc posteriori modo esse constructos, ex hoc conjicio, quia nimirum eos Apostolis Jerosolymę, juxta Abyssinorum sententiam, ob varia Ecclesiastica negotia, præcipue ob editionem Symboli, ac eorumdem per varias Provincias ad disseminandum Evangelium distributionem anno Christi 44. juxta supputationem Baronii, & 2. Claudii Imperatoris, in unum adunati conciliariter ediderint, & innui videtur Act. 16. 4. si ergò conciliariter Canones sub nomine Decretorum ab Apostolis fuere conditi, non utique ab ipsis veluti Canonicis Scriptoribus prodierunt, sed veluti Ecclesiæ Prælatis, adeoque dici nequeunt in rigida significatione Verbum Dei.

122. Cæterum ad ant. dici potest, ignorari à quonam Pontifice, vel Synodo fuerint editi hujusmodi Canones; non tamen inde Apostolicos esse: si enim positivè sciretur ab Apostolis prodiisse, nemo illos respuere ausus fuisset, cujus oppositum docet loco citato Dionysius Exiguus, subdit enim: *Quibus quamplurimi quidem consensum non præbuere facilem, & tamen postea quædam constituta Pontificum ex ipsis Canonibus assumpta videntur:* cum ergò magna de ipsis semper fuerit dubitatio, an ex Apostolis revera prodierint, asserere nequaquam possumus, eos esse Verbum Dei traditum, dubia existente Traditione.

123. Quæres: quanam igitur authoritate gaudent in Ecclesia hujusmodi Canones, & Constitutiones Clementis?

124. Resp. Canones priores quinquaginta, quoniam juxta Epiphanium loc. cit. in iis:

Omnis regularis ordo habetur, & nihil à Fide adulteratum, neque à Confessione, neque ab Ecclesiastica gubernatione, & regula, magna dignos esse veneratione. Quamvis enim nec inter Canonicos computentur Libros, nec omninò exploratè constet, Apostolicos esse; vetustissimos tamen fateri compellimur, usuque Ecclesiæ roboratos, atque firmatos.

125. Clementis autem Constitutiones nonnulla quidem continent Ecclesiasticis sanctionibus, Fideique Catholicæ adversa, ac proinde à Gelasio in Concilio 70. Episcoporum, ut Apocriphæ respuuntur. Quia tamen multa utilia complectuntur, & antiquissimas esse, utpote ab Epiphanio, & Athanasio agnitas, certissimum est, & apertè deducitur ex Synodo Trullensi cap. 2. ubi licet respuantur, innuitur tamen antiquitas, cum in usu apud Græcos fuisse asserantur, utique non sunt contemnendæ, aut rejiciendæ, sed debita cautione lustrandæ, uti de Libris Recognitionum ejusdem Clementis censet Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis in Clemente: & si purgatæ inveniri possent, easque Clementis esse verè constaret, eamdem authoritatem, quam cæteris Summorum Pontificum Decretalibus, quotquot Catholici sumus, tribuimus, profectò exigerent.

CAPUT VI.

Utrum Concilium Ephesinum I. legitimum sit, & Oecumenicum?

126. HUjusmodi Synodi celebrandę causa fuit Nestorius, qui, cum è Monacho Antiochensi Constantinopolitanum Patriarcha-

chatum, Theodoſio Juniore Auguſto promovente, Joanneque Præſule Antiocheno impellente, occupaſſet, hæreſim, quam in ſolitudine conceperat, propalavit. Vix enim Solium patriarchale Regiæ Urbis aſcendit, cum extemplo Mariam Virginem nequaquam eſſe Deiparam, ſed Hominem purum peperiſſe, Anaſtaſio Presbytero, concione ad Populum habita, eructante, nedum minimè reſtitit, ſed palpando approbavit, & obſtinatè defendit. Cum verò monitus opportunè à Cyrillo Alexandrino, atque à Cœleſtino Romano Pontifice reſipiſcere noluiſſet, ſed potiùs errorem mordicùs tueretur, nec ipſi Propugnatores deeſſent, ac proinde in maximo periculo Eccleſia Dei verſaretur, hoc proinde Concilium Epheſi in Aſia, conſentiente Romano Pontifice Cæleſtino I., à Theodoſio Juniore Auguſto collectum eſt, in quo Præſide Cyrillo Alexandrino nomine Cæleſtini, cum Arcadio, & Projecto Epiſcopis, & Philippo Romano Presbytero Apoſtolicæ Sedis Legatus, Neſtorius veluti Hæreticus fuit damnatus, ac Patriarchatu, & Sacerdotio nudatus, veritas Catholica de Unitate phyſica unius Perſonæ in Chriſto, quam Neſtorius impiè denegabat, ſtabilita, ac Beatam Mariam ſemper Virginem veram Dei Genitricem fuiſſe, ſancitum eſt. Hæc omnia luculenter, & ampliori ſtylo deſcribit Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Parens Baron. ab anno Chriſti 428. uſque ad an. 433. Hanc porrò Synodum Neſtorii Sequaces, qui adhuc in Oriente degunt, hæreſimque ſequuntur, veluti illegitimam, nec Oecumenicam, deteſtantur, atque proſcindunt. Videndum eſt, an fundamento aliquo nitantur?

SE-

SECTIO PRIMA

Dicendum est Synodum hanc Ephesinam esse legitimam, & Oecumenicam.

127. EVincitur breviter, quia in Ephesino I. conditiones omnes ad Oecumenicum, & legitimum Concilium requisitæ inveniuntur. I. Enim ad legitimam, & Oecumenicam Synodum requiritur, quod à suprema, & Ecclesiastica Romani Pontificis authoritate colligatur, aut imperantis, aut saltem consentientis, ex antiquo, & Apostolico Canone ita præscribente, apud Athanas. Apol. 2., Socratem lib. 2. cap. 13., Sozomen. lib. 3. cap. 9. Niceph. lib. 9. cap. 5., Ephesinum autem I. authoritate Romani Pontificis fuisse collectum, habemus ex Synod. VI. in orat. Prosphonet. Act. 18., & Gelasio in Synod. Rom. I.: ipsumque Imperatorem Theodosium Juniorem hujusmodi Synodum postulasse, probat. Baron. ad an. Christi 430., missioque Legatorum Arcadii, Projecti, & Philippi, qui eidem præsiderent, satis apertè demonstrat.

128. II. Conditio est, ut omnes Episcopi ex Universo Orbe ad Synodum vocentur; hujusmodi autem convocationem Ephesinæ I. Synodo minimè defuisse, patet ex Actis Concilii, ex quibus constat, quantum ad Ecclesiam Orientalem, omnes ejusdem Patriarchas, & Metropolitas fuisse accitos; ex actis enim liquet, Nestorium Constantinopolitanum, Cyrillum Alexandrinum, & Joannem Antiochenum Patriarcham Synodo adstitisse, Præsulesque Orientales ex omnibus Provinciis accesisse numero plusquam ducentos, ex Epist. Synod. ejusdem

Con-

Concilii ad Imperat. , & in alia ad eumdem, quæ habetur Par. 2. Act. 5., & in Epist. Synod. ad Cælest. Rom. Pontif. Occidentales verò, etsi personaliter minimè accesserint, saltem omnes, accessere tamen consensu, & legatione. Afri Patres, misso Bessula Chartaginensi Archidiacono Doctrinæ splendore præstantissimo, qui nomine Ecclesiæ Africanæ Synodo assisteret, & Præsulum, ob temporis angustiam, viarum impedimenta, Wandalicamque persecutionem, absentiam excusaret, ut Epist. Capreoli Chartaginensis Archiepiscopi, ac totius Africæ Primatis perspicuè testantur. Extat autem Act. 3. Par. 2. Concil. Ephesin. ubi narratur, à Capreolo Divalem Theodosii Augusti, qua D. Augustinus novissimè defunctus ad Synodum vocabatur, apertam fuisse.

129. Cælestinus quoque Romanus Pontifex, præter Legatos à se missos, ut Synodo præsiderent, Occidentalium Concilium coegit, & Nestorium damnavit, decisionem Ephesinorum Patrum præivit, & formam damnationis præscripsit, ex relat. Synod. ad Imperat. Reliqui verò Patres Occidentales Orientalibus assensu copulati sunt, ex Epist. ejusdem Synodi Ephes. ad eumdem Imperat. Act. 3.

130. Nec sanè aliæ Synodi, ut Calcedonen., Constantinop. I., cæteræque subsequentes alia ratione Oecumenicæ dici poterunt, nisi quia vel Occidentales Orientalibus, vel è contra Orientales Occidentalibus assensum præbuerunt.

131. III. Conditio est, ut Synodo suprema Ecclesiæ authoritas præsideat, qua dici possit, non sæcularem potestatem, sed Christum ipsum per Ministros suos præsedisse, & ipsos nomine ejusdem eamdem direxisse, juxta illud;

Ubi

Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum, Mat. 18. 20. Hac autem conditione Ephesinum I. nequaquam caruit, cum Cælestinus I. Romanus Pontifex per Legatos suos, nempe S. Cyrillum Alexandrinum Patriarcham, & Arcadium, Projectum, & Philippum eidem Synodo præsederit, ex epist. ejusdem Cælestini ad præfat. Cyril. extante inter acta Concilii, ex Liberat. in Breviar. cap. 5., ex Prospero contra Collat. cap. 4., ex Photio in Homo can. tit. 9., ex Marcellin. in Cronic., ex Synod. Floren. sess. 5., ex ipsamet Synod. Ephes. in relat. ad Imperat. act. 3., & epist. Cælest. ad Synod. act. 1.

132. IV. Conditio est, ut dogmata controversa, causæque criminales juxta Divinas Scripturas, Traditiones Apostolicas, Patrum dicta, Jurisque regulas respective discutiantur: hæc autem omnia in Synodo Ephesina I. ad unguem servata sunt. Nam quantum ad ipsum dogma, exactissimo criterio discussum est. Primò enim Symbolum Apostolorum, quo Nestorius tuebatur errorem suum, expensum est cap. 3. & inventum à Doctrina ejusdem omninò dissonum; & Doctrina Cyrilli, quam Nestorius respuit, omninò Symbolo uniformis. Deinde cum universalis Ecclesiæ sensus pro dogmatibus dignoscendis sit, juxta magnum Augustinum, certissima regula, de Baptis. cap. 24.: Epistola Cælestini I. Romani Pontificis cum Synodo sua, & Capreoli Chartaginensis Archiepiscopi, ac totius Africæ Primatis cum sua Synodo lustrata fuit, quibus omnibus Nestoriana Doctrina repugnare visa est, utpote nova, & absurda. Patres quoque antiqui consulti sunt, ex quorum Traditione eruitur veritas, & novitas hæretica liquidò apparet.

Pro-

Producti idcircò in medium fuere Patres celebriores, ut Athanasius, Julius I. Romanus Pontifex, Theophilus Alexandrinus, Cyprianus Chartaginensis, Ambrosius Mediolanensis, Gregorius Nazianzenus, & Nissenus, Basilius Magnus, Atticus Constantinopolitanus, Anphilochius Atheniensis uno ore unicam in Christo Personam, eumdemque verum Deum, & hominem conclamantes, Mariamque semper Virginem non modo Christiparam, sed Deiparam asserentes, seque intelligere hujusmodi veritates, sicut in Symbolo Nicæno continentur, & propterea Patrum dicta, Flaviano Philippensium Episcopo instante, nedum relata, sed actis ipsis inserta fuere.

133. Exactissimum quoque de Nestorii heresi criminale judicium absque ulla labe iniquitatis habitum est. Primò enim charitativè à D. Cyrillo Alexandrino, ejusque Synodo, deinde à Cælestino Romano Pontifice fuit monitus, ex Epist. *Comperi*, & alia, *Cum Salvator*, ex altera, *Post impium*, quæ omnes inter acta Concilii Ephes. habentur. Deinde vocatur in Synodo ad judicium, ut se ab objectis criminibus expurget, missa Episcoporum plurium honorificenti Legatione, & quidem non bis, sed ter, juxta Ecclesiæ stylum: at ipse venire contempsit: deindè blasphemiæ ab eo prolatæ adversus Christum, & Beatissimam Virginem, nempe ipsum Deum non esse, utpotè post bimestre, vel trimestre in lucem editum, nec Mariam esse Deiparam, cum ex homine Deus nasci non possit, ex ipsiusmet Nestorii confessione ultronea in epist. Cælestini Papæ ad eumdem Nestorium: *Post Prophanum*, & Ephesi lecta est act. 1., adducuntur. Idipsum probatur ex ejusdem Concionibus, Exegesibus,

& Com-

& Commentariis in publicum productis, eosdem errores continentibus, ut ex ipsomet sententiæ adversùm Nestorium prolatæ tenore perspicitur. Cap. 4. act. 1. perpenditur Epistola Nestorii ad Cyrillum, & cap. 8. ejusdem act. 1. ex Libro quodam Nestorii multi quaterniones examinantur, erroribusque, atque blasphemiis horrificis adversus Christum, & Mariam referti, & Ecclesiæ Catholicæ Doctrinæ adversi inveniuntur. Tandem evidentissima ex Testibus de visu, & auditu immediato, pertinaciæ, ac hæresum Nestorii cap. 6. act. 1. adducitur probatio, productis sex Testibus omni exceptione majoribus, nempe Episcopis, & quidem Nestorii aliundè amicissimis, qui de obstinatione, atque hæresibus, etsi lugentes, deponunt jurejurando coacti, missique à Cyrillo, ut Epistolas Synodi Alexandrinæ, atque Cælestini Romani Pontificis eidem Hæresiarchæ traderent: ista autem omnia sufficere abundè ad condemnationem, exploratum est.

134. Quantum enim ad contumaciam attinet, Nolens in judicio se sistere, Judicemque contemnens, habetur pro confesso, ut lite non contestata Cap. *Accedens*, & deponi potest Cap. *Veritatis*, ibidem: isteque communis est omnium Tribunalium stylus, maxime in Judicio Ecclesiastico, in quo, juxta præscriptum Christi Matth. 18. 17., post trinam monitionem Canonicam, qui obedire negligit, habetur tamquam Ethnicus, & Publicanus.

135. Confessio quoque ejusdem extrajudicialis, nedum in Epistola ad Cyril. Alexand. verum etiam ad Cælest. I. Rom. Pontif. quem Supremum Judicem agnovit, in quibus opiniones istas hæreticas Nestorius tenere profitebatur, & tueri, gravissimum inditium est: pro-

propria enim Confessio, præsertim coram supremo Principe, qualis erat Cælestinus, condemnationem inducit, Cap. *Cum sit grave* de Excess. Prælat., & docet Diplovatac. in Synop. tit. de Probat. Felin. in Cap. 1. de excep. & Alii plures apud Sgro par. 5. cap. 7.

136. Alia quoque Hæreticæ pravitatis probatio ex scriptis, & commentariis suis cap. 8. par. 2. Concil. Ephes. desumitur, in quibus hæresis præfata manifestè continetur, adeoque criminis objecti præbet evidens Argumentum eo modo, quo Juris-Consulti de Scriptura perduellionis tractatum comprehendente sermonem faciunt, asserentes, quod, nisi negetur à Reo esse suam, crimen objectum convincit. Ita Felin., & Anan. in cap. *Cum in Ecclesiis* Caren. part. 3. tit. 4. Sousa lib. 2. cap. 22. Nestorius autem numquam negavit, ea scripta esse sua, imò errores in eis contentos palam confessus est, & acerrimè defendit.

137. Denique nulla datur probatio concludentior, quam per Testes omni exceptione majores: sex autem Episcopi, & quidem amicissimi Nestorii testantur de auditu proprio immediato, hæreses præfatas à Nestorio fuisse prolatas, ut superiùs visum est; ergò convictus est Nestorius de hæresi revera prolata, & professa.

138. Neque dicatur, constare quidem de errore, non tamen de pertinacia in illo, quandoquidem neque legitur in Cælestinum Romanum Pontificem insurrexisse, neque ex actis evincitur Cælestini, & Cyrilli Alexandrini Sedis Apostolicæ in causa hac Legati cum Synodo sua, Epistolam fuisse ab eo lustratam; quorum utrumque, ut de pertinacia constaret, requiri videbatur.

139. Hoc

139. Hoc enim ex actis redarguitur, ex quibus habetur, à quatuor Episcopis Epistolas hujusmodi Nestorium accepisse: ex quo præsumptio vehemens oritur, illas quoque legisse, nisi evidenter oppositum ostendatur: quod sanè fieri nequaquam potest, cum post Epistolarum acceptionem in pejora legatur prolapsus; igitur apertissimam ostendit Nestorius pertinaciam, nolens Romano Pontifici charitativè simul, & judicialiter præcipienti obtemperare; ergò legitimè à Concilio processum est, ipsum ut Hæreticum damnante, veluti antiquarum hæresum renovatorem.

140. Ultima denique conditio est, ut Synodus Oecumenica à Supremo Ecclesiæ Pastore rata habeatur, & confirmetur, ut hoc pacto Christi ipsius oraculo in terris munita censeatur: hæc autem huic Synodo minimè defuit: nedum enim à Cælestino I., & Systo III. quorum Epistolæ part. 3. Ephes. I. habentur, veluti à Sancto Spiritu directa commendatur, verum etiam à Systo III. speciali Decreto confirmata est, & propterea illi eamdem fidem, sicut Evangeliis ipsis, uti Nicæno I., Constantinopolitano I., Chalcedonensi habendam esse, Gregorius Magnus asseruit.

SECTIO SECUNDA

Solvuntur Objectiones.

141. OBji. I. Ephesinum I. Concilium, non Ecclesiastica authoritate, sed Imperatoria collectum fuit: neque in eo potestas Ecclesiastica sedit, sed Cæsarea; ergò non fuit legitimum Concilium. Conseq. patet. Prob. ant. quantum ad primam partem: in Edi-

Edictis enim, quibus Patres fuere convocati, nihil aliud habetur, quam Cæsaris mandatum, quo jubentur Patriarchæ, & Metropolitæ, cum Episcopis, qui sibi visi essent, ad Synodum accedere, & ipsimet accedentes profitentur, se mandatis Cæsareis obtemperare; nulla Romani Pontificis facta mentione; ergò Synodus authoritate Ecclesiæ non fuit collecta.

142. Secunda quoque pars liquet: nam in ipsomet Concilio habetur, à Cæsareis Legatis locum, & tempus fuisse præscriptum; Divalis Theodosii Augusti ante acta omnia legitur, ut patet act. 1. 2. Cum Imperator pravam de Synodo concepisset opinionem, acta veræ, & falsæ Synodi ab eodem rescinduntur. III. Cum Imperator fraudolentiæ Hæreticorum fuisset admonitus, septem ex utraque parte ad se Episcopos pro informatione accersit. IV. Cum falsa informatione audisset Augustus, à Cyrillo Alexandrino Patriarcha, & Memnone Ephesinorum Episcopo tyrannidem exerceri, eos jubet carceri mancipari. V Patres Ephesini petunt ab Augusto, Synodum, ejusque dogmata ab iis stabilita ejusdem confirmatione firmari, atque roborari, ut patet ex relat. ad Imperat.; ergò verè Laica potestas Concilio præsedit, ipsumque veluti Caput direxit; adeoque &c.

143. Resp. ne. ant. ad cujus probat. quantum ad primam partem attinet, quoniam Cælestinus Pontifex in sua ad Synodum Epistola eam veluti legitimum Dei Sacerdotum cœtum commendat, neque Patres de violentia Laicali numquam conquesti sunt, dicendum est, collectionem Synodi executivè quidem ab Imperatore, at mandativè, vel saltem consensivè ex imperio Romani Pontificis fuisse convocatam.

Id

Id autem contigebat, eo quia, cum Synodi Oecumenicæ in Urbe Imperiali, ac sumptibus Augustorum fieri consueverant, æquum erat, ut ab iis Episcopi, & quidem eo numero, qui Augusto placuisset, vocarentur. Cæterum omnes invitabantur, nec quisquam repellebatur; & de facto etiam ex iis, qui Romano Imperio minimè subdebantur, venerunt, ut ex ipsomet Concilii Cathalogo apparet, qui profectò mandato Augusti minimè obstringebantur, sed solummodo Romani Pontificis.

144. Secunda quoque pars nequaquam ex objectis evincitur: quod enim Divalis Augusti prius lecta fuerit, quam Romani Pontificis, id accidit, quia Legati ejusdem Ephesum pervenerunt, Concilio jam inchoato, & Nestorio condemnato, ex Act.3., & 4. Act. autem 1. Epistola quidem Cęlestini lecta est, non tamen ad Synodum directa, sed ad Nestorium ipsum.

145. Quod locum, tempus, & ordinem Synodi Imperatores præscripserint, præsidentiam non arguit, sed defensionem, ut nimirum omnia pacatè, ordinatè, citraque seditionem ullam procederent, quod faciliùs Augusti præsentis imperio fiebat, quam Pontificis longissimè absentis; & quidem hoc, authoritate ab ipsomet Romano Pontifice accepta, contingebat, quin ullo pacto se Imperatores in dogmatum decisione, aut aliorum negotiorum tractatione immiscerent, ut sæpiùs ipsemet Theodosius protestatus est.

146. Acta Synodi sive veræ, sive falsæ fuisse ab Augusto suspensa, vel irrita declarata, donec notitiam utriusque perfectam obtinuisset, & causam diligentiùs actitari præceperit, præsidentiam non arguit, cùm ad dogma ipsum discussum minimè referatur, sed ad ordinem, & re-

stitu-

ctitudinem discussionis; à falsis enim relationibus audierat, omnia in Synodo prępotentia Cyrilli Alex., non verò legitimo examine fuisse confecta. Hanc verò Theodosii mentem fuisse, patet ex districtis, quas Candidiano Comiti Par. 1. Concil. Ephes. cap. 35. locum sui in Sydo retinenti præscripserat commissionibus; ne scilicet in Quæstionibus, & Controversiis, quæ circa Fidei dogmata incidunt, ullo pacto se ingereret, & reddit rationem, quia nimirum: *Nefas est, qui Sanctissimorum Episcoporum Cathalogo adscriptus non est, illum Ecclesiasticis negotiis, & consultationibus se immiscere*. Idipsum in Divali ad Synodum repetit.

147. Eodem pacto ad tertiam instantiam, reponendum est, Episcopos illos ex utraque parte à Theodosio vocatos fuisse, non ut de dogmate sententiam ferret, an rectè judicassent; sed an rectè in judicio processissent, remota tyrannide, seditione, & tumultu, quod sanè ad politicum pertinet Principem Concilii protectorem, ac vindicem.

148. Quod verò Cyrillus Alexandrinus, & Memnon Ephesius in carcerem fuerint detrusi, nihil hujusmodi violentiæ Ephesinæ Synodi validitati adversantur: tumquia cum ejusdem, quoad substantiam celebratione, nempe Nestorii, ejusque Doctrinæ damnatione posteriores fuerint, ejus vigorem nequaquam evertunt: tumquia Candidiani, Irenæi, aliorumque Nestorii fautorum actiones iniquissimæ Ecclesiasticæ Potestatis usurpationem reipsa continebant, & propterea Theodosius eas condemnavit, atque rescidit, & Comites illos Ecclesiæ contemptores acri animadversione mulctavit.

149. Ad ultimum dico, confirmationem Theodosii à Patribus expetitam fuisse executivam.

vam, quatenus, pœnis corporalibus impositis, refractarios ad obediendum Synodo compelleret, ut Constantinus quoque Magnus se cum Synodo I. Nicæna gessit, & subsequentes egere erga Generalia Concilia Augusti Principes; non verò authoritatem, qua decisionibus à Synodo emanatis ultimum robur adiicitur; & pondus validitatis adhibetur, itaut de eo nefas sit amplius dubitare; hoc enim posteriori sensu minimè illam Patres Ephesini à Theodosio petierunt, Act.1. de Depos. Nestorii, benè vero in priori: neque enim verè juridicum calculum Doctrinæ ab ipsis definitæ ipsemet apposuit.

150. Obji.II. Concilium hoc præcipitanter nimiùm ob meras Cyrilli Alexandrini Nestorio infensi simultates negotia Sacra peregit, & Nestorium oppressit; ergò illegitimum est. Conseq. patet, prob. ant., quantum ad primam partem de nimia celeritate, patet; nam examen, & condemnatio Nestorii una actione, ac die confectum est, cum adhuc Legati Apostolici Romani, & Joannes Antiochenus Patriarcha nondum accessissent, ex Liberat. Diacon. Breviar. cap.3., & ex Epist. Ibæ Episcop. Edess. ad Marium Persam: Synodi verò hujus, non Religionis zelo, sed privatis simultatibus agitatos Episcopos processisse, patet ex Liberat. Breviar. cap.5. inquit enim: *Joanne remorante, Quæstionem movebant præsentes Episcopi de Beata Virgine Dei Genitrice. Cyrillus autem deflorationes quasdam Librorum Nestorii faciebat, eum perturbare volens, erat enim, ut dicitur, ejus inimicus.* Similia dicuntur cap. 6. ubi narrata excommunicatione, quam Joannes Antiochenus adversus Cyrillum, & Memnonem vibraverat, subdit; *Igitur Cyrillus cum Memnone volentes se ulcisci, Joannem damnaverunt,*

verunt, & omnes, qui cum eo convenerant, & multa alia pari fastu, utrique Ephesi pertulerunt: Isidorus Pelusiota Vir celeberrimus, & gravissimus, ac Cyrilli Alexandrini amicissimus, Epist. 31. monet eum, dici de ipso, privatas injurias sub obtentu Religionis vindicari, imitarique Theophilum Avunculum suum Chrysostomo infensum, dum Nestorium insequebatur ejusdem Sedis Antistitem, & Epist. 370. hortatur, *Ut quiescat à contentione, nec ultionem propriam injuriarum, quæ à mortalibus hominibus debetur, exigat à viventi Ecclesia, & æternam discordiam sub prætextu pietatis ædificet*.

151. Nestorium quoque oppressum fuisse, patet apertissime, cum brevissimo tempore fuerit causa expedita, adeoque defensiones suas texere nequaquam permissus: tumquia Nestorius minimè negavit ad Concilium accedere, sed renuit accedere ad Synodum non adhuc plenam, ex Epist. ejusdem ad Imperat. Par. 2. Act. 1. Concil. Ephes., cum Joannes Antiochenus Patriarcha, ejusque suffraganei nondum accessissent, qui propterea se non expectatos conquesti sunt; ergò Concilium nec rectè processit, neque ordinate; nec Divino Spiritu egit impellente, ac dirigente: Nestorius verò contumax nequaquam fuit, utpote non auditus; ergò oppressus.

152. Resp. neg. ant., ad cujus probat., quantum ad primam partem attinet, nempe nimiam celeritatem, & præcipitationem, dico, verum quidem esse, unica die, vel biduo Actionem unicam, qua Nestorius damnatus est, fuisse completam: at nego, hanc fuisse nimiam celeritatem, ac causæ præcipitantiam: nam, quantum ad factum ipsum attinet, apud

omnes notorium erat, cum publicè Constantinopoli, imò Ephesi ipse Nestorius, ejusque Dipuli opiniones suas proderent, & ideò tot scandala, Populique, & Cleri clamores adversus eum eruperant: idcircò longiori nequaquam examine indigebat. Doctrina verò in antiquis Hæreticis erat jam condemnata: nec mirum est, unica die in causa fuisse conclusum, cum ante adventum aliorum Episcoporum, præcipuè Joannis Antiocheni Patriarchæ, qui consulto accessum differebat, Nestorium juvaturus, omnia Hæresiarchæ scripta perpensa sunt: Patrum authoritates adductæ: Synodi Romana, & Ægyptiaca lustratæ, & vota Episcoporum vocalium audita, nihilque ad exactam cribrationem causæ omissum; cætera verò Concilii negotia Fidem minimè tangentia, sed Ecclesiasticam tantummodo Politicam, ad sessiones posteriores relegata, ut brevitati consuleretur, cum Episcopi ob aeris intemperiem, aliasque causas ab iis adductas ibidem diutius consistere non possent, & dimitti postularent: hæ autem causæ in cæteris Conciliis nequaquam militabant, & propterea male ab ipsis ad Ephesinum hoc arguitur.

153. Quantum verò ad secundam partem, quod dicitur, nempè Synodum ex privata simultate processisse, non zelo Catholicæ Religionis, insulsum omninò videtur: si enim Episcopi circiter ducenti, qui ex Orbe Universo convenerant, spectentur, quamnam cum Nestorio simultatem habere poterant, nuper ad Solium Regiæ Urbis evecto, quemque fortasse, nisi ex nomine, ante cognoverant? Neque hæc Cælestino Romano Pontifici objici poterat, quem Nestorius ipse, veluti Supremum Ecclesiæ Principem aguoverat literis ad eum datis; qui-

quiquè ipsi paulò antè de adepta Patriarchæ dignitate fuerat gratulatus, & veluti Catholicum Præsulem commendaverat, cujus Epistolæ in Actis Concilii extant.

154. Ob eamdem rationem nulla quoque Cyrilli Alexandrini à Nestorio ante motam de Doctrina litem apparet inimicitia: quod enim ipse Theophili Alexandrini Chrysostomo, cujus Cathedram Nestorius obtinuerat, infesti Nepos, & Successor extiterit, quid evincit simultatis Cyrilli cum Nestorio Chrysostomi Successore minimè immediato? Ex zelo igitur solummodò Fidei Orthodoxæ dissentio illa ortum duxit: Cyrillus enim eum Regiæ Urbis Episcopatu ornatum magnis laudibus commendavit, literis ad Theodosium Augustum datis, ex Baron. loc. cit.: audita verò ipsius hæresi, amantissimè, & charitativè eum, ut ab errore recederet, admonuit: cum verò in sententia immobilis permaneret, Fidei discrimen animadvertens, hæresim illam ad Romanum detulit Pontificem: in Synodo sua Alexandrina proscidit, & jubente Cælestino, Synodi Ephesinæ præsidentiam assumens, cum cæteris Patribus impietatem Nestorianam prostravit.

155. Liberatum verò, Isidorum Pelusiotam, Socratem, & Alios malè tunc de Cyrillo, imo de ipsamet Sancta Synodo sensisse, nequaquam inficior, vulgi dicacitate, atque Hæreticorum oblocutionibus abreptos, quod omnibus Oecumenicis Conciliis novimus commune: omnia tamen hæc nubila, veritate coruscante, progressu temporis dissipata sunt, Cyrillo, ac Synodo gloriæ culmen adeptis, Nestorio autem, & Asseclis in extremum ignominiæ prolapsis.

156. Nestorium quoque in Ephesino op-

pressum, apertissimâ calumnia est, ac perpetua damnatorum Hæreticorum cantilena. Nestorius etiam ut Patriarcha Ephesum venit; vocatus juridicè fuit, & quidem ter invitatus honorificenter, ut causam suam coram Synodo diceret; renuit superbissimè se eidem sistere; imò nec invitantium Episcoporum voces audire: unica autem die ipsius causa fuit absoluta, quia ante pluribus diebus discussa, atque in re notissima examine adeò diutino nequaquam indigens.

157. Nec tenebatur Synodus ulteriùs expectare, cum Joannes Antiochenus significasset, se tempore præfixo venire non posse, adeoque dici non poterat contemptus, & Synodus absque ipso irrita voluntariè absente; ergò Nestorius renuens accedere fuit contumax legitimę Synodo, adeoque justè damnatus.

158. Objicies III. Ecclesia Decisiones de Fide Ephesini primi minimè censuit infallibilis authoritatis; ergò non est legitima Synodus, cujus Decreta infallibilem habere certitudinem debent, juxta Oraculum Christi Matth. 18. 20. *Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Antec. autem perspicuum est: nam definitio Ephesini de Unitate Personæ in Christo Anathematismis Cyrilli Alexandrini innititur in Epistola Synodi Alexandrinæ contentis, cum nullum aliud speciale Decretum Synodi Ephesinæ habeamus: Anathematismos autem illos Ecclesia minimè censuit infallibilis authoritatis; eos quippe nedum ante, sed etiam post Ephesinam Synodum multi gravissimi Viri reprobarunt veluti Apollinaris, & Eunomii scabie fætentes, ut Theodoretus Epist. ad Rufum Thessalon. Episcop., Ibas Edessenus Epistolâ ad Marim

Per-

Persam, Maximianus Nestorii in Sede Constantinopolitana Successor, apud Liberat. in Breviar. cap.5., Joan. Antiochenæ Ecclesiæ Presbyter, apud Gennad. Massil. Cathal. cap.88., Acacius Berreensis Episcop. Epist. ad Domnum Antiochen. Patr. datis. Imò Cyrillus ipse Alexandrinus, cum pax inter ipsum, jussu Theodosii Junioris Augusti, & Episcopos Orientales Joanni Patriarchæ Antiocheno subjectos, tractaretur, nedum formulæ Fidei eidem per Paulum Emissenum Antistitem oblatæ subscripsit, sed Anathematismos quoque revocavit, ex Facundo Hermianensi Episcopo lib.8. cap.5., & Iba Edesseno Præsule ad Marim Persam; ergò Anathematismi Cyrilli infallibili authoritate non gaudent, eos quippe Orientales Episcopi Joanni Antiocheno Patriarchæ subjecti rejecerunt, veluti hæreticos; & ob hanc rationem Synodum quoque Ephesinam repellebant eosdem approbantem; ergò neque Ephesina Synodus iis innixa; ergò non est Legitima Synodus.

159. Resp. nego ant., ad cujus probat. maj. negari posset: quamquam enim in Actis, quæ habemus Synodi Ephesinæ, desit Fidei Decretum, non tamen Anathematismi fuerunt vera Ephesini decisio, quæ Scripturis, Patribus, & Traditionibus Apostolicis nitebatur: damnatio verò Nestorii in Actis Concilii erat fundata.

160. Cæterum falsa est minor, cujus probatio nihil evincit: tumquia, etsi concederetur, nonnullos Viros Doctos Anathematismis etiam post Ephesini celebrationem fuisse adversos, nihil inde contra Cyrillum evinceretur; cum particulares illæ Personæ de Anathematismorum puritate ancipites, aut vulgi opinione, rumoribusque abreptæ, vel privato aliquo af-

fectu præoccupatę, vel rerum, uti reipsa evènerant, ignaræ cespitarint, uti Viris quoque Sanctissimis, atque Doctissimis identidem novimus contigisse: tumquia Theodoretus, & Ibas ex Schismatica Joannis Antiocheni Patriarchæ factione fuerunt, ac Nestorii labis suspecti, quam suspicionem inChalcedonensiSynodo purgare debuerunt, Nestorii doctrina, personaque damnatis: scripta verò adversus Anathematismos, & Epistola ad Marim Persam in V. Syn. fuere proscripta, & Anathematismi Cyrilli in integrum restituti, veluti puram Orthodoxæ Fidei Doctrinam continentes. Gennadius, & Maximianus utpote Chrysostomi in Sede Constantinopolitana Successores rumore vulgi abrepti, & odio Theophili Chrysostomo parum æqui non adhuc fortasse pacato incensi, non ità benè de Cyrillo senserunt; atque in hoc humana passi sunt, & facile propterea à Nestorianis falsa informatione circumventi. De Episcopis Joanni Antiocheno Patriarchæ subjectis nulla ratio est habenda, utpote apertè factiosis, turbolentis, & seditiosis, ut eos ipsamet Sancta Synodus in relat. ad Imperat. appellat. Act.5. qui tamen, inita cum Cyrillo pace, dogmatibus Ephesini, & consequenter Anathematismis quoque, quoad substantiam assensum præbuerunt, Nestorii damnationem, hæresisque ipsius proscriptionem, ex Liberat. cap.8. Breviar., approbantes.

161. Porrò falsissimum est, à Cyrillo capitula sua, seù Anathematismos fuisse revocatos: id enim semper efficere constantissimè negavit, ex ejusdem ad Acatium Melitinæ, & Donatum Nicopoleos Episcopum datis Epistolis: quare Facundus Hermianensis Episcopus asserens, aut deceptus est, aut de explicatione, non revocatio-

catione intelligendus, ut scribit Liberat. Breviar. cap. 9.

162. Cyrillum autem Formulæ Fidei à Joanne Antiocheno, Orientalibusque Episcopis porrectæ, veram Dominicæ Incarnationis Doctrinam in Ephesino stabilitam continenti, ut ipse ad Acatium Melitenensem Episcopum scribit, subscripsisse, non resipiscentiam arguit Actorum, sed miram humilitatem, mansuetudinemque Sancti Præsulis commendat, qui, cum esset sedis Superioris Antistes, non erubuit videri minor, animo Fratres lucrandi, subscribendo Formulæ Fidei ab inferiori Præsule, quasi hæresis suspectus esset, exhibitæ, & Libros suos, præter Anathematismos, præfatorum Præsulum tradendo examini, ex Theodoret. Epist. 83. & Epist. Cyrilli ejusdem ad Gennad.

163. Ob eumdem finem Fratres lucrandi, à Joanne Antiocheno, ejusque Episcopis minimè exegit Cyrillus, ut Anathematismis suis subscriberent eisdem suspectis. Satis illi fuit, damnari ab illis Nestorium cum dogmatibus suis, & condemnationem approbari, & assumptionem Maximiani ad Regiæ Urbis Sacrum Thronum, uti legitimam ratam haberi; quod etiam à Chalcedonensi Synodo præstitum est, compellente quidem Ibam, & Theodoretum, ut Nestorio, & dogmatibus suis Anathema dicerent, non tamen, ut Anathematismis Cyrilli subscriberent, quod neque Cyrillus ipse ab Orientalibus exegerat.

164. Ex hucusque dictis satis apertè constat, à Sectariis Orientalibus Nestorii discipulis Ephesinam Primam Synodum immeritò respui, tamquam illegitimam; ipsi quippè nihil, quod ad Canonicum, Oecumenicum &c. Concilium requiritur, defuit; hinc summam apud

omnes, demptis Schismaticis, aliisque paucis parum instructis, venerationem adepta est, cujus Majestatem, Sanctitatem, Humilitatem in antiqua Ecclesiæ Doctrina constantissimè servanda, Vincentius Lirinensis eo tempore non minùs vita, quam eruditione illustris, Par. 2. Commonit. cap. 2. admiratur.

165. Hujusmodi privilegia Ephesinæ Primæ Synodi posteriora Oecumenica Concilia agnoverunt, Doctrinam in ea traditam veluti cœlitùs revelatam amplectentia; imò tantum abest, eam Synodum apud Posteros viluisse, ut ampliorem semper aquisierit dignitatem, ac majori semper in pretio fuerit; & propterea Cultus Beatissimæ semper Virginis Mariæ, quam Nestoriani Dei Matrem indignabantur asserere, incrementum, ac robur acceperit, ipsamet Pulcheriâ Augustâ, quæ Sacrosanctam Synodum apud Fratrem suum Theodosium à calumniis hominum iniquorum validè propugnaverat, Ecclesiam ad Deiparæ honorem, in Blachetnis nuncupatam, magnificentissimè construente, ex Niceph. lib. 15. Hist. cap. 2.; cujus imitatione processu temporis multæ Sacræ Ædes in honorem Deiparæ dicatæ sunt, atque in dies ædificantur; eadem Beatissima Virgo semper Dei Genitrix devotissimè appellatur, Salutationi Angelicæ in execrationem Nestorianæ impietatis additâ particulâ: *Sancta Maria Mater Dei*, apud Baron. ad an. Christi 433. ex Cedreno, & Evagrio.

166. Hinc patet, quam stolidè simul & impudenter Orientales Sectarii Ducem suum Nestorium ab Universali Ecclesia damnatum, atque ab Ephesina Prima Synodo solemni sententia extra cætum Fidelium, ut Hæreticum pertinacem expulsum, in albo Sanctorum recen-

seant.

seant, ac doleant injustè à Patribus Ephesinis condemnatum. Ante enim Synodum Ephesinam Romanus Pontifex præmissa Occidentalium Synodo, ejus Doctrinam uti pestilentem, hæreticamque proscripserat: Orientalis verò, Ecclesia ut Lupum, non Episcopum, Deiparæ, Christique inimicum, novitatis hæreticæ artificem, hæresumque antiquarum renovatorem proclamavit. Patres verò Ephesini, examine Doctrinæ, errorisque instituto, rigidèque, ac diligentissimè præstito, reum ipsum invenerunt. Defensiones obtulit Sancta Synodus eum honorifica advocans Legatione, ut criminationes, sicut ipsa magnopere optabat, excuteret, aut veniam postularet, clementissimè obtinendam. Accedere detrectavit, superbè Synodum contempsit, ac in errore pertinacissimè maluit sordere. Quod igitur eum Synodus, ut hæreticum proclamare, tametsi lacrymis persusa, fuerit coacta, non Synodo adscribendum est legitimè agenti, sed obstinationi Nestorii judicium suum perversum infallibili Ecclesiæ sensui tumidissimè præferenti.

167. Solemnem hanc Nestorii damnationem Universa in sequentibus Conciliis Ecclesia secuta est, quam Principes Sæculi sanctionibus suis confirmarunt, Nestorium in Oasim relegantes, ejus verò scripta, uti pestifera proscribentes. Extant adhuc edicta Theodosii Junioris, Valentiniani Tertii, ac Marciani Augustorum, quibus *Portentosæ superstitionis Auctor* ab iisdem appellatus Nestorius severissimè coercetur, cujus dogmata proscindit quoque Justinianus I. lib. I. cap. de summ. Trin. & Fid. Cathol.

168. Nonnulli putant, Nestorium ad cor rediisse, ex hoc, quod raptus in exilium pro-

tulerit, ex Liberat. Breviar. Cap. 6. *Sacra Virgo dicatur Deipara, & ea, quæ fecerunt tristitiam, conquiescant*. At alii hujusmodi pœnitentiam Antiochi fuisse existimant, cum usque ad finem in hæresi permanserit, ita ut lingua, corporeque toto vermibus consumpto, blasphemus animam emiserit in verba hæc sacrilega erumpendo: *Hactenus nobis persuasum non est, Mariam esse Dei Genitricem*, ita in Theodosio minore, Cedreno referente.

CAPUT VII.

Utrum Chalcedonense Concilium legitimum sit, & Oecumenicum?

169. EUtyches Constantinopoli cujusdam Archimandrita, seu Abbas Monasterii, Nestoriani erroris hostis infensissimus, ut ab eodem longiùs abesset, dogma novum excogitavit, quo asserebat, in Christo Domino ante quidem adunationem duas integras fuisse Naturas: ipsâ tamen positâ, aut Naturam Divinam in humanam, aut humanam in Divinam fuisse conversam, aut utrasque mixtione ita fuisse confusas, ut ex ipsis una Christi Incarnata Natura emergeret. Errorem hunc Incarnationis mysterium destruentem Flavianus Constantinopolitanus Antistes, & privatis monitis, & publica correctione, Synodoque Episcoporum cœtu collecto, viribus omnibus abscindere nisus est: incassum tamen; Eutyches quippe sententiam suam, etsi à Synodo damnatam, & à Leone Romano Pontifice, ad quem appellaverat, reprehensam, nedum revocare contempsit, sed in apertam adversus Dei Ecclesiam perduellionem corruit. Homini

hujus-

hujusmodi turbulento suppetias tulit Dioscorus Alexandrinus Patriarcha, non minùs sceleribus, quam iisdem hæresibus infamis, qui adversus Leonem Magnum Romanum Pontificem Excommunicationis fulmen, quo eum ob narrata motiva feriverat, repellere insigni temeritate ausus fuit. Ut errores Eutychis, & proprios sustineret, Synodum à decepto Grisaphii Eunuchi fraudibus Juniore Theodosio Augusto Oecumenicam Ephesi celebrandam obtinuit; in qua Legati Apostolici Leonis Magni nequaquam præsidere permissi, Epistolâ ejusdem ad Flavianum, & dogmatis decisivâ minimè perlectâ, Flavianus Constantinopolitanus Episcopus injuriis, ac vulneribus affectus, ac intercemptus, hæresis Eutychiana proclamata est, Episcopis ad subscribendum violenter metu catenarum, carcerum, necisque, abjectissimè compulsis, ac defensoribus veritatis in vincula conjectis. Rebus in pejora prolabentibus, ac Dioscoro Synodi Præside tyrannidem adepto, Religio in Oriente Orthodoxa summum periculum sustinebat. Ad hoc solicitè tollendum, Marcianus Augustus, qui Theodosio II. defuncto successerat, non minus pietate, ac zelo Fidei rectę, quam militari gloria clarissimus, animum unicè intendit, atque inde origo Synodi Chalcedonensis desumpta est, ut nimirum Ecclesiæ vulnera hujusmodi seditionibus, atque contentionibus inflicta sanarentur, ipsique pax pristina redderetur. Leonis igitur Primi Romani Pontificis authoritate, ac Marciani Augusti, simul cum Augusta Pulcheria opem, atque protectionem maximam impendentis, Synodus hæc Nicęæ primùm in Bitinia, deinde Chalcedone prope Constantinopolim collecta est, ubi a sexcentis, & triginta Patribus, Legatis Apostolicis

Paschasino Lilibæi, Lucentio Asculi Episcopo Præsidentibus, Dioscorus Alexandrinus Patriarcha Dignitate, ac Sacerdotio nudatur; Catholica Fides optimè explicatur, ac stabilitur; prava germina Eutychianæ, ac Nestorianæ hæresis exscinduntur; attentata in prædatoria Ephesina II Synodo annullantur; ac pristino nitori Orthodoxa Religio restituitur. Nunc ergò inquiritur, an hujusmodi Synodus legitima sit, & Oecumenica, necne? Discipuli enim Eutychis, & Dioscori, qui nunc in Ægypto, & Æthiopia versantur, præter alios errores, quibus inquinantur, Synodum hanc execrantur, veluti Synagogam malignantium, ac Nestorianorum Coetum, & Dioscorum Alexandrinum, uti Sanctum venerantur: Sanctum verò Leonem Magnum, qui eum condemnavit, diris proscindunt.

SECTIO PRIMA.

Synodus Chalcedonensis Oecumenica, & legitima Synodus dicenda est.

170. Ostenditur breviter: Omnes enim habet conditiones ad Universalem, & legitimam Synodum requisitas.

171. I. Enim juxta Regulam antiquissimam ex Marcello I. Epist. ad Episcop. Antioch. Provin. & innuit VI. Synodus Act. 18. Serm. Prosphon. Oecumenicum Concilium authoritate Ecclesiastica Primæ Sedis colligendum est: optimè enim Athanas. ad solit. Vit. agentes: *Quando umquam judicium Ecclesiæ ab Imperatore authoritatem habuit?* Synodus autem Chalcedodonensis authoritate Leonis Magni Romani Pontificis coacta est, ex Gelas. I. ad Episcop. Dar-

Dardan., & Episcoporum Secundæ Mesiæ ad Leonem Augustum; imò ex ipsomet Marciano Augusto Epist. ad Leonem I., qua ipsum rogat, ut Synodum convocandam præcipiat, utpote *Principatum in Episcopatu Divinæ Fidei possidens, eoque Authore, Pax fiat inter Fidei Catholicæ Episcopos*; &, si noluerit in Persona accedere, locum, & quę tractari censuerit, præscribat; ergò authoritas Ecclesiastica convocativa Synodo Chalcedonensi nequaquam defuit.

172. II. Est, Ecclesiæ supremam Potestatem, nempe Romanum Pontificem Concilio præsidere, ut jure dici possit, Christum Cætui illi in nomine suo congregato per Vicarium suum præfuisse, non sæcularem Potestatem, quæ à Sacerdotibus mysteria Religionis discere debet, non eam docere, ut optimè Osius Cordubę Episcopus ad Constantium Augustum: hac autem minimè caruisse Chalcedonensem Synodum, patet: nam Legati Apostolici Leonis Papæ Romani, nemine discrepante, munus hoc, nempe Paschasinus Lilibæi, & Lucentius Asculi Episcopus, & Bonifacius, ac Basilius Ecclesiæ Romanæ Presbyteri exercuerunt, quorum meminit Leo Epist. ad Imperat. etsi hujus Basilii in actis nulla mentio appareat, aut mortui, aut revocati. Hujusmodi Sedis Apostolicæ Legati Primi sedent, loquuntur, subscribunt, Marcianus verò, qui per semetipsum in Synodo voluit adesse, post Episcopos omnes, qui act. 6. ait: *Nos ad Fidem confirmandam, non ad aliquam potentiam exercendam, exemplo Religiosi Principis Constantini, Synodo interesse voluimus, ne vel ulteriùs Populi pravis suasionibus separentur.*

173. III. Est, Omnes Episcopos ex Uni-

verso Orbe convocari ad Synodum, itaut nullus legitimus Præsul excludatur, quin mediatè, vel immediatè accedere jubeatur. Ad Synodum autem Chalcedonensem omnes hoc pacto fuere convocati: nam, si de Orientalibus fiat sermo, sufficit Tractorias Marciani Augusti inspicere, quibus Antistites omnes Imperio Romano subjecti ad Synodum fuere accersiti: si verò de Occidentalibus loquamur, ad Synodum nonnulli venere, ab Imperatore minimè invitati, ut Eustatius inter Saracenos Episcopus, Aurelius Adrumetinus in Africa, Resticianus alter in Africa Præsul; ex quo evincitur, non imperio Augusti, sed Romani Pontificis authoritate Præsules ex Universo Orbe ad Synodum illam accessisse.

174. Cæteri Orientales, qui non leguntur in persona Chalcedonense Concilium vidisse, consensu tamen, & adhæsione adfuerunt, præmissa Synodo, in qua dogmata controversa discussa sunt. Quo pacto Synodus Constantinopolitana I. Oecumenica dicitur, etsi nullus in ea Occidentalis adstiterit, eo quia Damasus Papa cum sua Occidentali Synodo cum Orientalibus in dogmate fuerit copulatus.

175. Attamen Chalcedonensis Synodus Patrum numero fuit celeberrima: juxta enim communiorem calculum, ex Nicephoro Calixto lib. 15. Hist. cap. 26., sexcenti triginta Antistites Cætum illum venerabilem ex omni Natione, quæ sub Cœlo est, decorarunt.

176. Quatuor quoque Orientales Patriarchæ, nempe Anatolius Constantinopolitanus, Dioscorus Alexandrinus, Maximus Antiochenus, & Juvenalis Jerosolymitanus huic Synodo splendorem addiderunt, itaut in hujusmodi Cætu majestas Ecclesiæ quam maximè coruscaret.

ret. Itàque Concilio huic quàntum ad convocationem, & numerum Episcoporum nihil defuit.

177. IV. Causas criminales, & dogmaticas, ob quarum decisionem Synodus fuit collecta, diligentissima discussione cribrari, utique Synodo competit Chalcedonensi. Tria Synodo huic cogendæ motivum præbuerunt, nempe damnatio Dioscori, qui adversus Sedem Apostolicam insurrexerat, Synodi Ephesinæ II. præsidentiam sibi arrogando, & excommunicationem adversus Romanum Pontificem Leonem Magnum temerè jaculando, aliorumque gravium criminum fuerat accusatus: restitutio Flaviani Constantinopolitani Patriarchæ, à quo Eutyches depositionis sententiam retulerat, in Synodo præfata damnati, atque interfecti: & hæresis Eutychiana duplicitatem naturæ integræ in Christo Domino pertinaciter denegans, virusque suum in Ecclesia Orientali mirum in modum ubique diffundens. Tria autem hæc diligenti examine fuere discussa.

178. Quantum enim ad primum, nempe Dioscori depositionem, atque damnationem, rectius procedi non potuit: nam audita criminum accusatione per Eusebium Dorilæi Episcopum, & alios, nempe Theodorum, Ischirionem, Athanasium porrecta, quod Dioscorus Eutychis opinionem teneret: quod homicidium commisisset: quod adversus Sanctam Trinitatem blasphemasset: quod fuerit incendiàrius, impudicus, eleemosynarum raptor: quod adversus Romanum Pontificem Excommunicationis fulmen jactasset: quod Episcopos in Ephesino II. violenter ad subscribendum sententiæ Eutychianæ compulisset: quod Synodo Oecumenicæ, exclusis Apostolicis Legatis, præ-

præsedisset. Quæ omnia Testes probare se velle parati erant; vocatus in judicium accededere contempsit, ac venire sub inanibus prætextibus, aut quavis alia ratione se purgare detrectavit.

179. Quantum verò ad secundum, nempe damnationem Flaviani, quam Eusebius Dorilæi Episcopus injustissimam proclamabat, diligentissimè Patres causam versarunt: nam lecta sunt acta Constantinopolitani I., Ephesini I., nonnulla Nicæni I., ac Epistolæ Cyrilli Alexandrini ad Nestorium, & Joannem Antiochenum I. de Partu Mariæ, Christique Incarnatione, ex quibus habetur, Christum revera ex duabus naturis constare perfectis, nequaquam in unum coeuntibus, quod est Catholicum dogma; ergò ex probationibus hujusmodi certò constabat, malè, & injustè Flavianum, quod ista docuerit, & oppositum in Eutyche reprehenderit, & propterea ipsum, quod in sensu proprio obstinatè persisteret, excommunicatione mulctaverit, damnatum, & restitutum Eutychem.

180. Hinc injustitia damnationis Flaviani, & Eusebii Dorilæi cum eodem sentientis adeò mentibus omnium illuxit, ut ipsimet Judices, & Proceres sæculares, qui de mandato Imperatoris ad protectionem Synodo assistebant, eam agnoverint, ut patet act. 1.

181. Tertium Caput, nempè hæresis ipsa Eutychis, & Dioscori, exactissimè versatum est. Act. enim 2. Nicæni I., & Constantinopolitani I. Symbola lecta sunt, nec non duæ Epistolæ Cyrilli Alexandrini ad Nestorium, quæ in prælim. Ephesin. I. reperiuntur. Plura quoque loca Sanctorum Patrum ibidem lecta sunt, Nazianzeni, Ambrosii, Chrysostomi.

mi, Cyrilli Alexandrini, & aliorum per Beronicianum Sacri Consistorii Secretarium. Epistola quoque Leonis Magni ad Flavianum, quę totius Synodi regula fuit, lustrata est: cum verò nonnulli Episcopi cespitarent, ad eos illuminandos, aliqui ex Doctoribus electi fuere, præcæteris Theodoretus Doctissimus Præsul. Lectæ quoque fuerunt Epistolæ pacificatoriæ Cyrilli Alexandrini ad Joannem Antiochenum, ac pro ventilandis Fidei Quæstionibus, & confusione evitanda nonnulli Patres selecti fuere, pluribusque habitis consultationibus, & inter Patres collationibus, & perpensis Decretis Ephesini I., ac Epistolâ Leonis Magni ad Flavianum, Decretum Fidei editum est; ergò nihil omisere Patres examinis, aut naturæ consultationis dogmatum, quæ in controversiam *Hæretici* deduxerant; adeoque quantum adhoc nihil Chalcedonensi Synodo deest.

182. Tandem idipsum ad hominem ostendo. Synodus Ephesina I. juxta Adversarios legitimum, & Oecumenicum Concilium censetur; ergò etiam Chalcedonensis. Prob. consеq. nam quidquid in Ephesino decisum est adversus Nestorii impietatem, illud idem fuit in Chalcedonensi stabilitum: nec minùs in Chalcedonensi Nestorius, quam in Ephesino Eutyches jugulatus fuit: sicuti enim Chalcedonense in Decreto Fidei adversus Nestorium declarat, Dominum Jesum Christum eumdem esse Deum verum, & Hominem verum in duabus naturis, quæ in Personam unam, & substantiam concurrunt, subsistentem, non veluti in duas Personas divisum, sed unum, & eumdem Filium Unigenitum Deum Verbum Dominum Nostrum Jesum Christum existere: ita Ephesinum

ad-

adversus Eutychem in Fidei Decreto asserit, non idcircò Christum dici unum, quod Dei Natura conversa, vel immutata facta sit Caro, nec quod in totum Hominem ex Anima, & Corpore conflatum transformata sit: sed quia Verbum Carnem animatam Anima rationali sibi copulaverit, & proinde factus Homo, Filius quoque Hominis diceretur; ergò sicut à Chalcedonensi Nestorius, ita ab Ephesino Eutyches palam damnationem retulit, asserta non minùs Unitate suppositi, quam diversitate Naturarum in eodem subsistentium; adeoque, sicuti admittitur ab Adversariis Ephesinum, ita Chalcedonense quoque admittendum est.

183. Hinc Synodi subsequentes Oecumenicæ etiam Orientales, nedum Ephesinam I., verum etiam Chalcedonensem uti Generales, & Ocumenicos Ecclesiæ Conventus receperunt, atque commendarunt, quæ profectò ab Adversariis minimè respuuntur, imo summa recipiuntur veneratione, quibus, uti quatuor Evangeliis, Fidem haberi oportere, dixit Gregorius Magnus.

SECTIO SECUNDA

Solvuntur Argumenta.

184. OBji.I. Synodus Chalcedonensis apertè Nestorianis favit; ergò illegitima est. Conseq. patet. Prob. ant. Nam act. 1. ad Synodum recepit, act. 8. declaravit, causâ discussâ, Theodoretum Orthodoxum, qui tamen Nestorianæ labis erat gravissimè suspectus: tumquia Anathematismos Cyrilli adversus Nestorium in Ephesino I., & in subsequentibus Conciliis approbatos, acerbè impugnaverat: tum-

tumquia Joanni Antiocheno Nestorii publico fautori se conjunxerat: act. autem 10. in integrum restituit Ibam Edessenum Episcopum ob blasphemias adversus Christum prolatas inquisitum, ob quas in Concilio Tyri, & Berythi fuerat in judicium vocatus, & ob Epistolam ad Marim Persam, in qua commendatur Theodorus Mopsuestenus, apertus Nestorii assertor, & fautor: Nestorius excusatur veluti precipitanter in Ephesino I. damnatus, & phrases adhibentur Nestorium aperte fætentes.

185. Nec dici potest, scripta illa Theodoreti, & Ibæ fuisse innoxia detecta: nam Synodus Quinta, examine instituto, ea hæretica invenit, atque declaravit, Can. 12. & 13. ad eaque damnanda Synodum Quintam Justinianus I. Augustus collegerat.

186. Imò Capitula illa fuisse à Chalcedonensi, approbata opinio adeò invaluit, ut multi propterea Viri gravissimi Quintæ-Synodo contradixerint, tam Orientales, quam Occidentales; ergò Chalcedonense Nestorianis, sive Doctrinam, sive Personas spectemus, favit; ergò &c.

187. Resp. ne. ant., ad cujus probat. quantum ad Theodoretum attinet, Virum doctrina, zeloque Episcopali clarissimum, dico, dedisse quidem motivum ob rationes in argumento allatas labem Nestorianam de illo suspicandi: at maculas omnes, nedum apud Leonem Magnum, cujus deindè jussu Episcopatui fuit restitutus act. 1. Chalced., sed etiam apud Concilium ipsum, cui Leo causam eamdem iterum tractandam reliquerat, abstersit, emissa Fidei professione, Doctrina, Personaque Nestorii condemnata act. 8.

188. Idipsum de Iba dicendum est: ipse enim

enim ob blasphemias quidem objectas in Synodo Berythensi, ac Tyriensi examen subjit rigidissimum: at, præmissa Fidei professione, ejuratoque Nestorio, absolutionem impetravit, quia revera innocentia ejusdem ex ipsomet Processu emersit, ipsomet Photio Episcopo Concilii Præside testante. Quantum verò ad Epistolam ad Marim Persam, quoniam negavit apertè suam esse, nec potuit ab Accusatoribus convinci, ita nec damnari debuit. Ita quoque apud Chalcedonense immunis Ibas evasit: nam judicio instaurato, Testibusque auditis, & Synodi Berythensis, & Tyriensis actis relatis, atque discussis, nullam quoad Personam retulit damnationem, Nestorio cum dogmatibus suis expressè anathematizato.

189. Porrò scripta Theodoreti contra Anathematismos Cyrilli, & Epistola Ibæ ad Marim Persam apud Chalcedonense, neque expressè damnata, neque recepta fuere, sed in pristino statu relicta, cum hæresi, quæ supponebatur in eis contenta, optimè jam à Concilio fuisset provisum, nedum dogmata Nestorii, verum etiam ejusdem Personam, ut hæreticam proscribendo, & Doctrinam Incarnationis Dominicæ juxta sensum Cyrilli in Anathematismis expressum declarando.

190. Ex his patet, Synodum Chalcedonensem, neque cum Nestorio docuisse, cujus dogma proscripsit, neque Nestorianis favisse, adeo ut Theodoretum, & Ibam hujusmodi labis suspectos, nedum ad dogma, sed etiam ad Personam Nestorii ejurandam compulerit. Hæc quoad Personas dicta sint.

191. Quantum verò ad scripta dici quoque non potest Nestorianis favisse: quamvis enim expressè scripta Theodoreti adversus Anathe-

thematismos Cyrilli, & Epistolam Ibæ nequaquam damnaverit, fecit tamen æquivalenter utrumque, ad Nestorii Doctrinam, & Personam execrandam compellendo: tumquia uterque Decreta Ephesini I. suscipiebat: tumquia quantum ad Anathematismos Cyrillus, cum quo Theodoretus amicitiam iterum revinxerat, hujusmodi proscriptionem minimè postulavit. Nec Patres censuerunt, Doctissimum Episcopum de Ecclesia optimè alioquin meritum, cui jam plenè satisfecerat, hac ignominia afficere.

192. Synodus autem Chalcedonensis consultum nequaquam putavit, scripta Theodoreti, & Epistolam Ibæ ad Marim Persam speciali erroris nota inurere, ne sopitos tumultus intempestivè excitaret, & Nestorii Fautores, Theodori Mopsuesteni magnæ apud Orientales famæ Episcopi, cujus laudes in Epistola illa exponuntur, damnatione, iterum ad seditiones impelleret.

193. Quod verò scripta Theodoreti, Epistola Ibę, ac Persona Theodori à Synodo Quinta damnationem subierint, nullum Chalcedonensi Synodo nocumentum affert, quæ Theodori nullam fecit mentionem: Theodoreti verò, & Ibæ Personas quidem absolvit, non tamen scripta ullo pacto approbavit, sed in suo esse reliquit: Synodus verò Quinta scripta quidem Theodoreti, & Ibæ, non tamen Personas censuræ subjecit: adeoque, sicuti nulla inter Chalcedonensem, & Quintam Synodum Antilogia convinci potest, ita nec ullo pacto Synodus Chalcedonensis Nestorio, aut Sequacibus, vel Discipulis ejus favisse dicenda est.

194. Obji. II. Chalcedonense Concilium omnes Episcopos in prædatoria Ephesina II. Sy-

Synodo lapsos admisit; ergò illegitimum fuit. Ant. patet act. 1. Conseq. prob. Quia illi Episcopi in Ephesino lapsi, aut Hæretici revera fuerunt, Dioscoro, & Eutychi consentientes, ac Pseudo-synodo subscribentes; aut saltem externè fidem abnegantes: adeoque depositi juxta Canones Elibertinos, Neocesarienses, & Ancyranos; ergò inepti ad suffragandum in Chalcedonensi; ergò Synodus Chalcedonensis, cui hujusmodi Episcopi Judices adstiterunt, illegitima est.

195. Resp. Episcopos in Ephesina prædatoria Synodo lapsos admissos quidem fuisse, sed venia priùs humiliter petita: nec fuisse veros Hæreticos, sed solummodo Fidei externæ abnegatores, quos quidem, cum pænituissent, & misericordiam impetrassent, Sancta Synodus ad suffragandum admisit: Canones verò adducti de sententia ferenda loquuntur, non de lata, à qua si reipsa incurrissent, fuere, priusquam suffragarentur, absoluti, juxta vetustum cum Episcopis lapsis, & pœnitentibus Ecclesiæ morem, etiam in Septima Synodo cum Iconomachis, & in Octava cum iis, qui Photium fuerant sectati, & resipuerant, servatum; ac proindè, cum non essent actu depositi, sed tantum depositione digni, cum quibus priusquam suffragarentur, dispensatum est, Synodus Chalcedonensis ex depositis, & hæreticis suffragatoribus minimè dici potest conflata. Quo tamen admisso, adhuc nihil officeret, cum pauci depositi, & excommunicati numerum longè majorem legitimorum nequaquam vitient, uti Synodus Nicæna I. nonnullis Arii Sequacibus, qualis erat Eusebius Nicomediensis, & Alii quidam, compacta, robur suum, atque splendorem nequaquam amisit.

196. Obji. III. Chalcedonense in actionibus suis irregulariter processit, debito ordine nequaquam servato; ergò illegitimum est. Conseq. patet. Prob. ant. I. Enim damnationem Personæ Dioscori, ejusdem Doctrinæ proscriptioni præmisit: Persona enim Act. 4., Doctrina autem Act. 5. & 6. fuit proscripta: hoc autem videtur irregulare; nam priùs de perversitate Doctrinæ constare debet, in qua si quis pertinaciter perseveraverit, quoad Personam quoque damnationem subeat, uti ex Athanas. ad Solitar. eruitur, & in Nicæno I. contigit, à quo Arius, & Sequaces perversam Doctrinam relinquere nolentes, & definitioni Ecclesiæ aquiescere renuentes, excommunicationis à Synodo, à Magno verò Constantino exilii pœnam retulerunt. II. Eutyches erroris Author, scandali excitator, & prædatoriæ Synodi artifex nulla mulcta fuit affectus, neque nominatim excommunicatus; Dioscorus verò ejusdem tantum Fautor, & Executor consiliorum, Sedem Alexandrinam, ac Sacerdotium amisit, exilioque, atque censuris fuit percussus, quod manifestam continere videtur Personarum acceptionem. III. Iidem Accusatoris, & Judicis munus exercuerunt, nempe Paschasinus, & Lucentius Apostolicæ Sedis Legati: Judicis quidem, dum locum Leonis Magni Romani Pontificis in Synodo tenuerunt: Accusatoris verò, dum Act. 1. institerunt, Dioscorum in judicium, uti Reum vocari, non sedere, ùt Episcopum: hoc autem ipsimet Judices sæculares, qui nomine Augusti pro Synodi defensione ipsi assidebant, agnoverunt, dicentes Paschasino: *Si Judicis obtines Personam, non ut Accusator debes prosequi*; ergò irregulariter Synodus Chalcedonensis processit.

197. Resp.

197. *Resp.* neg. ant., ad cujus probat. Quantum ad primum neg. Conseq. quamvis enim regulariter loquendo in Synodis Oecumenicis de Fide ante omnia agatur, id tamen accidit, quando unicus cogendæ finis Synodi negotium Fidei fuit, ut in Synodo Nicæna I. contigit, cui Arianus error colligendæ causam unicè ministravit: quando verò motivum ex aliis causis ortum est, nec Synodus pacatè celebrari potest, nisi alia peragantur, tunc etiam ante Fidei causarum discussionem, negotia criminalia ritè tractantur. Chalcedonense autem Concilium Marcianus Augustus nedum ad hæreses exscindendas, verum etiam ad Ecclesiam Orientalem pacandam, Ephesinæ II. Synodi tumultibus, ac seditionibus quassatam, collegit, ut ex ipsius Divalibus enitet: cum verò id fieri ægrè posset, nisi causa Dioscori, secundæ Sedis Patriarchæ, ac potentissimi Præsulis, qui Ephesinas seditiones excitaverat, sibique præsidentiam ejusdem perperàm arrogaverat, ac nova dissidia suscitare poterat, tractaretur; idcircò Legatis Apostolicis postulantibus, judicium ante omnia de Dioscoro Pontificiæ authoritatis contemptore institutum est: at Episcopi in prædatoria Ephesina Synodo lapsi, ac pœnitentes, ut suffragio in Synodo potirentur, reconciliati sunt; qui quidem stylus in Ephesino I. cum Nestorio, in Sexta Synodo cum Monothelitis servatus est, ut acta Conciliaria pacificè celebrarentur.

198. Secunda instantia nihil evincit: idcircò enim Eutyches personalem non retulit sententiam: tumquia absens erat in exilium relegatus: tumquia nullum aliud crimen, præter hæresim, commiserat: tumquia jam à Flaviano Regiæ Urbis Antistite, Synodo sua approbante,

te, fuerat anathemate percussus, ac Sacerdotio, officioque nudatus; cum ergò fuerit in damnatione relictus, nova sententia minimè opus erat: tumquia laudando acta Flaviani, qui Eutychem damnaverat, & ea, quæ Ephesi perperam evenerunt, uti invalida revocando, æquivalenter etiam Eutychem ipsum condemnavit: Dioscorus autem aderat Concilio: contumax eidem se noluit sistere vocanti: multorum aliorum criminum, præter hæresim, Reus convincebatur: propterea acriorem meruit damnationem: neque ipsemet de hoc unquam querelam movit adversus Synodum, quasi Personas acceptasset. Cæteri verò Episcopi in Ephesina prædatoria lapsi veniam petentes, & Epistolam Leonis ad Flavianum acceptantes, pœnas quoque omnes evaserunt: quam indulgentiam Dioscorus quoque impetrasset, uti Patres Synodi ad Pulcheriam Augustam scribentes testantur, si scelerum suorum pertæsus veniam postulasset.

199. Ad Tertium dicendum est, eosdem non fuisse Accusatores simul, & Judices: ipsi enim crimina Dioscori Synodo veluti Judici instantes pro punitione minimè detulerunt, sed solummodo mandatum supremum Leonis I. Romani Pontificis, ne Dioscorus in Synodo ut Judex sederet, sed vocaretur ut Reus, exhibuerunt: inquit enim Paschasinus I. ejusdem Legatus: *Beatissimi, atque Apostolici Viri Papæ Urbis Romæ, quæ est Caput omnium Ecclesiarum, præcepta habemus præ manibus, quibus præcipere dignatus est ejus Apostolatus, ut Dioscorus Alexandrinus Archiepiscopus non sedeat in Concilio, sed audiendus intromittatur: Cum intromissus fuerit, necesse est, ut illi objiciatur.* Ex quibus patet, crimine notorio usurpa-

tionis Apostolicæ authoritatis existente, Leonem Papam per Legatos suos præcepisse, Dioscorum ut Reum in judicium vocari: quod Romano Pontifici, uti Supremo Ecclesiæ Principi licere, exploratum est; igitur Legati Apostolici nequaquam munere Accusatoris fungebantur, sed Executoris solummodo voluntatis Apostolicæ præscribentis in Concilio adversus Dioscorum judicialem delictorum suorum tractationem: quare cum Judices sæculares dixerunt: *Si Judicis obtines Personam, non ut Accusator debes prosequi*, non satis perspexerunt, cujus, & quam Personam Legati Apostolici gererent: cum verò moniti fuissent, statim aquieverunt; unde instantia hæc parum legalis ruit.

200. Obji. IV. In Synodo Chalcedonensi Magistratus Sæcularis Primatum exercuit; ergò non minus illegitima est, quam Ephesina II. Conseq. patet: idcircò enim Ephesina II. prædatoria dicitur, quia in ea non Ecclesiæ, sed sæculi Potestas plenam exercuit dominationem. An. au em prob.

201. I. Enim, Act. 1. Eusebius Dorilæi Episcopus in prædatoria Ephesina oppressus, non ad Patres Synodi, sed ad Judices, & Senatum preces dirigit de Justitia obtinenda, legique exorat acta Synodi Ephes. II.

202. II. Ipsimet Judices, & Senatus adversus Dioscorum, & alios Præsules, qui Ephesinæ II. Synodo subscripserant, & sententiam proferunt depositionis, addentes: *Si placuerit Divinissimo, & Piissimo Domino Nostro*; Episcopi verò assentiuntur.

203. III. Episcopi Act. 2. à Magistratibus petunt inducias, ut Patrum sententias, & Epistolam Leonis ad Flavianum scrutarentur, atque

que inter se conferrent, & obtinent. Sub fine ejusdem Actionis misericordiam pro damnatis Dioscoro, Juvenali, Talasio, Aliisque, qui prædatoriæ Synodo consenserant, Episcopis, ac prodit responsio; *Quæ interlocuta sunt effectui mancipentur*.

204. IV. Act. 3. Damnato Dioscoro, Patres ad Augustos Marcianum, & Valentinianum Epistolam mittunt, eorum, quæ acta fuerant, reddentes rationem.

205. V. Episcopi, completis Fidei definitionibus, aliisque Synodi negotiis, Marcianum Augustum Synodo præsentem, ut eos dimitteret, rogant, nec tamen exaudiuntur.

206. VI. Act. 10. Senatus, & Judices de Iba Episcopo Edesseno Concilii sententiam absolutoriam confirmant. Alia similia leguntur in toto ejusdem progressu; ergò sæcularis Potestas ibidem Primatum exercuit; ergò illegitima Synodus est.

207. Resp. ne. ant., ad cujus probat neg. conseq.; omnia enim illa, quæ in Argumento recensentur, nihil aliud, quam protectionem indicant à sæculari Potestate Synodo præstitam, ut ordinatè procederet, ne Dioscori præpotentia, aut aliorum ejusdem Fautorum, uti in Ephesina II. contigerat, violenta irruptione, quin legitimè Decreta sua ederet, præpediretur.

208. Quantum igitur ad Primum: Eusebius Dorilæi Episcopus nihil aliud voluit, quam protectione, & authoritate Augusti Decretum Leonis Magni, ad quem à latrocinali Ephesino appellatione confugerat, & quo in integrum restituebatur, executioni mandari, quod numquam sub Theodosio Juniore fraudibus Grisaphii Eunuchi nimium circumvento potue-

tat obtinere! & Dioscorus Ecclesiæ Rebellis tot criminum Reus judicio Synodali subjiciatur eo modo, quo D. Athanasius apud Constantem Augustum coram Sardicensi Synodo acta sua tractari petierat, ex ejusdem Epist. ad Constan., quod sanè non authoritatem sæcularis Potestatis in Synodum, sed tutelam dumtaxat indicat.

209. Secundum nequaquam obstat: nam Judices & Magistratus sententiam propriè non protulerunt, sed judicium de sententia ferenda, ajunt enim: *Videtur nobis justum*, relicta Sanctæ Synodo plenissima potestate; inquiunt enim: *Et à Sancto Concilio secundum regulas*, ideft Canones, *ab Episcopali dignitate fieri alienos*.

210. Tertium non habet difficultatem: idcircò enim à sæcularibus Judicibus inducias petierant Episcopi, Patrum authoritates expensuri, ne scilicet Dioscori, ejusque fautorum calliditate eorum trutina impediretur, uti in prædatoria Ephesina contigit, ubi Leonis Magni Epistola ad Flavianum, in qua Fidei decisiva doctrina continebatur, legi fuit interdicta, ex Chalcedon. Act. 3.: idcircò autem nonnulli Episcopi Dioscoro, & Aliis depositione dignis indulgeri Senatum rogarunt, quia ipse, proceresque sæculares pro Legibus stabant Ecclesiasticis adamussim exequendis ad punitionem Reorum: at hoc protectionem Concilii arguit, non præsidentiam.

211. Quartum vix meretur responsionem! idcircò enim ad Imperatores Acta Concilii referri debuerunt, ut scirent, pro quibus brachium executionis, & protectionis exhibere deberent, & qua æquitate Concilium processisset, ut Refractariorum ausibus occurrerent, non verò passione ulla duccate.

212. Quin-

212. Quintum ex semetipso solvitur. Cum enim Marcianus Imperator, authoritate sibi à Leone Magno tributa, Synodum collegisset, eâdem quoque dissolvi debuit: nec tamen Augustus Episcopos, ut persisterent, coegit, sed rogavit dumtaxat, ut paucis aliis diebus discessum differre vellent, nonnulla à se negotia proponenda expedituri.

213. Ultimum tandem ad rem non facit: Judices enim illi volunt, absolutionem Ibæ, post Nestorium ejuratum, in suo robore, quantum ad ipsos attinet, permansuram: quod quidem patrocinium Catholici Principis significat, cupientis Ecclesiæ decreta tueri, non examini subjicere: hinc Marcianus, cùm nonnulla vellet de Clericis, & Monachis, statui oportere, non ex se decreta condidit, sed à Synodo exquisivit, Act. 6. & Acta latrocinalia Ephesinæ II. confirmantem Theodosii Juniôris Legem adversus Theodoretum latam rescindens ait: *Iniqua sententia nihil obsit Theodoreto, quoniam non possunt Sacerdotes damnari, quos Synodicum ornat super conservanda Religione judicium.*

214. Ex his patet, quam ineptè Jacobitæ, Cophtæque Dioscorum excusare, & qua dementia Sanctum Leonem Magnum Papam criminari nitantur. Quantum enim ad Dioscorum attinet, ejusdem delicta in Ephesina II. Synodo patrata perspicua adeo fuere, ut neque ipse negare ausus fuerit: nec negare profuisset, cum adversus eum tot adessent Testes, quot Episcopi. Alia verò per Clericos Ecclesiæ suæ impacta crimina, & quidem gravissima, nec respuere defensionem, nec faciem quidem Accusatorum, qui probare paratissimi erant, valuit sustinere: hinc ipsimet Magnates sæculares

Synodo assistentes in ejus damnationem conspirarunt.

215. Nec dici potest inauditus: tumqui Act. I., cum adhuc in judicium minimè fuisset vocatus, multa in sui defensionem protulit, quæ tamen Episcopi Ephesinæ II. facile retuderunt: tumquia, ut se ab accusationibus tueretur, honorificè accersitus venire contempsit: quare stultissimè eum tuentur Jacobitæ, Cophteque Ægyptii, majorique dementia eum tot sceleribus in facie Universalis Ecclesiæ pollutum inter sanctos enumerant.

216. Majori improbitate Sanctum Leonem Magnum, quod Eutychis dogmata proscripserit, Dioscorique adversus Ecclesiam tumultuantis pervicaciam fregerit, aspernantur, quem tamen ob eminentiam dignitatis, famamque sanctitatis venerari debuerunt, quem Augustissimi nedum Principes Marcianus, Valentinianus III., & Pulcheria, sed etiam Barbari Reges Attila, & Gensericus summo sunt honore prosecuti, quorum posteriores ejusdem precibus ab Urbis Romæ obsidione, vel direptione, sacrorumque profanatione obsequenter abstinuerunt.

217. Nec Magnus Leo fuit Dioscoro infensus, qui cum eo necessitudinem habuit, ipsumque ad Patriarchalem Alexandriæ Sedem promotum approbavit, magnisque, quod specietenus Orthodoxæ Religionis zelum exhiberet, laudibus commendavit. Idcircò autem adversus eum insurrexit, eo quia Synodum, inconsulta Sede Apostolica, nedum colligere, sed ei præsidere, præsumpsit, atque in ipsummet Romanum Pontificem Petri Successorem Marci Successor jaculari excommunicationis fulmen, ausu temerario, atque numquam audito,

dito, præsumpserit, ipsismet Episcopis Ægyptiis tanti facinoris horrore correptis, Act. 3. Chalced.: cujus tamen adhuc à Sancta Synodo, & Romano Pontifice veniam obtinuisset, si Pharaonis obstinatione, qua obduratus permansit, deposita, per dignam pœnitentiam ab Universali Concilio medicinam adscivisset, ut iidem Patres loquuntur, & asserit Leo Magnus ad Theodoret., & Gelas. ad Episcop. Dardan. Epist. 3. cap. 2.

CAPUT VIII.

An Sexta Synodus sit legitimum, & Oecumenicum Concilium?

218. HÆresis Monothelitarum Eutychianæ infausta propago in Concilio Lateranensi, quod à Martino I. celebratum est, Theodoro Pharanitarum Episcopo adscribitur, qui labe infectus Eutychis, quoniam Chalcedonensem Synodum minimè licebat apertè respuere, duplicem in Christo Naturam, integram, perfectamque definientem, cuniculis occultis, errorem jam extinctum paulatim inducturus, unicam, pietatis prætextu, voluntatem, & operationem sacrilegè in Christo commentus est. Hujusmodi hæreticam sententiam Anastasius Syrorum Patriarcha Vir callidissimus, eademque pice infectus suadere Imperatori Eraclio nititur, sub spe Patriarchatus Antiocheni, dummodo Chalcedonensi adhæreret, ad partes Catholicorum trahere ipsum laboranti. Fraude hac deceptus Imperator hæresim incautè sorbuit, sperans fore, sectas omnes uno Religionis vinculo, ac Fidei confessione copulatum iri, apud Baron. ad An. Christi 628. Proin-

de Sergium Constantinopolitanum Patriarcham, Cyrumque Phasis Episcopum, utrumque erroris patronum, conspirantesque in hujusmodi sententiam inventos, nedum sequitur oscitanter, verùm, orta inter Sophronium Jerosolymitanum, & Cyrum Alexandrinum Antistitem hac de re controversia, Judicis Fidei munus assumit, Ectesimque, seù Constitutionem de Fide evulgat, in qua sub specie Nestorianos, atque Eutychianos, cæterosque Hæreticos in ordine retinendi, reipsa tamen animo hæresim, ut experientia compertum est, inducendi, vetabatur, ne vox unius, vel duplicis in Christo voluntatis diceretur.

219. Hujusmodi Ectesim, nedum Sergius Constantinopolitanus Antistes, coacta Synodo, & Cyrus Alexandrinus Patriarcha, verum etiam Honorius Romanus Pontifex hac de re à Sergio versutè consultus, pravèque deceptus approbavit, putans exurgentes Nestorianismi, atque Eutychianismi favillas extinguere, etsi à Sophronio Jerosolymitano Patriarcha invicto Fidei pugile fraudis in herba latentis fuisset admonitus.

220. Huic similem edidit Fidei professionem Imperator Constans hæresis Eraclii non minùs, quam Imperii hæres infelicissimus, quam sub nomine Typi, nedum Constantinopoli, sed etiam Romæ à Pontifice recipi, ac promulgari contendit.

221. Nec hæresi renascenti fomenta defuere. Cyrus Phasidis Antistes eadem labe inquinatus Ecclesiæ Throno Alexandrinæ insignitus errorem hunc sub ambiguo verborum involucro confirmandum curavit, an Christi 633. editis 9. Can. Act. 13. Sextæ Synodi relatis, in quorum postremo subdolè continebatur. Hunc

ipsum

ipsum veluti omnium Hæreticorum Conciliatorium à Cyro transmissum avidè Sergius suscepit Regiæ Urbis Patriarcha, Fidei puritate, nequaquam melior, nec minori æstuans cupiditate placendi Augusto.

222. Discrimen Fidei Orthodoxæ Sophronius optimè perspexerat, Monachus doctrina, sanctitateque celeberrimus. Sergium idcircò, quem Orthodoxum adhuc putabat, nedum literis admonuit, sed ipsemet oretenus eidem, dolus Hæreticorum, ac venenum in æquivoca illa Fidei confessione, quam Cyrus astutè contexuerat, latitans, detexit. Sergius verò se simulans Orthodoxum nihil periculi, ait, imminere, dum Chalcedonensis doctrina integra servaretur, earum silentio vocum auferri solummodo Nestorianis, & Eutychianis fomenta novarum seditionum: Fidelibus autem abundè sufficere, quod Sacra Concilia circumspectè adeò definiverant.

223. Hac simulatione Sergius astutissimè nedum Sophronium fefellit, sed ipsummet Romanum Pontificem Honorium, cui, datis literis, eâdem idipsum fraude persuasit, ne hujusmodi vocum obtentu nova Ecclesiæ turbatio ab Hæreticis induceretur. Hoc fuco deceptus Pontifex, quidquid petebatur à Sergio, indulsit, ac utriusque vocis unius, vel duplicis in Christo voluntatis, & operationis silentium imperavit.

224. Cyrus tamen Papæ præfati abusus facilitate, dogma unius voluntatis, & operationis in Diœcesi sua Patriarchali fædifragè disseminandum satègit. Quo audito, Sophronius Jerosolymitanam nuper sedem adeptus, incensus zelo Domus Dei periclitantis, Episcoporum Diœcesis suæ Synodo collecta, dogma ne-

fandum solemni censurá damnavit, ejusque notitiám ad omnes Patriarchas solicitè transmisit, quæ extat act. 11. Syn. VI. eruditissima simul, atque robustissima, Romanumque Pontificem perfidiæ Hæreticorum, misso Stephano Dorensi Episcopo, certiorem fecit.

225. Interea verò Sergius, Honorio è vivis, juxta Anastasium, quarto Idus Octobris anno 638. sublato, dogma Monotheliticum audacter Populo proponebat, Augustumque impellit, ut Ecthesim suam Edicto firmaret; quodquidem effectum est anno Christi 640.; Exarcoque Imperiali Ravennati mandatum, ut illud quoque Romæ publicum fieri satageret, atque à Pontifice recipi. Severinus tamen eo tempore locum tenens Petri Ecthesim illam, etsi Cæsareo munitam Edicto, constantissimè respuit, veluti Fidei Orthodoxæ inimicam, quam Sergius, & Cyrus Synodicè collecti amplexi fuerant, eamque, ut Eraclio morem gererent, à Patribus confirmandam curaverant, ex Rom. Concil. sub Martino Secret. 3.

226. Ecthesim hanc Joannes quoque IV. Severini Successor, collecta Episcoporum Synodo, An. 646. proscripsit, hæresimque Monothelitarum anathemate percussit, Theophane in suis Annal. referente: quam quidem Africani Præsules execrationibus, atque censuris an. 64 . in Synodo Bizacena fuerant insectari, D. Maximo Abbate præ cæteris hortante, atque suadente, qui Pyrrhum Monachum è Cathedra Constantinopolitana deturbatum, exulemque in Africa pravis opinionibus imbutum in disputatione convicerat, eidemque pœnitenti à Theodoro Papa, cum Romam accessisset, veniam, Thronumque impetraverat Civitatis Imperialis, ex Anastasio in Theodoro.

227. Cum

227. Cum verò Christi anno 648. extincto Sergio, Pyrrhus præfatus Regiæ Urbis, alii autem Monothelitæ præcipuas Orientis Cathedras occupassent, Eraclii defuncti Constans non minùs hæresis, quam Regni Successor, de ipsa propaganda statim cogitavit. Ecthesim suam, quam Typum appellavit, edidit, in qua silentium unius vel duplicis in Christo voluntatis mandabatur exactè servari: Monothelitis interim unam absolutè voluntatem impunè prædicantibus, anno Christi 649., ex literis Sergii Cypri Metropolitæ, Clerique Jerosolym. ad Theodorum Papam.

228. Typum hunc Martinus I., qui Constantinopoli Apocrisarius Theodori fuerat, effectus Pontifex, cum sua Lateranensi Synodo, nedum minimè recepit, verum etiam hæresim Monotheliticam, in eo contentam, cum Authoribus, & Assertoribus suis anathemate percussit, veluti hæreticam, Fidemque Orthodoxam 20. Canonibus exposuit: quam quidem Synodum anno Christi 649. pridie Kalendas Novembris complevit, die 5. Octobris inceptam. Hæc autem animi fortitudo Sanctissimo Pontifici exilium, ac mortem peperit, in Chersonesum relegato, ærumnisque confecto, an. Christi 654. die 16. Septembris, ubi Discipulus ejus Anastasius die 24. Julii obierat, calamitatibus interemptus.

229. Orthodoxæ Religioni apud Orientales fatiscenti Christus adjutor occurrit: nam, occiso in Sicilia Constanti Filius Constantinus Pogonatus, auspice Deo, successit, puritate Fidei, & Religionis zelo clarissimus, qui dissidia Ecclesiæ compositurus Oecumenicam Synodum à Romano Pontifice postulavit, quæ Constantinopoli in Palatio Imperiali, Legatis

Apostolicis ab Agathone Papa missis eidem præsidentibus, anno Christi 680. die 5. Novembris inchoata, anno verò 681. die 18. Septembris completa est, Episcopis centum circiter septuaginta eamdem decorantibus. Ibi error Monotheliticus proscriptus, Ecclesiæ verò Doctrina de duplici in Christo voluntate, atque operatione stabilita: opposita sentientes, ut Hæretici fuere damnati. Hanc Synodum moderni Monothelitæ magnopere execrantur, eam nec legitimam, nec Oecumenicam criminantes. Videndum, an ratione ulla nitantur?

SECTIO PRIMA

Synodus VI. est dicenda nedum legitima, sed Oecumenica.

230. EAm fuisse legitimam, patet I. Quia legitima Potestas convocavit, nempe Ecclesiastica Romani Pontificis, cujus consensu, & authoritate à Constantino Pogonato Augusto collecta est, ipsámet VI. Synodo testante in serm. Prosphon. & Epist. ejusdem Augusti ad Donum Rom. Pontif., & Georgium Constantinopol. Episcop.: nec authoritate præcisa Augusti Patriarchæ Alexandrinus, & Jerosolymitanus per suos Apocrisarios accedere poterant, cum eo tempore Urbes illæ Saracenorum subderentur imperio.

231. II. Potestas Ecclesiastica Synodo præsedit: Legati enim Apostolici ab Agathone, Romano Pontifice missi, & honorificentissimè excepti, primum locum, etiam ante omnes Patriarchas, in Synodo obtinent. Primo quoque in loquendo fruuntur, Act. 1. Primi etiam Synodo subscribunt, Act. 18.

232. III.

232. III. Cum hæresis causa sit mere Ecclesiastica, soli Episcopi Doctrinam Monothelitarum discusserunt, soli dogma definierunt, soli adversus Macharium Atiochenum Patriarcham, & cæteros Monothelitas excommunicationis, ac depositionis sententiam protulerunt, Imperatore post omnes Episcopos, & Patres subscribente, non tamen sententiam ferente, uti fecerant Episcopi. Hinc ipse Act.18. à Patribus flagitavit: *Si cum consensu omnium Venerabilium Episcoporum promulgata est definitio?* Ipsi verò exclamarunt: *Omnes ita credimus*; omnes ergò Episcopi Synodi illius in Fidei, & Ecclesiæ negotiis peragendis, authoritate potiti sunt, eamque Imperator agnovit; ergò quantum ad hoc nullâ Synodus labe inficitur.

233. IV. Doctrina Monothelitarum diligentissimum subiit examen. Nam Act.1. Ephesinum I. Act.2., Chalcedonense cum Epistola S. Leonis ad Flavianum, Act.3.V. Synodus perpensa est, an quidquam contineret Monothelitis propitium, Act.4. Literæ Agathonis Papæ, Synodique Romanæ Divinis Scripturis, Patrumque sententiis locupletissimæ, quibus dogma Monotheliticum funditùs evertitur, lectæ fuerunt, Georgio Constantinopolitano Patriarcha suggerente. Act.8. adductæ sunt plures Patrum authoritates, Athanas., Nissen., Cyril. Alexand., Ambros., Chrysost., Leonis Magn., Epiphan. & Aliorum. Act. 11. Epistola Magni Sophronii Jerosolymitani Antistitis. Act. 12. Epistola Magni Leonis ad Flavian., qua veluti regula Fidei Chalcedonense usum est, in medium prodiit, aliique Patres adducti, ac maturè perpensi, quibus error Monotheliticus à fundamentis evertitur; ergò ad examen Doctrinæ nihil omisit VI. Synodus, quo veritas elucerect.

234. V. Monothelitæ plenissimè fuerunt auditi. Hinc, ipsis instantibus, Ephesina I. Synodus lecta est. Cum verò ipsi in verbis Epistolæ Cyrilli Alexandrini ad Theodosium vim facerent dicentibus: *Christus Jesus per quem Reges regnant &c. Est ejus enim omnipotens voluntas &c.* Legati Apostolici, aliique Episcopi ostenderunt, ea verba ad voluntatem Christi, qua Deus est præcisè, non verò ad ipsum, quatenus utramque complectitur naturam, referri; nec habuere Hæretici, quid huic reponerent animadversioni: Acta Chalcedonensia, præcipuè Tomus S. Leonis Magni, Act. 2. recitata nocebant Adversariis, non favebant. Tres Codices Act. 5., & 6 producti, atque cum Autographis collati, Act. 7. examinati, ac corrupti, & truncati inventi fuere, simul cum aliis Patribus, & præsertim Athanas. Serm. 2. adversus Apollin. Nazianz. lib. 2. de Filio Dei, & Cyril. Alex. Serm. 12. de interpret. Evang., vel pravè intellecti, itaut, etiam stante corruptione, adversus Hæreticos militarent. Ipsi verò Sectarii Act. 10., loco Sanctorum Patrum pro sustinenda opinione sua, Hæreticos adduxerunt, Themistium, Antimum, Severum, Paulum, Theodorum, & Alios exploratos, atque infames Sectarios. Act. 12. lectæ quoque fuere Epistolæ Sergii Constantinopolitani Patriarchæ ad Honorium Romanum Pontificem, & ejusdem ad Sergium præfatum. Act. 13. Policronius Monachus, qui mortuum jactabat posse suscitare in confirmationem doctrinæ suæ, nedum auditus, sed ad experimentum miraculi admissus fuit, quod numquam patrare potuit. Act. 16. auditus quoque fuit insigni benignitate Constantinus Apameæ Presbyter Sanctam Synodum veritatem temeritate incredibili docere,

pro-

professus, ejusque acta discussa. Ex quibus omnibus constat, quanta diligentia, æquitateque in veritate indaganda Sancta hæc Synodus processerit, & quam exactè Leges legitimæ Synodi servaverit; ergò legitima fuit Synodus.

235. Hanc quoque Synodum Oecumenicam fuisse I. docet finis, nempe ut Fidei veritas de duplici in Christo voluntate, & operatione, quas Monothelitæ impetebant, dogma stabiliretur: causæ autem Fidei universales sunt, & ad omnes extenduntur; hinc sæcularis Potestatis tutelam exquirunt, juxta Nicolaum Primum Epist. ad Michaelem. II. ratione convocationis: nam omnes Orientales Episcopi fuere mediatè, vel immediatè vocati per Divales Imperatoris Constantini Pogonati ad Georgium Constantinopolitanum Patriarcham directas, cui imponebatur, nedum Antistites omnes sibi subjectos, verum etiam Macharium Antiochenum Præsulem, ejusque Suffraganeos ad Synodum vocare; cæteros verò respectivè accersere.

236. Quantum autem ad Patriarchas Alexandrinum, & Jerosolymitanum, non Augusti imperio, cui sub ditione Infidelium degentes minimè subdebantur, sed immediato Romani Pontificis mandato venire jussi sunt. Quatuor igitur Orientis Patriarchis ad Synodum accitis, omnes Episcopi saltem mediatè vocati fuere. Occidentales verò pauci quidem accesserunt, nempe Legati Apostolici cum aliis nonnullis: omnes tamen consensu, quem per Legatos præfatos miserunt, adeoque virtute fuere convocati, & accesserunt voluntate, Synodo ab Agathone præmissa, centum, & octoginta Præsulibus conflata.

237. Tandem omnes quinque Patriarchæ

Syno-

Synodum hanc decorarunt, duo quidem physicâ præsentiâ, nempe Constantinopolitanus, & Antiochenus; tres verò alii per Legatos, nempe Romanus, Alexandrinus, & Jerosolymitanus, ut ex Actis apparet: quorum defectu Quini-VI. Synodus, & ea, quæ sub Photio celebrata est, numquam Oecumenicæ titulum obtinere potuerunt.

238. Cum ergò VI. hæc Synodus omnes conditiones habeat Oecumenici, & legitimi Concilii, ut hactenus ostensum est, & confirmationis quoque ipsi robur Ecclesiastica suprema authoritas adjecerit, nempe Leo II. Romanus Pontifex Epist. ad Constantinum Augustum, imò ipsemet Agatho, qui eamdem coegit, ex Anastas. in collect. Lect., concludendum est, hanc VI. Synodum inter legitima, & Oecumenica Concilia numerari oportere, uti eam Universalis Ecclesia, tam Orientalis, quam Occidentalis hucusque venerata est.

SECTIO SECUNDA

Solvuntur Adversariorum Argumenta.

239. OBji. I. Ad Synodum VI. non omnes Episcopi ex Universo Orbe vocati sunt: nam ex parte Orientalis Ecclesiæ solum illi fuere accersiti, quæ Romano subdebantur Imperio, satis tunc coarctato, non verò ii, qui jugo Infidelium subdebantur, & sub Patriarchis Alexandrino, & Jerosolymitano degebant, quos certè Imperator compellere nequaquam poterat: ex parte verò Orientalium, præter Legatos Apostolicos, pauci alii advenerant: Synodus verò Occidentalium, quæ per consensum Orientali adhærere debebat, Septemtrionali-

bus remotissimis videtur caruisse; ergò Synodus VI. non fuit Oecumenica, sed Patriarchalis potiùs, & Nationalis.

240. Resp. neg. ant., ad cujus prob. dico, quantum ad Episcopos Orientales, Patriarchis Constantinopolitano, & Antiocheno subjectos fuisse omnes vocatos, imperio Patriarcharum mediante; Alexandrinum verò, & Jerosolymitanum de mandato Pontificis invitatos, ut saltem per Legatos accederent. Occidentales verò ad Synodum Romanam ab Agathone collectam, plerique per semetipsos venerunt, & quidem Natione diversi, ut ex subscriptionibus constat: ex Septemtrionalibus autem, quia remotissimis, nonnulli venerunt, aliorum legatione fungentes, ut Felix Arelatensis, Adeodatus Leucensis Episcopus, & Taurinus Diaconus Lugdunensis, ex Act. ipsiusmet Synod. Rom.: totius verò Ecclesiæ Anglicanæ locum tenuit Sanctus Walfridus Eboracensis Archiepiscopus, tunc Romæ commorans, à Theodoro Dorovernensi Archiepiscopo, qui Synodum in Anglia adversus Monothelitas celebraverat, vices suas eidem committente, apud Bedam lib. 4. cap. 17. Cæterum falsum est, ad Synodum Oecumenicam Occidentales non fuisse vocatos, si accedere voluissent, uti ex ipsamet Synodi Romanæ ad Imperat. Epist. constat.

241. Obji. II. Synodus hæc à legitima Potestate non fuit collecta, sed ab Imperatore, ut patet ex ejusdem Divali ad Georgium Constantinopolitanum Antistitem, cui præcipit, ut Episcopos Orientales convocet. Idipsum facit cum Romano Episcopo, quem rogat quidem, ut Legatos mittat, non tamen ab eo petit consensum, imò verè imperasse, videtur fateri Agatho, cum dicit, se ex mandatis Au-

gusti

gusti Legatos misisse, ejusque clementiam commendat, qui, cum jubere potuisset, hortationis verbis cum eo usus est, Christi humilitatem imitatus, ex ejus lit. ad Imperat., & ipsamet Synodus Act. 1. fatetur, se Augusti authoritate congregatam; ergò est illegitima Synodus.

242. Resp. neg. ant., Imperator enim potestatem Synodi convocandæ à Romano Pontifice postulavit, misso Epiphanio ejusdem Augusti à secretis, teste Anastasio Bibliothecario in Lib. Pontif.: dum verò in Epist. ad Donum Papam Legatos postulat, qui cum sufficienti authoritate Synodo præsiderent, invitando, & hortando, non autem compellendo, satis indicat ab eo petitam facultatem Synodum convocandi, veluti Supremo Pastorum Pastori, uti eum ipsemet Constantinus Augustus Epist. ad Synod. Roman. appellat.

243. Nec officit, ab Agathone asseri; Legatos ab ipso ex Augusti missos imperio: istæ enim phrases, quas etiam Cives inter se humano, ac civili modo agentes adhibere solent, à Romano Pontifice, qui utpote Christi Vicarius humilitatem spirare debet, non fastum sæculi, cum potentissimo Imperatore impendi oportebat, ne animum ejusdem nimia Potestatis ostentatione à protectione averteret Ecclesiæ: cæterum Agatho dum ait, se liberrimè, ac libenter annuere Synodo, Legatosque mittere, atque Imperatorem vocat amatissimum Filium, Ecclesiæque Romanæ Protectorem nuncupatur, satis Ecclesiæ supremam ostendit authoritatem.

244. Obji. III. Potestas sæcularis huic Synodo supremâ præsedit authoritate; ergò non est legitima Synodus. Conseq. patet: Synodo

enim

enim Oecumenicæ non Augustus, sed Petrus præsidere debet, Christi Vices gerens, ex Synodo VII. Act.6., & Leon. Mag. Epist.26. Ant. autem patet: nam: Act.7. dicitur: *Præsidente eodem piissimo, & Christo dilecto Impetatore Constantino in Secretario Sacri Palatii, quod cognominatur Trullus, & ex jussione ejusdem.* Deinde in omnibus Actionibus Synodi hujusmodi Præsidentia apparet: Act.1. Legati Apostolici rogant Imperatorem, ut Patriarchas Constantinopolitanum, & Antiochenum compellat aperire, undè novitates emerserint, & quibus nixæ fundamentis; ipse verò iisdem præscribit, ut satisfaciant. Act.2. jubet, à Machario Antiocheno Patriarcha mentem suam aperiri, ac relegi alium Librum Acta Chalcedonensia continentem. Act.3. imperat, Acta Synodi V. percurri: cum verò in probatione Monothelitæ defecissent, præcipit, alia monumenta proferri. Act.4. mandat indulgeri precibus Georgii Constantinopolitani Antistitis, qui Actione 3. binas Agathonis Papæ, & Romani Concilii ad Imperatores Epistolas legi postulaverat. Act.5. & 6. præscribitur, à Monothelitis alia Testimonia exhiberi, ac legi, & Codices exhibitos sigillari, ac deinde, rogantibus Apostolicæ Sedis Legatis, cum originalibus Patriarchis conferri. Act.7. jubentur iidem Testimonia proferre, duplicem voluntatem in Christo asserentia. Eadem Actione rogatur Imperaror, ut jubeat, nomen Vitaliani Papæ in Dypticis reponi, ab Hæreticis deletum, quod utique factum est. Act.9. Imperator mandat conferri cum Autographo Librum à Machario, ceterisque Monothelitis oblatum, multaque alia similia in Actis leguntur; ergò Imperialis Potestas, non verò Pontificalis præsidentiam supremam in Synodo hac exercuit;

cuit;

cuit; ergò illegitima est, & prophana Synodus.

245. Resp. neg. ant. ad cujus probat. nego conseq. Omnia enim, quæ in Argumento recensentur, non veram præsidentiam, sed patrocinium solummodo arguunt sæcularis Potestatis: cum enim Hæretici supremam Petri authoritatem minimè agnoscerent, nec Synodi potestatem formidarent, ac proinde seditionibus, tumultibusque excitandis magnoperè propenderent, ad eos in Officio continendos opus fuit Imperiali terrore, cui etiam inviti obtemperarent. Hoc autem ex eo perspicuè constat, quod Imperator nedum post Legatos Apostolicos, & Patriarchas, sed Episcopos, non definiendo, sed consentiendo, subscripserit, Patres verò Synodi sententiam Fidei, & damnationis in Hæreticos tulerint. Confirmatio verò actorum, quam ab Augusto Patres flagitant, non est illa juridica, quæ Fideles ad credendum cogit: hanc enim Romanus Pontifex Agatho, & Leo II. præbuerunt, sed executiva, qua contumaces ad obsequendum compelluntur, ut in cæteris Conciliis actum est; & hoc quidem in ipsamet Synodo patuit: cum enim Act. 12. rogasset Augustus, ut erga Macharium damnatum misericordiam Patres exercerent, ipsi liberè negarunt, cum Viro indigno fieri posse: Augustus autem repulsæ aquievit, authoritatem suam læsam minimè conquestus.

246. Obji. IV. Sexta Synodus irregulariter, nec Juris ordine servato, in Macharii Antiocheni, & cæterorum Monothelitarum damnatione processit; ergo est illegitima. Conseq. patet. Prob. ant.: nam Macharius Act. 8. veluti Hæreticus fuit damnatus, & pallio Patriarchali spoliatus, cum tamen Fidei examen, quod subsequentibus Actionibus completum est, nondum

dum perfectionem attigisset, & definitio Articuli controversi Act. solummodo 17. prodiit: hoc autem injustum videtur, & irregulare; cum nemo Hæreticus censeatur, qui doctrinæ renuit assentiri minimè adhuc ab Ecclesia decisæ, etsi in se veræ, ac de Fide; alioquin Theologi Hæresis censuram mererentur, nonnulla tenentes, quæ adhuc ab Ecclesia minimè, ut hæretica fuere declarata, & nihilominus ab Aliis uti talia existimantur: in Christo autem duplicem contineri voluntatem, atque operationem, nondum in Synodo Generali Ecclesia declaraverat: Synodus autem Lateranensis sub Martino I., qua opinio hujusmodi fuit proscripta, Latinorum, non autem totius Ecclesiæ Conventus appellanda est; ergò irregulariter Macharium veluti Hæreticum ante ultimam decisionem VI. Synodus damnavit; eo magis quia Synodum Chalcedonensem, & Tomum Sancti Leonis Macharius recipiebat.

247. Ob eamdem rationem reprehensione digna videtur Sexta Synodus, quæ Sergium, Cyrum, Pyrrhum, Theodorumque Pharanitam, ut Hæreticos damnavit, qui ante ejusdem celebrationem obierant in Ecclesiæ pace, cum, ipsis viventibus, lis esset adhuc indecisa: ut autem veluti Hæretici proscriberentur, debuisset in Synodo constare juridicè, eos dum viverent, hæresi adhæsisse, quod tamen falsum est: certè enim ex mutuis Epistolis inter Sergium, & Honorium Romanum Pontificem, & Sergii ad Cyrum, minimè liquet; ergò irregulariter processit VI. Synodus.

248. Resp. neg. ant., ad cujus probat. neg. min.: quamvis enim tunc Sacri Concilii definitio minimè adhuc prodiisset, animum tamen in errore pertinacem ostendit Macharius, ejusdem-

demque Asseclæ jactantes insolentissimè, doctrinam antiquam Ecclesiæ Catholicæ tradere, ac sustinere, unicam in Christo voluntatem, & operationem propugnando, quod tamen implere nequaquam poterant, nec potuerunt, alioquin nec Sophronius reclamasset, nec Joannes IV. Ectesim Eraclii damnasset, nec Theodorus Papa Pyrrhum Regiæ Urbis Antistitem proscripsisset, nec Lateranensis Synodus sub Martino I. Monothelitas hæreticos declarasset: tumquia Macharius, ejusque Sectatores, nedum Patrum sententias, sed Synodum V. falsarunt, ut apertè Act. 3. coram Universa Synodo, & Augusto fuere convicti: tumquia Synodus VI. Act 8., priusquam Macharius, & Monothelitæ damnarentur, Agathoni Papæ controversiam in literis ad Augustum, & Synodum datis definienti, consensum præbuerat, adeoque Ecclesiæ Universæ cum Capite suo conjunctio apertè constabat, etsi non adhuc solemniter declarata; ergò potuit optimè Macharius suis cum Discipulis Hæreticus declarari, Apostolicæ Sedis, quam Synodus sequebatur, sententiæ nolens aquiescere. Tumquia animum præbebat obstinatissimum definitiones quoque Synodi respuendi, adeoque in hæresi obfirmatum: interrogatus enim à Synodo, & Imperatore, an duas voluntates, & operationes in Christo confiteretur? Audacissimè respondit: *Non dico duas naturales voluntates, aut duas operationes naturales in Incarnationis dispensatione D. N. J. Christi, nec si membratim incidar, & mittar in mare.* Eadem igitur dispositio animi in sensu suo persistentis, quocumque Ecclesiæ Decreto non obstante, in eo vigebat Act. 8., quæ perseveravit etiam Synodo completa: sed post Synodum justè fuit ob eamdem pertinaciam habi-

habitus ut Hæreticus; ergò etiam ante; cum eadem esset animi obduratio ipsius, & Assecl[illegible]rum ejus; ergò justè damnatus etiam ante Synodi solemnem de Fide sententiam.

249. Nec refert, examen causæ, damnato Machario, Actionibus sequentibus fuisse absolutum. Id enim factum est, ut Rei crimen suum agnoscerent, & Ecclesiæ reconciliarentur, juxta Patrum, & Augusti ipsius desiderium: ut Fides Catholica melius declararetur: Hæretici ad meliorem frugem redirent: Catholici solidarentur, omnibus sectariorum objectionibus plenissimè dissipatis.

250. Eadem ratione justissimè Sergius, Cyrus, Theodorus Pharanita, Aliique Monothelitæ defuncti fuere proscripti: quamvis enim errorem suum ante Lateranense Concilium, & hanc VI. Synodum, in quibus Patres eum respectivè ut Hæreticum declarant, conceperint, ac publicè fuerint professi; illa tamen sententia communi sensu Fidelium hæresis censebatur, ac propterea contra illam Sophronius Jerosolymitanus Episcopus validè insurrexit, Romani Pontifices Ecthesim Eraclii, ac Typum Constantis, in quibus error iste continebatur damnarunt, Epistolisque gravissimis Episcopos Orientales, præcipuè Constantinopolitanos monuerunt, & renuentes obtemperare censuris mulctarunt, ut de Pyrrho à Theodoro, & Paulo à Martino I. excommunicatis notum est.

251. Quod verò Sergius, etsi præcipuus Monothelita, sacris vinculis minimè legatur innodatus, id accidit, quia ovina se pelle induens hæresim suam ita scitè cælavit, ut nedum Honorium Pontificem, in cujus opinione Sancti, Doctique Præsulis famam compara-

rave-

faverat, deceperit, verum etiam oculatissimi Sophronii perspicaciam fugerit, ac vigilantiam astutè deluserit, Synodi Chalcedonensis veneratione ostentata.

252. Porrò ignorantiam in sui excusationem adducere nequeunt Monothelitæ, cum erroris fuerint admoniti, nempè à Romanis Pontificibus, teste Agathone Epist. ad Imperat. Act. 4. Sergius, & Cyrus à D. Sophronio, Pyrrhus à D. Maximo, qui eum publica disputatione convicit, Paulus Patriarcha, nedum à Legatis Apostolicis, sed ab ipsomet Theodoro Papa charitativis literis correctus. Et profectò corruptio plurium Scriptorum sibi minimè faventium, & Synodi V., cujus Act. 16. convicti apparent, satis ostendit, eos non tantum errore intellectus, sed voluntatis pravitate peccasse, fuisseque in hæresi pertinaces, adeoque justissimè uti Hæretici fuere damnati.

253. Obji. Ult. VI. Synodus Honorium Romanum Pontificem ob Epistolas ad Sergium Patriarcham Constantinopolitanum scriptas erroris Monothelitici labe inspersit, eique anathematis, etsi defuncto, vulnus inflixit Act. 13. & 17. : hoc autem iniquissimè factum est. Aut enim revera Honorius cum Monothelitis sensit, aut non? Si primum dicatur: non debuere Monothelitæ damnari, doctrinam Romani Pontificis secuti, qui censetur in Catholica Ecclesia infallibilis Fidei Magister, & regula, si ex Cathedra loquitur, uti locutus videtur in literis præfatis ad Sergium: & hoc pacto Macharius se ab hæresi excusabat Act. 1. Si verò dicatur secundum, VI. Synodus iniquissimè se gessit, primæ Sedis Antistitem, & supremum Ecclesiæ Pastorem hæresis accusans, ac fulmine Anathematis ausu temerario percutiens.

254. Resp.

254. Resp. Maj. esse incertissimam, cum Baronius, & Alii multi cum ipso firmissimè teneant validis innixi argumentis, VI. Synodi Acta, quibus hujusmodi error asseritur, fuisse falsata, cum inauditum in Ecclesia Dei sit, Petri Successorem hæresim ex Cathedra docuisse, aut ab inferioribus fuisse censura juridica mulctatum, & propterea Dioscorus à Chalcedonensi ob idem scelus terribilem adeo subjit damnationem; sibique VI. Synodus apertè contradixisset, dum Sedem Apostolicam magnificis adeo laudibus commendans ait, ipsam in Fide Petri fundatam, numquam desituram; & Epistolam approbat Agathonis asserentis, numquam Prædecessores suos in errorem adversùs Fidei veritatem incidisse: aliaque scatent falsificationis argumenta, quæ præfati Authores multis quoque conjecturis robustè confirmant, & propterea censent, etiam Acta subsequentium Conciliorum, & Epistolam Sancti Leonis II. idem redolentem eadem labe corruptionis laborare.

255. Min. quoque falsissima est: etsi enim Honorius minimè quoad sententiam erraverit, ubi liquidissimè ex ejus literis apparet, in quibus perspicuè doctrina Ecclesiæ de duplici in Christo voluntate, & operatione asseritur: adhuc tamen absque ulla iniquitate potuit à VI. Synodo damnari defunctus. Vel quia revera ipsa in facto ex Bellar. decepta est, literarum ejusdem ad Sergium sensu haud benè intellecto, quod nequaquàm Oecumenicæ Synodo repugnat, minimè adhuc à Sede Apostolica confirmatæ, quam confirmationem, quantum ad hujusmodi factum, sivè ab Agathone, sivè à Leone II., sivè à Successoribus numquam legitur impetrasse. Vel quia, tametsi Hono-

rius reipsa non erraverit, adhuc tamen nimium politicè se gerendo, neque hæreticum Patriarcham apertè reprehendendo, ansam præbuerit eidem in errore manendi, uti eum Leo II. ad Episcop. Hispan. reprehendit: *Flammam hæretici dogmatis non, ut decuit Apostolicam authoritatem, incipientem extinxit, sed negligendo confovit.* Quo sensu tantummodo à posterioribus quoque Conciliis ea damnatio confirmata est. Porrò in causa hæresis, etiam Romanum Pontificem Oecumenicæ Synodi subire judicium posse, dixit Adrianus II.: at non dicit, Hæreticum fieri posse, aut Honorium talem extitisse, sed solummodo accusatum: vel si judicatum, id contigisse Apostolica Sede facultatem concedente, quod sanè ad rem non facit.

CAPUT IX.

An Synodus Octava Oecumenica, & Sancta fuerit Synodus?

256. Synodo huic celeberrimæ congregandæ Photius motivum præbuit, Vir ingenio, doctrina, generis claritate, rerum politicarum administratione, officioque Protospatharii clarissimus: at è contra vitiis quoque animi pariter insignis; ambitione nimirum profundissima, quia nedum prophanis, verum etiam sacris, & quidem supremis honoribus inhiabat: calliditate, atque vafritie penitus infernali, dolis, ac fraudibus agere omnia consuetus; cujus insidias omninò punicas effugere vix cautissimi valerent: immani sævitie adversus eos, quos obsequi sibi nequaquam videret, quos omni convitiorum, atque pœnarum genere vexare ad internicionem usque con-

consueverat ; animo turbulentissimo, pacisque, atque tranquillitatis impatiente; ad omnia quidem delicta promptissimo: at pigmento Religionis, vultuque pacato procellas, quas mente revolvebat, operiente.

257. Cum enim, defuncto Methodio Regiæ Urbis Antistite, doctrinaque, ac sanctimonia illustri, qui sacros Icones sub Theophilo Imperatore, eorumdem hoste acerbissimo, robustè propugnaverat, atque ob id exilio mulctatus, plagisque, & vulneribus affectus dura sustinuerat, Ignatius insulas Regiæ Urbis, Augusta Theodora, Filioque Michaele vocantibus, ipsisque Divinis Oraculis impellentibus, ac Populi universo cætu plaudente, comparasset, Vir natalium splendore, utpote Michaelis Curopolatæ Augusti Filius, ac Nepos Nicephori pariter Augusti, doctrinâ, quam in Monasterio aquisierat, præstanti, morumque integritate, atque sanctimonia insignis, quæ pariter dotes eum ad ipsiusmet Monasterii præfecturam evexerant, initium præbuit Catastrophi funestissimæ.

258. Hujusmodi quippè electio nonnullis iniquitatis Filiis cepit displicere: hanc enim in ipsomet exordio Gregorius Arbesta Syracusanus Antistes, ob crimina sua olim à Benedicto III. mulctatus, ut illegitimam carpebat invidiæ livore adustus. Progressu temporis adversus eam Bardas quoque Imperatoris Michaelis ex sorore Avunculus, eoquia notam ejus libidinem cum Nuru sua incestè concumbentis Ignatius argueret, ac propterea die solemni Epiphaniæ Sacram Communionem denegasset publicè petenti, utpotè manifesto peccatori, amaro contra eumdem animo cepit incedere.

 259. De-

259. Demum Imperator ipse Patriarcham, quod Theodoram Matrem, ac Theclam Sororem, invisas sibi, atque molestas, in sanctimoniales sacrare solemni Ritu noluisset, odio haud mediocri prosequebatur, veluti publicæ infestum tranquillitati, ac propterea fervescens iracundia è Throno Patriarchali dejecit: Sororem verò, Matremque relegavit in Asceterium, ex Anast. Bibliot. in Præfat. VIII. Synodi.

260. Interim expulso Ignatio, atque custodiæ, ut ibidem vi tormentorum abdicationem Patriarchatus impetrarent, mancipato, quam tamen, etsi sævissimè à Custodibus carceris adversus eum ageretur, impetrare numquam potuerunt, in Templo Dei abominatio desolationis visa est à stantibus in Loco Sancto. Photius enim, Nicetâ, Curopalatâ, Aliisque referentibus Græcis Historicis, ex Laico, atque curiali Homine, repente Patriarcha emersit. Prima enim die juxta stylum Ecclesiæ Orientalis Monachus, II. Anagnostes, III. Hippodiaconus, IV. Diaconus, V. Presbyter, VI. tandem Regiæ Urbis Antistes creatus est, ac die vigesima quinta Decembris anni Christi 857. Nativitate Christi sacratâ pacem Populo annuntiavit, qui nihil pacificum in Ecclesia Dei cogitabat.

261. Adeptam crimine Dignitatem Photius authoritate Apostolica munire sategit, missa ad finem hunc ab ipso, sicuti etiam ab Imperatore splendidissima Legatione. Sedebat tunc in Petri Throno Nicolaus I. celsitudine animi, Sacerdotali constantia, zeloque justitiæ, ac Fidei Orthodoxæ, prudentiaque, ac perspicacia insigni præstantissimus Pontifex, qui Nuntios quidem audivit, ac literas perpendit, quibus à Photio dicebatur, Patriar-

triarcham Ignatium annorum pondere pressum, morbisque gravatum ultro cessisse Dignitati, se verò, tametsi reluctantem, oneri succumbere debuisse. Rogari autem enixè Pontificem, ut collatam ultro Dignitatem Apostolica authoritate ratam habere dignaretur, ac mittere Apostolicos Legatos, qui coacta Synodo, Iconoclastiam denuò resurgentem extinguerent, electionem verò suam ad Regiæ Urbis Cathedram D. Petri calculo solidarent. Attamen judicium suspendit: Legatos direxit Rodoaldum Portuensem, ac Zachariam Anagninum Episcopos, qui causam Ignatii, Photiique examini quidem subjicerent, nihil tamen deciderent, sed solummodo ad se visa referrent, ac errorem Iconomachorum iterum damnatione configerent, datis ad Photium, & Augustum Epistolis, quibus electio ejusdem, utpote Laici, à Sacris Canonibus vetita, quousque Legati rediissent, suspendebatur, uti ejusdem Nicolai Epistolæ testantur, tom. 3. Concil. inter Acta VIII. Synodi.

262. Missi reipsa fuere Apostolici Legati, non tamen honorificenter excepti, neque, uti decebat, agniti, nec permissi fungi Legatione: ipsi verò, quà terroribus, quà lenociniis atriti Synodo calculum apposuere, in qua Ignatius quoque accitus trecentorum circiter decem, & octo Patrum suffragiis, innocens, & impollutus, imaginariis criminibus eidem impositis, Patriarchatu spoliatur, omnibus adversus eum clamantibus: *Indignus, Indignus*.

263. Ne autem quidquam crudelitati deesset, Hominibus truculentis dilaniandus Ignatius traditur, quem carceri mancipatum, vinculis obrutum, inter marmora jactatum, atque suspensum, verberibus, hastisque contundunt,

 ac

ac manu ejusdem abrepta, damnationi suæ violenter subscribere compellunt, ac pejora subjisset, nisi ope divina subtractus agasonis latens indumento, peregrinationem diutinam suscepisset, innumeras passus calamitates; ingenti vero terræmotu Urbem concutiente, pavore salutari Deus ejusdem inimicorum malitiam aliquantisper cohibuisset. Ista omnia ex Niceta Paflagone desumpta sunt.

264. Interea Legati Apostolici cum Leone Imperiali Oratore Romam reduces cum Actis Synodi Constantinopolitanæ, etiam Epistolam Michaelis Augusti, Photiique deferunt, quibus rogabatur Pontifex, Decreta Constantinopolitana, Photiique electionem rata habere. At Pontifex, cognita fraude Legatorum, & iis, quæ iniquissime adversus Ignatium peracta fuerant, ex Teognosto Abbate, & Aliis, qui Constantinopoli aufugerant, persecutionem vitaturi, optimè perspectis; habitoque etiam Ignatii, quo à Synodo Constantinopopolitana ritè ad Sedem Apostolicam appellaverat, libello, veluti Elias Dei zelo incensus exarsit: coacto quippe pleno Patrum Occidentalium Senatu, Acta Constantinopolitana rescidit, adversus Rodoaldum absentem ultione dilata, Zachariam alterum ex Legatis convictum, ac planè confessum omni Sacerdotali munere nudavit, censuræque subjecit; Photium verò, & Gregorium Arbestam jussit sub Anathematis pœna Thronum occupatum illicò deserere, nec ullis se sacris inposterum miscere. Initiati verò à Photio gradu suo dispelluntur, atque Ignatius in locum pristinum restituitur.

265. His ex Leone Michaelis Oratore à Photio, Barda, Asseclisque ejusdem auditis, infre-

infremuere, maximè quia Rex Bulgarorum ad Fidem Orthodoxam è Paganismo conversus ultro se Romanæ Ecclesiæ subjecerat, atque ab ea, ut Regnum suum in sacris dirigeretur, Episcopos postulaverat, quod putabant Græci ad ditionem Urbis Regiæ Patriarchæ pertinere. Michael quidem contumeliosam misit ad Nicolaum Epistolam; cui alteram apud Baron. ad an. Christi 865. sapientissimam, robustissimam, atque doctissimam Sanctus ille Pontifex per Michaelem ejusdem Oratorem remisit, qua calumniæ omnes ab eodem jactatæ retunduntur, ac validè defenduntur jura Romani Pontificis: Photius verò penè furens iracundia, nedum Sequaces Ignatii sæva persecutione vexavit, verum etiam excommunicationis telum in ipsummet Romanum Pontificem ausu temerario jactitavit, Synodo collecta, cui cum viginti, & unus Antistites adfuissent, mille fingit, ac etiam Sedium Patriarchalium Apocrisarios impiè sententiæ subscribentes. Seipsum Patrem Patrum appellans omni conatu quoscumque posset ab obedientia Romani Pontificis avellebat, ex Act. 2. Syn. VIII.: duasque Religiones inducebat, unam Photii, alteram reliquorum, ex Anastas. in Hist. VIII. Syn., quasi cum Imperio prophano ab Urbe Roma veteri Novam, quam Constantinus Magnus construxerat, Fides Orthodoxa migrasset: Ecclesiam proinde Romanam, veluti hæreticam traduxit, eoquia jejunaret in Sabbato: assereret, Spiritum Sanctum, nedum à Patre, sed etiam à Filio procedere: quod inhiberet Presbyteris ungere in fronte Baptizatos: quod nuptias damnaret, eas in Sacris Ordinibus constitutis inhibendo: quod aquâ loco Chrismatis in Confirmatione conferenda uteretur: quod jejunium

Quadragesimale ovis, ac lacticiniis transgeret: quod tempore Paschali super Altare simul cum Corpore Domini Agnus ab ea collocetur, & benedictione sacretur: quod Clerici Latini barbas radant, non ut Græci nutriant: quod Diaconi ad Episcopatum promoveantur ante susceptum Sacerdotium. Quorum quidem aliqua sunt apertè falsissima, ut V. G. aquam in Confirmatione adhiberi: Nuptias interdici inter legitimas Personas: lacticinia, ovaque communiter diebus Quadragesimalibus, saltem citra dispensationem, comedi: Diaconos sacrari Episcopos, priusquam Presbyteratum suscipiant: aut Agnos die Paschatis cum Corpore Christi collocari benedicendos. Aliqua verò Fidem Orthodoxam continent, quale dogma est Processio. Spiritus Sancti: alia sunt adiaphora, & juxta Ecclesiarum diversitatem variabilia, uti est rasio capillorum, jejunium in Sabbato. Videatur Christianus Lupus in Schol. Synod. General. Disertation. de Octava Synod. ubi hujusmodi calumniæ doctissimè confodiuntur.

266. Post hæc Bardas ob nimiam præpotentiam invisus redditur Imperatori Michaeli, à quo dignitatem Cæsaream, atque Curopolatæ acceperat, umbræque in corpus elatæ internicioni fomitem ministrarunt. Expeditione igitur adversus Saracenos Cretam adortos instituta, orta nova suspicione, occiditur jussu Michaelis Bardas, ac corpus ipsius infrusta discerpitur, imminentis mortis eidem in visu prænunciatæ, ut à persecutione Sancti Viri Ignatii disisteret, auguriis nequaquam ad meliorem eum frugem reducentibus.

267. Barda extincto, cujus necem Baron. an. Christi 867. die prima Aprilis juxta Curopalatam

latam narrat contigisse, etsi Alii diversè sentiant, ad Imperiale culmen à Michael vino dedito, regiminique ineptissimo Basilius extollitur, Vir Macedo, natalibus quidem abjectus, sed virtute illustris militari, civilique prudentia conspicuus, Sacri Cubiculi Præfectus, quem, diademate Cæsareo imposito, in Ecclesia Sanctæ Sophiæ, quoniam prole carebat, in Filium assumit; & comitem Imperii.

268. Quia verò Michael vitiis suis mittere nuntium renuebat, voluptuosus, uti ante vinolentus, summè crudelis, à novo Augusto identidem, ut se ipsum coerceret, monebatur, atque à rebus noxiis, prout ipsi licuisset, arcebatur, odium in se vatinianum Michaelis citissimè convertit, à quo neci profectò fuisset traditus, nisi carnifex ipse occultissimè Basilium monuisset.

269. At insidiæ Basilio paratæ Michaeli ipsi exitium pepererunt. Nocte enim intempesta Conjuratorum Basilii ministerio, nemine Aulicorum obsistente, opprimitur, utraque manu obtruncatur, ac visceribus transfixis, solo ejulatu tanto se opponens facinori interficitur, ex Niceta Paflagone, Zonara, Gulielmo Bibliothecario, aliisque referentibus Historicis.

270. Hoc pacto Imperium Basilius assecutus, iis statim, quæ Religionem tangebant, utpote Reipublicæ quoque summè proficuis, solicitè peragendis operam navavit. Inventis quippè Decretis, quibus Photius à Sede Constantinopolitana malè intrusus à Romano Pontifice repellebatur, firmabatur Ignatius, etsi diù à Photio cælata callidissimè fuissent, illicò à Throno expellit Photium, honorificentissimè ex Monasterio, ubi morabatur, advocat Igna-

tium, eumque statim in Sede collocat Patriarchali, Niceta referente.

271. Expulsio Photii nova ejusdem, ac Gregorii Arbestæ delicta patefecit: duo enim Volumina, eodem discedente, ac Cœnobium adeunte exilii sui locum, inventa sunt, & Augusto tradita, duas Synodos continentia. Una adversus Ignatium septem Actiones continebat, in cujus singulis, apposito titulo, Diaboli, Principii peccati, Filii perditionis, Avaritiæ Simonis Magi, Se extollentis super omne, quod dicitur Deus, Abominationis desolationis, Antichristi notæ fingebantur super Ignatium. Primò raptatum, ac verberibus affectum; II. Sputis fædatum, ac funibus attractum; III. De Throno deturbatum; IV. Vinculis constrictum; V. Collari furcæ appensum; VI. Neci adjudicatum; VII. Raptatum capiteque truncatum. Insuper in eo Volumine duo supra quinquaginta accusationum Capita continebantur merè conficta, locusque patebat ulteriori accusationi.

272. Alter Codex Synodum continebat adversus Nicolaum I. Papam celebratam, in qua ipse irreparabili depositione, atque anathemate plectebatur, milleque ab Episcopis subscripta fingebatur, qui nullibi fuere inventi, nec fortè in rerum Natura extiterunt, etsi viginti, & unus tantummodo reverà adstiterint, ex Anast. Bibliot. in Præfat. Oct. Synod. Horum Voluminum, ut Nicolaus odibilis Orbi Universo redderetur, quatuor edidit exemplaria; duo ad Ludovicum Occidentis Imperatorem transmitti debebant, horribilibus referta calumniis: unum ob eumdem finem iisdem plenum criminationibus per universam Italiam callidè spargendum; alterum in Archivio Patriar-

chali

chali ad perpetuam rei memoriam detinendum.

273. Quoniam verò Ignatius simul & Basilius optimè advertebant, pacem Ecclesiæ Orientali ipsiusque vulneribus ęgrè posse mederi citra Synodum Oecumenicam, uti altera Synodo Photiana tranquillitas publica fuerat à Viris sceleſtiſſimis everſa, uterque Legatum suum Romam misit, qui Synodum à Romano Pontifice pro Ecclesiæ Constantinopolitanæ reparatione postularet. Ignatius quidem Joannem Pergensem Episcopum in calamitatibus fidum Achatem, Augustus Basilium Spatharium, eorum, quæ à Sede Apostolica gererentur, Testem futurum, & Nuncium. Photius quoque, quasi post tot scelera innoxius, Legatum suum mittere ausus est Petrum Sardensem Metropolitam infaustę memorię Virum, sua jura propugnaturum, & Methodium Monachum; quorum tamen priorem undæ Adriatici absorbuere, posteriorem verò anathemate notatum Roma remisit, test. Anast. in Vit. Adrian. II.

274. Nicolaum I. Romanum Pontificem, ad quem Legatio erat directa, è vivis ereptum Nuntii præfati invenerunt, Virum profectò fortitudine Sacerdotali, zeloque Justitiæ, ob quem novi Eliæ à Græcis simul & Latinis laudem obtinuit, memorabilem. Ejusdem Successori Adriano II. eximiæ quoque virtutis, maximè autem insignis erga Christi pauperes munificentiæ Pontifici, preces Ignatii Patriarchæ, Basiliique Augusti exaratas literis Nuntii præfati exhibuere, quibus rogabatur Pontifex, ea, quæ statuerat Nicolaus, rata habere, simulque peractis ultimam manum imponere, Synodo collecta Generali, qua integra Ecclesiæ Constantinopolitanæ tranquillitas redderetur, negotiaque alia versarentur, publicæ conducentia

utilitati, simulque de eo, quem obsequenti animo porrigebant, Codice Apostolicum ferre judicium dignaretur, nempe illum, quem superius memoravimus.

275. Precibus Oratorum benignè Adrianus pollicetur annuere. Volumen illud examini Doctissimorum Hominum, utrumque callentium Idioma, subjicit, Episcoporumque Cætum colligit, qui dignam de illo, sicut de cæteris, quæ agenda erant, sententiam ferrent.

276. Tria in hac Synodo peracta sunt. Primò enim, auditis omnibus Photii sceleribus, Episcoporumque suffragiis, imaginariam Photii, & Michaelis Augusti Synodum adversus Nicolaum Papam confectam, Codicemque ipsius contentivum, omniaque exemplaria damnavit, flammisque comburi jussit, ut de facto præstitum est, igne inde erumpente neque ingenti pluvia extincto, fetoremque, atque colorem emittente penitùs infernalem, apud Anast. in Vit. Adrian. II. Secundò eâdem sententiâ binas Synodos adversus S. Ignatium à Photio, & Michaele celebratas percellit. Tertiò, Photium à Nicolao damnatum ob nova crimina, quibus se adversus D.Petri Primatum erexit, Excommunicationi iterum subjicit, Laicâ tantum, si resipuerit, & Libellum porrexerit pœnitentiæ, communione concessâ. Quartò eos, qui Conciliabulo supra expresso consensissent, aut scripsissent, si illud anathematizent, Decreta Nicolai recipiant, Communionem Ignatii denuo amplectantur, exemplaria sacrilegæ Synodi comburant, Communionis Ecclesiasticæ indulget esse participes: secus, non. Imperatorem quoque Basilium à calumnia eximit, quasi Conciliabulo consenserit; eoquia ibi appareat subscriptus. Fideles omnes Orien-

tales

tales anathemate obſtringit, qui, poſt hujus Decreti notitiam, monumenta, exemplaria, aut ſcripta quæcumque Conventiculum præfatum tangentia, defendere, retinere, occultare, nec igne combuſſiſſe fuerint convicti, nec reſpondere voluerint, atque Apoſtolicis hac in re mandatis obtemperare neglexerint. Si autem Clerici fuerint, ultra cenſuram, vult quoque depoſitione mulctari. Hæc omnia ex Oct. Syn. Act.7. ſummatim collecta ſunt.

277. His ſanctionibus præmiſſis, quibus Ignatii Dignitas, & Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ tranquillitas ponebatur in tuto, Summus Pontifex facultatem optatam tribuit Synodi celebrandæ, Legatiſque Apoſtolicis inſtitutis, Donato Epiſcopo Hoſtienſi, Marino Diacono, ac Stephano Nepeſino Antiſtite, quibus ſecretum de modo agendi cum Orientalibus, ac Synodi celebrandæ commonitorium traditum eſt. ſimul cum duplici Libello; uno quidem profeſſionis Fidei, & Eccleſiæ Romanæ ſubjectionis, Photii, ejuſdemque communionis participum damnationis, cui Epiſcopi omnes ad Synodum admittendi ſubſcribere tenerentur; qui Act.1. Oct. Syn. recitatus, & ab omnibus Patribus approbatus eſt: Altero autem pœnitentiæ, quà reſipiſcentes fatebantur erraſſe Photium ſecuti, Ignatio, & Romano Pontifici abrenunciantes: huic ſubſcribere debebant quicumque cuperent Eccleſiæ denuò ſociari, cujus Act.2. fit mentio.

278. His muniti documentis Legati Apoſtolici, Nuntii Auguſti ſimul & Ignatii ab Urbe diſceſſere. Cum autem Conſtantinopolim perveniſſent, honorificentiſſimè à Baſilio Auguſto, Ignatio Patriarcha, Clero, Populoque univerſo excepti, anno Chriſti 869. die 5. Octobris.

bris Fer. 4. Synodo huic Octavæ, nemine ex Patribus, nisi Apostolicæ Sedis Romanæ, nec non Antiochenæ, & Jerosolymitanæ Legatis, ac Patriarcha Ignatio præsentibus, in Ecclesia Sanctę Sophię, magnificentissimè à Justiniano I. constructa, coram Augusto Principe Basilio, sęcularique Magistratu, initium datum est, ac tempore congruo complementum.

279. Nunc autem hujusmodi Synodus examini subjicitur, an legitima, & Oecumenica fuerit? Photiani quippè illam ut injustam, & tyrannicam traducunt: negant quoque Oecumenicam fuisse, sed ad summum Patriarchalem faciunt: hinc septem tantummodo Oecumenicas Synodos Orientales admittunt, quarum ultimam enumerant Nicænam II. adversus Iconomachos celebratam, ex Prębat. Constan. Hermenopol. ad Can. Epitom., ex Matth. Blastar. in Collec. Can., ex Epist. Synod. quam Constantinopolitanus Patriarcha, cæterique Præsules Schismatici nunc quoque post ordinationem suam conscribunt. Catholici autem Græci, Latinique eam ut legitimam, & Oecumenicam sustinent. Videndum est quid revera sit sentiendum?

SECTIO PRIMA

Octava Synodus legitima revera fuit.

280. HOc autem patet: nam I. Fuit convocata à legitima Potestate, nempe Romani Pontificis Adriani II., petente Basilio Augusto, ex Epist. ejusdem Adriani ad Imperat. Act. 1. II. Eidem quoque præsedit per Legatos ex Niceta Paflagone in vita Ignatii. III. Adstitere per se, vel per Legatos omnes Sedes Patriar-

triarchales, ut ex subscriptionibus patet. IV. Ob gravissima motiva, quæ Adrianum II. impulerant ad eam Basilio Augusto concedendam, fuit adunata; ut nimirum Ignatius legitimus Pastor restitueretur in integrum: sententia excommunicationis, & depositionis à Romanis Pontificibus prolata adversus Photium, ejusque Sequaces executioni mandaretur, Synodi quoque authoritate interposita: ut lapsi ob communicationem cum Photio, qui multi erant, veniam obtinerent, subscribentes Libello, & Epitimium, seu Pœnitentiam postulantes: ut remedia statuerentur, ne denuò perturbationes ob injustam Sedis Patriarchalis occupationem emergerent, quod utique factum est, editis viginti septem Canonibus, quibus futuris incommodis illius Ecclesiæ in electione Patriarcharum occurritur: ut Hæresis Iconomachorum denuò extingueretur, favillas emittens. Hæc autem omnia legitima sunt motiva Synodi colligendæ; ergò &c.

281. Modus quoque agendi Sanctæ Synodi Rectitudine, Sapientia, Charitateque abundavit. Nam Act. 1. admissi sunt Episcopi, qui constantes in veritate steterunt, nec Photio adhæserunt: Judicum authoritas firmata est, adductis testimonialibus suæ Legationis à Legatis Romani Pontificis, & cæterarum Sedium Patriarchalium, quę aderant: lecta Epist. Adr. II. suæ voluntatis expressiva: lecta est forma Libelli ab eodem Pontifice transmissa, cui Episcopi omnes, qui Catholici esse vellent, & venia indigerent, juxta antiquam Ecclesiæ consuetudinem, subscribere oportebat: reddita quoque ratio fuit, cur Photius absens Romę fuerit justè damnatus, & Vicarii Sedium Orientalium Photium damnaverint, quin eum alloquerentur præsentem.

282. Act.2. pro Episcopis, & aliis lapsis, qui Photio adhæserant, non tamen consecrationem acceperant, statuitur materna clementia Epitimium, ut nimirum ad sinum Ecclesiæ reciperentur: at Justitiæ quoque aliquo pacto, pœnitentiâ impositâ, satisfieret: à Photio autem consecrati dignitate destituuntur, quia nullam veniam merebantur ex malitia peccantes. Leguntur Epistolæ Nicolai, & Adriani Romanorum Pontificum, quibus infelix status Ecclesiæ Constantinopolitanæ aperitur.

283. Act.3. Nonnulli Episcopi invitantur, qui à Photio consecrationem non acceperant, sed ei solummodò adhæserant: vocantur ut Libello subscribant, & in integrum plene restituantur. Ut verò Justitia Libelli, cujus subscriptionem Adrianus II. exigebat, fieret perspicua, lectæ sunt plures Epistolæ Basilii Augusti, & Ignatii Patriarchæ ad Adrianum II., quibus scelera Photii detegebantur, & status illius Ecclesiæ miserrimus aperiebatur.

284. Act.4. Ut æquitati satisfieret, introducuntur Teophilus, & Zacharias Episcopi Photiani fundamenta defensionis suæ adducturi, qui fuere à Legatis Apostolicis convicti, numquam Romæ ut Episcopos fuisse receptos, aut Photium ut legitimum Patriarcham admissum, uti temerè asserebant; & hoc quidem etiam Judicibus sæcularibus evidens apparuit, qui alia eorum mendacia detexerunt.

285. Act.5. Photius ad Synodum vocatur, ut de se rationem redderet, & tueretur causam suam: accessit invitus, etsi canonicè accersitus: interrogatus, aut tacuit verba illa Ps. 38. 2. pronuntians: *Dixi custodiam vias meas, ut non delinquam in vita mea: posui ori meo custodiam, cum consisteret Peccator adversum me*: aut in spretum

Lega-

Legatorum Apostolicorum, Sediumque Patriarchalium nequaquam cathegoricè respondit, ac terminum ad se defendendum recusavit, etsi Assessores Augusti quoque, ut resipisceret, hortarentur, & terminum nonnullorum dierum assignarent.

286. Act. 6. Vocati Episcopi Photiani, longa dissertatione rationes suas, etsi temeritate insigni producunt, ad Canones provocando; quibus satisfacit Metrophanes Smyrnensis Metropolita. Indulgentiam, si Libello subscriberent, recusarunt, & nihilominus ulteriores induciæ ad se defendendum tributæ sunt septem dierum, quæ benignitatem, & rectitudinem ejusdem Synodi indicant.

287. Act. 7. Qua finis causæ Photianæ per definitivam sententiam impositus est, Photium, & ejus Episcopos Sancta Synodus accersivit, qui Libello à Sedium Patriarchalium subsignato, subscribere respuerunt, convicia in Judices, quos recusarunt, jactantes: ac querentes se non auditos, à Senatoribus, jussu Imperatoris, redarguuntur apertè falsitatis, & oblata denuò se defendendi potestate, manent inflexibiles: quocirca, cum adversus Ecclesiam contumaces, & pertinaces se ostenderint, justissimè damnati sunt, & rectitudo Sedis Apostolicæ patuit; lectâ Epistolâ Nicolai Papæ ad Clerum Constantinop., qua optimè, quidquid egit in causa hac, justificatur.

288. Postmodum Volumen Photii, in quo imaginaria Synodus adversus Nicolaum Papam, excommunicatio adversus illum lata continebatur, examini subjicitur, quod quidem à Photio prodiisse, præter alia inditia, constabat, quia Domi ejus inventum est, suoque nomine subscriptum velut Præsidis: quod ve-

hemen-

hementem facere præsumptionem adversus Authorem, posseque ex illis ad sententiam damnatoriam deveniri, habetur L. *Sciant Cuncti* C. de Probat. & tradunt DD. Bald. in L. *Si quis adulter.* C. ad Leg. Jul. Abbas in Cap. *Accedens*, num. 6. de Accusat. Felin. in Cap. *Afferte*, num. 6. de Præsumpt. Adeoque in sententia finali damnativa nulla injustitiæ labes inveniri potest, cum Reus adversus antecedentes præsumptiones nequaquam, ut debebat, si potuisset, exceperit. Hinc Anathematismi adversus Photium feruntur, & Sequaces ejus, ibidem recitati.

289. Act.8. Pro perfecta Schismatis extinctione decrevit Sancta Synodus, comburi Chirographos omnes, quos ab Episcopis, & Clericis Photius, ut suæ devotioni vinciret, exigebat: omnia quoque Volumina adversus Ignatium, & Nicolaum Synodos, Actaque continentia flammis addici.

290. Inventi quoque à Patribus examen prosequentibus fuere falsi Sedium Patriarchalium Vicarii, falsi Metropolitæ, aliique, qui finguntur à Photio Synodis imaginariis interfuisse, qui omnes negarunt, se Synodis illis adstitisse, aut eisdem umquam subscripsisse.

291. Quoniam verò ad exscindendos Iconomachos reviviscentes Synodus VIII. collecta est, Christinus, & alii hujus sceleris Rei, qui penitus convicti, noluerunt resipiscere, sub inani obtentu, non dari in Scripturis de Imaginibus colendis mandatum, cum detur revera virtualiter, & implicitè, Anathemate perculsi sunt.

292. Falsi quoque Testes, qui adversus Sanctum Ignatium deposuerant, quasi Thronum Patriarchalem malis artibus occupasset,

ac

ac tyrannicè gubernasset, crimen suum fassi sunt, & Epitimio mulctati, ab ipsomet Ignatio, quem uti legitimum Patriarcham agnoverunt, imponendo.

293. Idipsum coram Patriarchæ Alexandrini Legato, iis, qui Conciliabulo adversus Nicolaum Papam subscripserant, & Personam falsorum Vicariorum Sedium Patriarchalium egerunt, & tamen viri erant plebei, ac bajuli, præscriptum est: hi quippe ultrò crimen suum fassi, allegantes se ad illud facinus per vim, & metum à Michaele Augusto, Photioque compulsos, Nicolaum ut legitimum, & Sanctum Pontificem agnovere.

294. Act. 10. Viginti septem Canones conditi sunt, ut præteritis, præsentibus, ac futuris incommodis Sancta Synodus medelam ferret. I. Enim præcipit, servari Decreta antiqua Conciliorum. II. Servari Decreta Nicolai I., & Adriani II. circa restitutionem Ignatii, & ejectionem Photii. III. Coli debere Christi, Deiparæ, Sanctorumque omnium Imagines. IV. Declaratur, Photium numquam fuisse Episcopum, ejusque Ordinationes, & Acta invalida. V. Neminem à Senatorio Ordine ad Episcopatum immediatè ascendere, sed gradatim. VI. Dicitur anathema Photio, Libellorum, & Chirographorum imaginariæ Synodi effinctori. VII. Anathematizatos à Sancta Synodo ad Sacras Imagines pingendas, aut Sacras Disciplinas edocendas minimè posse admitti. VIII. Non posse à Patriarchis Chirographos pro sui munimine exigi. IX. Magistros scientiarum non posse à suis Discipulis exigere Chirographos, uti Photius faciebat. X. Neminem ex Clericis posse à suo Episcopo seipsum segregare citra Synodale Decretum. XI. Ana-

the-

thematizantur docentes, aut sentientes cum Photio, duas in Homine Animas reperiri. XII. Electiones Episcoporum recipi non debere, quas præpotentia Principum extorserit. XIII. Honores Ecclesiæ conferri debere iis, qui in gradibus inferioribus se bene gesserint, & hos quidem extraneis præferendos, & iis, qui sæcularium Domorum curam gerunt. XIV. A sæculari Potestate Episcopis debitum honorem præberi oportere, qui propterea dignitatis suæ decorem jubentur servare. XV. Interdicuntur Emphiteuses bonorum Ecclesiæ, aut bona ejusdem alienari, aut distrahi. XVI. Vetatur severissimè, ne Sacerdotibus illudatur, illorum functiones illusoriè exercendo, aut exercitium præcipiendo, uti faciebat Michael Imperator. XVII. Metropolitas, Patriarcha vocante ad se, accedere debere. XVIII. Ecclesias privilegiis suis nudare minimè posse. XIX. Ecclesias à Patriarchis, & Metropolitis, sub obtentu Visitationis, gravari non debere, nihil penitus ab ipsis exigendo. XX. Nullum Episcopum posse repellere ab Emphiteusi, vel alia possessione eos, qui illas receperunt, absque notitia eorum, qui rebus hujusmodi præsident. XXI. Patriarchas, præcipuè Romanum inhonorari non debere, neque adversus ipsum sententiam dici, sed interrogari, & ab eo solutionem quæstionis accipere, nedum extra, sed etiam in Synodo Oecumenica. XXII. Non debere Principes sæculares se in electione Summorum Sacerdotum ullo modo miscere, sed à Sacerdotum Collegio fieri oportere. XXIII. Episcopos non posse alienarum Ecclesiarum possessiones locare, nec constituere Presbyteros in Ecclesiis sibi minimè subjectis, præter voluntatem Episcopi eorum. XXIV. Prohibentur Metropolitæ ministeria sua infe-

inferioribus Episcopis committere, sed jubentur per se ipsos exercere. XXV. Clerici à Methodio, aut Ignatio consecrati, & qui Photio adhæserunt, nec Sanctæ Synodo parere voluerunt, eidem abrenunciantes, post sententiam Synodi jubentur pro depositis haberi, tametsi convertantur. XXVI. Statuitur ordo appellationis ad Metropolitam, à Metropolita ad Patriarcham à quo solo Metropolitæ judicentur, non autem à vicinis Metropolitis, aut Provinciali Synodo. XXVII. Episcopis præter tempora, & loca indulta Pallio uti minimè licere, & à Monachis ad Episcopatum assumptis vestem Monachalem deferendam esse. Hi sunt Canones in Octava Synodo pro Ecclesiæ Constantinopolitanæ reparatione conditi, pœnis præscriptis adversus transgressores, depositionis, excommunicationis, & aliis respectivè inflictis, nisi Rei moniti se correxerint.

295. Ex his omnibus constat, qua rectitudine, gravitate, justitia, charitateque Sancta hæc Synodus processerit, delinquentes quidem mulctando, contumaces verò severè coercendo. Nec Photius, aut Sequaces ejus ullam habent de Synodo causam conquerendi.

296. I. Quia ipsi eamdem Sedem Apostolicam in Judicem elegerunt, & supremum agnoverant Romanum Pontificem, cujus Decreta Synodus exequebatur: nam Photius misit Legatos suos Romam ad Pontifices Nicolaum, & Adrianum II. causam propriam acturos, & Judices à Sancta Sede postulaturos, ut in relatione historica dictum est; ergò repelli non poterat ut Judex Sancta Sedes per Legatos suos in judicio sedens, cum leges quoque civiles statuant. L. *Licet autem* ff. *de receptione arbitrorum*, electos in Judices nullo pacto respui pos-

posse, nisi manifestè constet de judicii lati improbitate; & rectè advertit Act. 6. Metrophanes Smyrnensis Metropolita, Zachariæ Chalcedonensis Episcopi dissolvens argumenta.

297. II. Possessor legitimus, & pacificus non potest suo jure privari, controversia quacumque superveniente, nisi evidentissimè appareant probationes, ex Innoc. & Abb. in Cap. *Solicitè*, de restit. spoliat.: in dubio autem Lex stat pro possessore, juxta regulam juris in 6. *In dubio potior est conditio possidentis*. Ignatius autem ante Photii intrusionem pluribus ante annis Thronum Regię Urbis occupabat, ex Nicolao I. Epist. ad Michaelem Act. 4. relata: hocque omnibus notorium erat, ut optimè Elias Jerosolymitanus Legatus advertebat act. 6. VIII. Synod.; ergò non poterat expelli Ignatius, nisi evidentissima apparerent argumenta ex parte Actoris Photii, quæ tamen numquam fuere adducta, nec poterant adduci.

298. Neque dicatur, ab Ignatio Præfecturam spiritualem Constantinopolitanæ Ecclesiæ fuisse resignatam: hoc autem patere ex Chirographo, cui ipsemet subscripsit, & Imperatori traditus est: aliunde verò crimina ipsi impacta depositionem meruisse à Synodo inflictam; ac proinde potuisse Photium legitimè ad Cathedram illam assumi, adeoque injustè uti occupatorem à Synodo fuisse damnatum.

299. Hæc enim infringuntur apertissimè: nam etsi reipsa Ignatins, aut spontè, aut jure damnandus Prælaturam resignasset, non propterea Photius legitimè occupasset, cùm indigeret dispensatione, Sacris Canonibus Homini Laico, & Curiali ascensum ad sacram Præfecturam immediatum vetantibus, ut optimè Nicolaus Pontifex Epist. ad Photium per Leo-

nem

nem à secretis Imperatoris missam prænotavit, & refertur Act. 5. Synod. VIII.; quam tamen dispensationem numquam obtinuit, alioquin illam exhibuisset.

300. Cæterum falsum est, Ignatium sponte Prælaturam cessisse: semper enim constantissimè recusavit, asserens, numquam Sponsam à se semel assumptam, quacumque vi cogente, dimissum iri: Chirographus autem fuit extortus, manu ejusdem à carnifice violenter mota, ut patet Act. 6. Synod. VIII., & hoc omnibus notorium erat, referuntque Historici Nicetas, Curopalata, Cedrenus, & Alii: nec sanè tormentis, immanitatibusque opus erat ab Ignatio toleratis, ut suam Dignitatem sustineret, si voluntarie ipsi vale dixisset.

301. Minus subsistit damnatio adversum Ignatium à Pseudo-Synodo Constantinopolitana edita: tumquia Legati Apostolici, qui eidem præsederunt, nullam sententiæ pronuntiandæ authoritatem habebant, sed solummodo statum causæ, prout invenissent, Pontifici significandi, ex Epist. Nicolai ad Michaelem: tumquia Testes erant terrore Bardæ, Photii, & Michaelis coacti, & hoc quippe notorium erat, & propterea Epitimium acceperunt: Testis autem coactus nihil probat, de Test. Cap. *Sicut nobis*, & Cap. 1. de Test. Confessio verò in Chirographo prædicto expressa, Thronum se Regiæ Urbis pravis artibus occupasse, eoque se indignum, utpote violenter expressa, nullam facit probationem, Cap. *Lotharius* 31. quæst. 2.

302. III. Reus nolens se Judici sistere, ac renuens respondere, veluti contumax damnari potest; Legis enim præsumptione supponitur convictus, qui renuit ad Judicium accedere, jura sua defensurus, l. de ætate §. *Qui tacuit*

ff. de

ff. de inter Actiones Cap. *Si potest de Confessis* in 6.; maximè in Judicio Ecclesiastico, cujus authoritatis contemptus inducit ab Ecclesia expulsionem, Matth. 18. 17. *Si Ecclesiam non audierit sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus*. Propterea Nestorius ab Ephesino I., Dioscorus à Chalcedonensi irreparabilem damnationem retulerunt, Act. 3. Chalced. & relat. ejusdem Synod. ad Leonem Magnum. Photius autem ita se gessit: nam Act. 5. inquit se invitum trahi ad judicium, ac de multis interrogatus noluit respondere, Judicesque contempsit: denuò interrogatus, ait: *Meæ justificationes non sunt in hoc mundo*; spatiumque rebus suis consulendi recusavit. Act. autem 7. ait: *Vicariis autem* (nempe Apostolicis Legatis, & Sedium Patriarchalium.) *rationem non præbemus*: aitque ulterius ad pœnitentiam invitatus ore Gregorii Syracusani Antistitis ejusdem Discipuli: *Ipsi pœnitentiam agant super quæ deliquerunt*; ergò contumax, & contemptor cum sociis suis fuit Ecclesiæ in Synodo Oecumenica congregatæ.

303. Quod ergò Synodus VIII. cum Photio veluti explorato invasore Sedis alienæ se gesserit, atque uti talem damnaverit, qui nec voluit, nec si voluisset, poterat, quæ pro Ignatio faciebant, evertere, aut infirmare sibi adversantia, nullam Photio, ac Fautoribus ejus injustitiam intulit: juxta enim Leges Ecclesiæ processit, reum plane convictum ordinariæ pœnæ adjiciens, ac Decreta Primæ Sedis, quam ipsimet imploraverant, non tumultuariè, sed synodicè à Patribus agnita exacte adimplens.

SE-

SECTIO SECUNDA

Synodus Octava verè fuit Oecumenica. Patet hoc, quia ejusdem universalitati nihil deest.

304. I. IMperator Basilius Macedo pro turbinibus Ecclesiæ Orientalis pacandis hanc Synodum ab Adriano II. Romano Pontifice postulavit, ut colligitur ex Epistola ejusdem Pontificis Act. 1. Synodi lecta: Romani autem Pontifices, petentibus Imperatoribus, minimè consuevere Synodos tantum Nationales convocare, ad quas Apostolicos mitterent, ut præsiderent, Legatos, ut percurrenti Synodos in Oriente celebratas, & ab Augustis imploratas, Nicænam utramque, Constantinopolitanam, Ephesinam I., & II., Chalcedonensem II., & III. Constantinopolitanam, liquido apparebit.

305. II. In omnibus Actionibus non minùs à Patribus, quam à Senatoribus Synodus hæc Oecumenica nuncupatur, in quam capita omnium Ecclesiarum convenerunt, & uti talem ipsam coram Imperatore, qui eam colligendam studuerat Metrophanes Smyrnensium Metropolita Act. 6. commendat. Act. vero 10. post editos Sacros Canones habetur terminus Synodi ab omnibus Patribus approbatus, his verbis: *Sancta, Magna, & Universalis Synodus, quæ per Divinam voluntatem*: idipsum pluries repetitur, & inter cæteras Ocumenicas, quas pro salute Ecclesiæ Augusti celebrandas curarunt, hæc quoque, quæ ponitur numero octava, recensetur; igitur fuit Oecumenica.

306. III. Synodum Oecumenicam fuisse, docet Patrum ex omni Orbe convocatorum amplitudo. Quantum enim ad Occidentales, eoacta Synodo, Legatos Apostolicos, qui Sedis Apostolicæ, & Patrum Occidentalium nomine assisterent, mittendo, Cuncti voluntate adstiterunt, eo pacto, quo cæteris Oecumenicis Orientis Synodis dicuntur fuisse præsentes. Eodem etiam modo Præsules Alexandrinæ, Jerosolymitanæ, & Antiochenæ Diœcesis per Legatos Patriarchales virtute adstiterunt, cum præsentiâ ipsâ physicâ non possent, assensum definitionibus Synodi præbentes: eoque magis istis præsentibus universalitas Synodi enitet, quia ipsi, utpote Saracenis in politicis subjecti, solo Romani Pontificis imperio, non verò Augusti accedere potuerunt. Ex iis verò, qui Constantinopolitano subdebantur Patriarchæ, omnes quidem acciti sunt: at pauci venerunt, quia pauci à labe Photii erant immunes; igitur ex parte convocationis Synodus hæc est universalis, & Oecumenica.

307. Motiva quoque ipsius celebrandæ ad universalitatem sufficiebant. I. Extinctio hæresis Iconomachorum, quæ denuo pullulabat. II. Condemnatio erroris, quem Photius suscitaverat ad Ignatium vexandum, qui maximam Ecclesiæ perniciem poterat afferre, nempe in Homine duas Animas inveniri. III. Primatus Romani Pontificis, quem Photius evertere conabatur, ad quem stabiliendum Leo Magnus Chalcedonense coegit, à Dioscoro concussum. IV. Restitutio Ignatii legitimi Patriarchæ, expulsio Photii prædonis, & adulteri, uti pro Athanasio vindicando Julius I. Sardicensem Synodum pariter Oecumenicam celebrandam curavit. Quæ omnia sufficiebant ad

Syno-

Synodum Oecumenicam colligendam, maximè ſtante Pontificis Romani voluntate, à cujus nutu pendet, Synodum eſſe Oecumenicam, cum ejus ſimplici beneplacito Synodus V., quæ titulum hunc non merebatur, aſſenſu Vigilii Romani Pontificis Juſtiniano Primo Auguſto morem gerentis, evaſerit nedum legitima, ſed in Oecumenicam quoque tranſierit.

308. Porro Synodum hanc à Sede Apoſtolica fuiſſe confirmatam, nedum Anaſtaſius aſſerit in ejuſdem præfatione, verum etiam elicitur ex hoc, quod in Profeſſione Fidei, quam olim Romani Pontifices emittebant, cujus formula reperitur in calce Tom.3. Concil. Par.2. ſec. poſter. Edit. Binian. inter Oecumenicas Synodos num. octavo Hæc numeratur: neque poteſt eſſe Florentina, ut Abrahamus Cretenſis in ſua interpretatione eructare auſus eſt: nam Profeſſio Fidei Synodum hanc Conſtantinopolitanam, non Florentinam appellat multo tempore poſteriorem: neque poteſt eſſe illa Photiana, quæ Schiſmatico illi Sedem Conſtantinopolitanam reſtituit: nam Pontifex initiandus in præfata Formula profitetur, ſe Decreta omnia velle ſervare, quæ in Octo Synodis Oecumenicis antecedentibus, & Prædeceſſorum ſuorum ſanctionibus continentur, quales ſunt Decretales Photii, ejuſque Sequacium damnativæ, ejuſque Patriarchatus everſivæ, à Nicolao I., & Adriano II. editæ. Synodus autem Octava has complectitur, hiſque præcipuè innititur, virtuteque ipſarum Photius fuit ejectus; ergò hæc non eſt Synodus à Photio pro ſui reſtitutione coacta.

SECTIO TERTIA

Solvuntur Objectiones contra primam partem Asserti.

309. OBji.I. Octava hæc Synodus errorem exploratum docuit, hęresim Donatistarum sapientem; ergò est illegitima. Conseq. patet. Prob. ant. nam Canone 4. asserit, Photium numquam fuisse Episcopum; ejus ordinationes irritas omninò affirmat, & præcipit, Ecclesias ab eo dedicatas iterum consecrari oportere: hic autem est error exploratus, cum Ordinationes, & Baptismus etiam ab Hæreticis in forma Ecclesiæ collatus validus sit. Hinc Clemens Octavus Bulla *Sanctissimus*, apud Cherub. Tom. 3. præcipit, Orientales etiam Hæreticos, & ab Hæreticis ordinatos, ad Ecclesiam redeuntes absolvi quidem à censuris, & ab irregularitate dispensari, non tamen denuò ordinari; ergò erravit Octava Synodus, asserens, Photium numquam fuisse Episcopum, & invalidas ejusdem Ordinationes, atque Consecrationes declarando.

310. Resp. neg. ant., ad cujus probat. dico, majorem esse veram quoad licitam executionem, non verò quoad ordinis potestatem: Photius enim dici poterat post condemnationem non esse Episcopus, neque unquam fuisse, quia, tametsi fuerit ordinatus Episcopus, id contigit irregulariter, & Canonibus adversantibus, adeoque nec licitè poterant ab eo conferri Ordines, nec ab eo recipi, neque recepti exerceri: ob quam rationem Formosus Papa pronunciavit, à Photio nihil, nisi damnationem, dari potuisse, & quia irreparabilis omninò hæc

nò hæc fuit, nulla resurgendi spe affulgente, uti contigit in Clericis degradatis, & solemniter depositis, propterea dicitur numquam fuisse Episcopus, & Juris fictione merus Laicus, & sola Laica communione, si resipuisset, donandus.

311. Idipsum de Sequacibus quoque Photii dicendum est: hunc autem esse legitimum sensum Octavæ Synodi, patet: nam Joannes VIII., qui Photium restituit, minimè ei præscripsit ordinationem denuò recipere, sed solummodo veniam in Synodo postulare, ex Epist. ejusdem ad Basil. Tom.3. Concil. Edit. Binian. extante. Idipsum Ordinatis à Photio concessit Formosus, dummodo, Libellis oblatis, pœnitentiam, & emendationem pollicerentur, ex Epist. ejusdem ad Stylian. Cæsareæ Euphatesiæ Antistitem, tom.3. cit. extante. Quod autem Synodus præcepit, Ecclesias à Photio consecratas denuò dedicari, nihil officit; cum Consecratio caracterem non imprimat, adeoque uti mera cæremonia renovari potest, Ecclesia mandante, sicuti à Gregotio Magno in quadam Ecclesia Romæ ab Arianis Episcopis sacrata renovata est, teste Baron. ad annum Christi 591.

312. Obji. II. Nemo Judex esse potest, & Pars in eodem judicio, ex Innoc.III. Cap. *Ex parte* de Verbo signif., nec dissentit Jus civile L. *Et hoc Tiberius* ff. de Hæredit. Instit.: at in Octava Synodo iidem fuere Judices, & Partes, nempè Legati Adriani II. Romani Pontificis, de cujus simul, & Nicolai I. judicio in causa Photii controvertebatur, an rectum fuisset; ergò illegitima fuit Synodus.

313. Resp. Majorem esse falsam in cujuscumque generis Principe Supremo, sive Monarca sit, sive Respublica, alioquin daretur

processus in infinitum; neque unquam auditum est, Principem offensum in jus vocari à delinquente, quasi ab eo nequeat veluti par e coerceri.

314. Cæterum min. neg. In Octava enim Synodo Romanus Pontifex non erat Pars, sed Judex solummodo, cujus judicium minimè in controversiam vocabatur, & ab ipsomet Photio ante fuerat agnitum; ipsum quippe imploravit, ut Patriarchatum suum, quem caducum ipsemet agnoscebat, authoritate Petri suprema firmaret; sed Norma unica fuit Ecclesiastici Judicii inter Photium, & Ignatium: idcircò enim Synodum illam Basilius Imperator collegit, ut Decreta Nicolai I., & Adriani II., quæ à Photio, & Michaele Augusto, nedum minimè impleta, sed contempta superbè fuerant, executioni mandarentur. Neque alia ratione Adrianus II. Synodum concessit, ex ejus Epistolis Legatorum directricibus Act. 1., & 7. perlectis. Nec duo tribunalia sunt Pontificis, & Synodi, sed idem; nempè Romanus Pontifex ex semetipso, & idem cum Synodo sententiam ferens.

315. Obji. III. Ignatius in hac Synodo nedum à Legatis Apostolicis, verum etiam à Patribus Synodi, veluti legitimus Patriarcha ad suffragandum fuit admissus, & veluti talis agnitus, & summis amoris, ac venerationis significationibus affectus, adeout Epitimium lapsis tribuendum fuerit ipsi commissum. Photius verò tamquam Reus, & ut Invasor Episcopatus habebatur, & tractabatur: hoc autem videtur injustum, & personarum acceptionem apertissimè sapere, cum de legitimitate Patriarchatus Ignatii controversia verteretur, eumque variorum criminum Photius accusasset; ergò malè, & injustè, ac tyrannicè Synodus processit; ergò illegitima fuit.

316. Resp.

316. Resp. conc. maj., & neg. min. Quamquam enim Photius litem de Patriarchatus Ignatii validitate movisset, ipsique crimina objecisset, ob quæ repelli debuerat, adhuc tamen Ignatius, cum duodecim circiter annis pacificè in Throno Constantinopolitano Sacro sedisset, nec Dignitatem abdicasset, ejusdem possessione fruebatur, atque in ea detineri debuit, donec oppositum ab Adversario ostenderetur, quod utique in Synodo fieri debebat à Photio Actore: proindeque ipsi Ignatio Legati Apostolici, Patresque Synodi honores debitos tribuebant. At de Photio constabat, illegitimè Thronum invasisse, cum Laicus esset, & præter ordinem Sacris fuisset initiatus; præsumebatur ergò Invasor, & Lupus, donec oppositum ostendisset, quod utique in Synodo faciendum erat, nec adhuc fecerat; sicuti adhuc non probaverat, impetrasse dispensationem, Patriarchatum adversis Canonibus obtinendi; neque crimina Ignatio objecta, & Nicolao quoque Papæ impudenter impacta, vera esse adhuc convicerat, Seque minimè calumniatorem probaverat, aut ab aliis delictis, quæ ipsi imputabantur, ostenderat innoxium, nec sperabatur ab eo posse fieri, adeò improbitas ejus notoria censebatur; idcircò cum eo veluti Laico, ac Prædone alienæ Sponsæ actum à Patribus est.

317. Obji. IV. Causa Photii minimè fuit examini subjecta: nam præter Libellorum porrectionem, quam Romana Sedes exigebat, ne accusati Schismatici censerentur, & lectionem Nicolai I. Epistolarum, & Adriani II., nihil aliud Patres videntur præstitisse, eas veluti regulas Judicii faciendi supponentes: hoc autem non est causam examini subjicere, sed supponere judicatam, quod iniquissimum est, &

contra morem præteritorum Conciliorum, à quibus Dioscori, Nestorii, & Aliorum causæ fuerunt discussæ, tametsi authoritas Primæ Sedis tangeretur; ergò hæc Octava iniquè se gessit.

318. Resp. neg. maj. ut ex corpore Quæstionis perspicuum est. Quod verò Nicolai, Adrianique Epistolæ agendorum Regulæ fuerint, mirum non est, cum in cæteris Orientalibus Conciliis idipsum fuerit servatum: hinc Hæretici censerentur eisdem subscribere renuentes, ut in Chalcedonensi apparuit Act.4., ubi Patres clamarunt: *Qui non subscribit Epistolæ Leonis, Hæreticus est*. Nestorii verò, & Dioscori causam Patres quidem agitarunt, sed Pontifice volente, ac dirigente per Legatos, & instructionem suam ante præmissam.

319. Alio quoque ducti motivo Patres Octavæ Synodi Epistolis præfatis, veluti regula usi sunt: quia nimirum in illis distinctissimè quid in causa Photii actum fuerat; quæ fundamenta pro sui defensione proponebat; quibus monitis à Sede Apostolica præventus, & omnia causæ merita continebantur: nec ea vocare in controversiam poterant, multis, qui testari possent, præsertim Imperatore, ejusque Patritiis viventibus, rerum, uti acciderant, optimè conscciis.

320. Obji.V. Photius, & ejusdem Sequaces inauditi damnationem retulerunt; ergò Judicium Synodi illegitimum, & iniqum fuit. Conseq. patet: Reus enim audiri in defensionibus debet, vel ipsemet physicè præsens, vel saltem moraliter per Advocatum suum, ipso jure naturali dictante, legesque omnes tam civiles, quam Ecclesiasticæ præscribunt. Ant. autem constat Act.6. in qua Legati Apostolici nec canonicè illum citare, nec audire voluerunt.

runt.

runt, utpote ab Ecclesia Romana damnatum, sed permisere tantum, à Laicis vocari, ut Libellum exhiberet Pœnitentiæ. Ingresso autem Synodum, non fuit dictum, sicut Dioscoro, ut redderet rationem, quare damnati non deberet; sed interrogatus tantummodo fuit, an Decreta Summi Pontificis amplecteretur? Nec aliud Apostolici Legati protulerunt, nisi: *Admonemus eum, ut procidat Sanctæ huic Synodo, & inclinet cervicem suam Sanctissimo Patriarchæ Ignatio Pontifici suo ad pœnitentiam, & efficiendum membrum Sanctæ Ecclesiæ, ad se sociandum Sanctæ Christianorum communioni, uti mos est Fidelium Laicorum.*

321. Idipsum cum Sectatoribus Photii actum est, nam communionis Photii Episcopos, nempe Zachariam, & Theophilum nolebat Synodus audire, exclamans: *Sit portio Theophili, & Zachariæ cum Photio*: Quod quidem adversari Justitiæ, ipsemet Bahanes Patritius agnovit Act.4., & nihilominus nil aliud ipsis, præter lectionem Epistolæ Nicolai I., concessum est, & Act.6. idipsum petentes, nihil aliud, quam rigidam Imperatoris objurgationem, retulerunt; ergò nec Photius, nec ejusdem Asseclæ in suis defensionibus fuerunt auditi; adeoque &c.

322. Resp. neg. ant.; constat enim Photium à Sancta Synodo fuisse accersitum: Act. enim 5. dixerunt Apostolici Legati: *Interrogetur, si desideret venire in Sanctam, & Universalem Synodum hanc?* Ex parte verò Synodi missi sunt, qui flagitarent ab illo; *Vis venire in Sanctam Synodum, an non? Si dixerit, quia nolo, interrogate eum, Quare?* Rogabatur autem profectò, ut jura sua propugnaret, quæ si vera extitissent, & inconcussa, Patres utique aliud decrevissent; eoque magis poterat

 quæ

quæ pro se faciebant in medium proponere, quia Senatus, & Palatini favebant ipsi, & libentissimè aliquid, quo se purgaret, audissent, ut patet ex vehementi hortatione Patritii Bahanis, qua ipsum urgebat, ut coram Synodo fundamenta sua produceret, seque tueretur, uti Sancta Synodus cupiebat, & propterea citationem secundam transmisit, ut quia sponte venire recusabat, accederet invitus, ut patet Act.5.

323. Legati quidem Apostolici se in eo audiendo aliquantisper difficiles ostenderunt: non quia vellent eum damnare indefensum, ipsum quippè pluries interrogarunt, an Decreta Patrum, & Romanorum Pontificum, qui eum damnaverant, reciperet: qua interpellatione ipsum profectò urgebant, ut se defenderet, adducendo validas rationes, cur non reciperet; vel si admitteret, eas sibi minimè ostenderet adversari: sed quia censebant, in re notissima nullum adesse locum defensioni, solumque remanere, ut veniam à Sancta Synodo humiliter postularet: quod ergò aut mutus taceret Photius, aut nihil ad rem adduceret, non defectui Sanctæ Synodi tribuendum est, sed aut obstinationi ejusdem in sensu suo persistentis, aut confusioni criminum suorum, quibus nulla subesset legitima excusatio, ut optimè Bahanes Patritius animadvertit, qui Act.6. *Nos*, inquit, *tenemus, quia confusione, & metu depressus desipis, nesciens quid dicas*.

324. Quantum ad Socios, & Sectatores Photii attinet, eos nequaquam fuisse auditos, evidenter falsum est, cum Act. 6. Zacharias Chalcedonensis Antistes pro Photio, Seipso, & Sociis fervidissimè declamaverit, cujus argumenta Metrophanes Smyrnensis Metropolita plenissimè dissolvit. Quia verò Zacharias habere

pro

pro se Canones Apostolorum, & Synodorum jactitabat, invitatus est, ut eos produceret, quod tamen minimè fecit, quia revera non poterat.

325. Et profectò quomodo intelligi potest, Sedem Apostolicam, quæ unum ex Legatis suis prævaricatorem, quia absens erat, damnare noluit, & sententiam adversus Gregorium Arbestam Syracusanum Præsulem latam adhuc sufficienter auditum suspendit, voluisse tunc rigore præcipiti adversus ipsasmet consuetudines suas coram Orbe universo, & Imperatore, contra Photium, ejusque Sequaces inauditos animadvertere, ut ipsemet Nicolaus Epist. ad Clerum Constantinop. Act. 7. Oct. Syn. lecta notavit? Verum est utique, Episcopos præfatos photianos ab Imperatore flagitasse in Synodo hac, ut ipsis liceret testes adducere, quibus constaret, ipsos, & Photium veluti legitimos Episcopos à Nicolao fuisse admissos: at hæc nimia erat impudentia, cum notorium esset, Legatos à Nicolao non ad approbanda, quæ facta fuerant, sed inspicienda, & inde referenda Pontifici, missos fuisse, & hoc scire ad Pontificem pertinebat, uti Supremum Ecclesiæ Principem; ipso ergo publicis literis testante, Se Photium, & Zachariam, Aliosque ab eo missos minimè ut Episcopos recepisse, quis eidem poterat fidem denegare, cum Supremo Principi testimonium de re propria ferenti, irrefragabiliter sit credendum?

326. Et quidem nemo prudens censuerit, Nicolaum Virum gravissimum, Græcorum quoque laudibus commendatum, adeo pueriliter egisse, ut, si Photium, ejusque Legatos, uti veros Episcopos Romæ publicè suscepisset, oppositum publicis literis ad Augustum, ad Pho-

tium, ad Ignatium, ad Clerum Regiæ Urbis, ad Orbis Episcopos omnes retulisset, & quidem uniformi adeò constantia, ut odium propterea Imperatoris in se converterit?

SECTIO QUARTA

Solvuntur Argumenta contra secundam partem Asserti.

317. OBji. I. In Actis nulla legitur omnium Orbis Episcoporum convocatio, aut indictio, sive à Basilio Augusto, sive ab Adriano Romano Pontifice edita, cum Basilius solum Synodum petierit pro Schismate Ecclesiæ Constantinopolitanæ tollendo, ex Epist. ejusdem ad Adrianum, quod quidem eventu comprobatum est; in exordio enim sui solos Apostolicos Legatos, & Apocrisarios Sedium Patriarchalium, & Ignatium Regiæ Urbis Antistitem habuit præsentes, & Act. 12. fuerunt admissi Episcopi duodecim tantum communionis Ignatii, & in fine solummodo numerum centesimum attigerunt; ergò non fuit Oecumenica.

318. Resp. neg. conseq. Etsi enim expressa non legatur convocatio Patrum omnium universi Orbis, habetur tamen implicita, & virtualis, cum Sedes Patriarchales minimè Legatos misissent, nisi ad Synodum Universalem vocatæ fuissent, ad quam à solo Pontifice, & de ipsius voluntate ab Imperatore poterant accersiri. Quoniam verò hæc Synodus à seipsa, à Patribus, ab Imperatore Oecumenica semper appellatur, censendum est, hanc, & non purè Patriarchalem ab Imperatore fuisse ab Adriano postulatam, & convocatam.

319. Idcircò autem pauci adeò Episcopi in eadem

eadem numerantur, quia nemo ad Synodum admitrebatur, nisi qui Libello Româ Constantinopolim transmisso subscriberet: ii autem, qui Libello subscribere renuebant, multissimi erant, Photii communione polluti, quorum tamen aliqui accesserunt, Libellum porrigentes, numerumque centesimum expleverunt: neque numerus major, vel minor facit Synodum Oecumenicam, sed aliæ rationes, quæ huic Synodo non defuerunt.

330. Obji. II. Synodus VIII. præcipuè prò Ignatio in Patriarchatu firmando, & condemnatione Photii stabilienda, Ecclesiâque Constantinopolitanâ pristinæ tranquillitati restituendâ fuit collecta: hoc autem non est motivum Synodi universalis, cum causa privata fuerit, peculiaris, non universalis Ecclesiæ: alioquin multæ aliæ Synodi, quæ similia negotia tractarunt, uti fuit Synodus sub Menna, & Hormisda Pontifice, universales dicerentur, quod profectò falsum est; ergò hæc Synodus non fuit Oecumenica, & universalis.

331. Resp. conc. maj. & ne. min.: nam causa privara potest dare motivum Synodo universali, si Ecclesiæ Summo Pastori opportunum videatur, ex cujus arbitrio pendet, Synodum aliquam esse universalem, vel particularem. Profectò multæ Synodi Orientales, & Occidentales, quales videntur illæ, iu quibus causa Pelagii, & Cœlestii ventilata est, particulares fuere, tametsi de fide tractarent, summaque negotia evolverent: aliæ verò Oecumenicæ, ut Sardicensis, & V. Synodus, in quibus tamen de Personis, non de Fide præcipuè actum est: & Quini-VI. Canones tantum condidit, non Dogmata tractavit, quam tamen Orientales ut Oecumenicam amplectuntur.

Po-

Potuit ergo Synodus VIII. esse universalis, atsi negotia tantummodo duorum Patriarcharum agerentur, quæ cum Ecclesiæ tranquillitatem tangerent, materiam Oecumenicæ Synodo præbere potuerunt.

CAPUT X.

Utrum Synodus, qua Photius fuit restitutus, legitima sit, & Oecumenica?

332. IGnatio post aliquot annos Cathedræ vindicatæ è vivis erepto, cujus sepulchrum, ob egregias ipsius virtutes, portenta, miraculaque decorarunt, quibus Ecclesia permota Apoteosim illi inter Sanctos largita est, eumque propterea ut talem, non minus Latini, quam Græci venerantur, ambitionis antiquæ Photius nequaquam oblitus inhiare ipsi cœpit, machinasque admovere, ut Urbis Regiæ Thronum denuò compararet. Spes eum nequaquam fefellit: Imperator quippe Basilius, quem astutè sibi Bonorum mærore conciliaverat, intimumque fecerat amicum, induxit, ut obtentu tranquillitatis, & pacis eum à Joanne VIII., qui Adriano II. successerat, ejusdem Ignatii in Cathedra Constantinopolitana Successorem postularet, uti defacto, misso cum munificentissimis muneribus Oratore, Pontificem interpellavit. Angustiis undequaque Joannes præmebatur: ex una enim parte Saraceni Romana littora infestabant: ex alia verò Almæ Urbis Magnates eum molestissimè vexabant, nec erat qui adjuvaret. Hiscè incommodis, Augusti fretus auxilio quod pollicebatur, putans occurrere, Pontifex annuit precibus Imperatoris. Dirigit proindè Legatum

Pe-

Petrum Cardinalem, qui cum Eugenio Hostiensi, Pauloque Anconitano Episcopo, jam Constantinopolim missis, ob alia motiva legatione functuris, Synodo assistat, Photium ad communionem Ecclesiæ Romanæ admittat, eumque denuo in Throno collocet Patriarchali, apposita conditione, ut in Synodo veniam erratorum, & misericordiam postularet, polliceretur emendationem, neque Se in posterum Provinciarum Bulgaricarum, quas Ecclesia Romana conversione illius Nationis, Nicolao I. regnante, comparaverat, regimini ullo pacto immisceret.

333. Anno igitur Christi 879. apud Baron. tom. 10. Annal. cum Photius Epistolas omnes ad Se, ad Imperatorem, ad Clerum Constantinopolitanum, cæterosque Patriarchas à Joanne datas, astutissimè habitas in potestate sua corrupisset, Synodus hæc omnino infausta actione prima incepta est, trecentis octoginta tribus Episcopis, ut dicitur, ornata, quos nulla, præter Chalcedonensem, Synodus Orientalis enumeravit. Legitur ibi, Photium bis à Joanne Legatione visitatum, cum duos priores Legatos Apostolicos habeamus, minimè cum ipso ante Synodum communicasse, ex Epist. Joan. tom. 3. Concil. part. ult. cum annotationibus Binii: Joannes Eracleensis Metropolita, Romanam Ecclesiam veluti omnium malorum fontem accusat, Acta Nicolai, & Adriani reprehendit, extollit Joannem, ac finguntur Legati Apostolici in Synodo munera Photio præbere, quod in Epistolis Joannis minimè continetur habuisse in mandatis.

334. Act. 2. 16. Novembris celebrata, leguntur Epistolæ Joannis Papæ ad Imperatorem, & Photium scriptæ, corruptæ tamen, in qui-

bus

bus Photius restituitur, abrasis conditionibus, quas Joannes apposuerat. Irritantur Acta Nicolai I., & Adriani II.: extolluntur laudes Photii, quasi Ignatii miserantis. Referuntur Epistolæ Patriarchæ Alexandrini, Antiochiæ, & Jerosolymorum laudes Photii continentes, & condemnationem VIII. Synodi.

335. Act. 3. 18. Novembris Joannis Romani Pontificis ad Ecclesiam Constantinopolitanam, ejusque Episcopos recitata Epistola, carpitur, ut inutilis: Provinciarum Bulgariæ restitutio ad Imperatorem remittitur, & commonitorium Papæ, corruptum tamen, exponitur.

336. Act. 4. 24. Decembris fingitur adventus Legati Patriarchæ Antiocheni, & per literas etiam Jerosolymitani asserentium, Vicarios Patriarchales VIII. Synodi fuisse Saracenorum Legatos, non Præsulum illorum, & alia similia in VIII. Synodi depressionem scribuntur. Finguntu quoque Pœnitentes introduci, qui in præfata VIII. Synodo adversus Photium deposuerunt: quinque Canones conduntur veluti à Legatis Romanis prodeuntes. I. Provincias Bulgaricas Romano Pontifici addici. II. Nullum in posterum Laicum ad Patriarchatum Constantinopolitanum extolli. III. Præsulem Regiæ Urbis ex solis Clericis assumi. IV. Synodum adversus Photium celebratam rescindi. V. Respuentes cum Photio communicare anathemate percelli.

337. Act. 5. Die 26. Januarii anni 880. celebrata fingitur Canon quasi consensu Romani Pontificis editus, quo sancitur, excommunicatos à Patriarcha Constantinopolitano Papam Romanum, & è contra censurâ percussos à Pontifice Romano Patriarcham Constanti-

nope-

nopolitanum in sui communionem admittere non posse: quo Canone omnimoda inter utrumque Patriarcham statuitur æqualitas.

338. Insuper, Photio postulante, sancitum est, neminem ex Claustris ad Episcopatum venientem, eique valedicentem posse iterum ad Infulas vocari: pœnæ quoque statuuntur adversus sæculares Magistratus quacumque ratione Antistitem vexare audentes.

339. Act. 6. Die 10. Martii in Æde Imperatoris à Patribus Augustus Confessionem Fidei contra consuetudinem exigit. Lecto Symbolo Constantinopolitano, sancitur, ne quidquam, vel minimum ipsi addatur, oblique Latinos carpendo, qui particulam *Filioque* addiderant. Decretis his Basilius Imperator, & Filii subscribunt, etsi Photium in VIII. Synodo, cujus Decretis pariter una cum Filiis calculum apposuerat, uti Virum improbum, & pestiferum reprobasset.

340. Act. denique 7. solemni Ritu in Sanctæ Sophiæ Templo completa, Confessio Fidei Act. 6. approbata legitur, cui omnes Patres assensum præbuerunt, superadditis adversus variantes, aut quoquomodo immutantes, anathematismis.

341. Synodum hanc Græci Schismatici amplectuntur uti legitimam, & Oecumenicam. Marcus Ephesius, Nilus Rodiensium Metropolita, Theodorus Balsamon, & Alii. Videndum est, an ratione nitantur? Catholici verò nedum eam illegitimam, & minimè universalem censent, sed nonnulli Doctissimi, ut Leo Allatius lib. de VIII. Synod. adversus Robertum Ereigtonum Anglum, & Bellar. lib. 1. de Concil. cap. 5. de ipsa, an revera substiterit, vel potius fuerit efficta, vehementer ambigunt.

SE-

Synodus, qua Photius fuit restitutus, nec legitima est, nec Oecumenica.

342. PRima pars patet: quia defuit huic Synodo legitima authoritas: quamvis enim Romani Pontificis imperio fuerit collecta, missis propterea, ut præsiderent, Apostolicis Legatis; non tamen ejusdem Sedis, adeoque neque D. Petri Apostolorum Principis, & consequenter nec ipsius Christi influxu ullo fuit prosecuta, aut legitimè terminata: nam in ea Sedis Apostolicæ Nuntii nihil apparent operati, quod præsidentiam indicaret; in nulla enim Actione leguntur primi, vel præscribere facienda, vel primi Actis subscribere: sed omnia Photius agebat, ipse semper primus loquebatur, ipse Decreta Patribus proponebat stabilienda, ipse seipsum semper extollebat, adeout in additione ad Octavam Synodum legatur: *In hac Pseudo-Synodo Photius ipse, non Legati Romani præsederunt. Imo, coacta Synodo, advenisse illi dicuntur, & à Photio ad Synodum admissi, contra Canones, contraque veterem omnium Generalium Synodorum consuetudinem*; ergo Supremus Ecclesiæ Pastor ei Synodo non præsedit; ergò &c.

343. II. Quia integra Synodi firmitas ex authoritate Sedis Apostolicæ profluit; adeoque valida nequit esse, nisi conditiones, quas illa præscripserit, ad unguem impleantur: idem quippe Christus Dominus per Vicarium suum, & Synodum colligit, & eam, dum celebratur, dirigit, atque consolidat: at Synodus hæc in Photio restituendo conditiones à Romano

Pon-

Pontifice præscriptas minimè implevit; Epistolæ enim incorruptæ, nempe Epist. 79. ad Basil. Augustum, 201. 250. ad ipsum Photium, & commonitorium à Summo Pontifice Legatis traditum jubent, à Photio veniam erratorum, & misericordiam in Synodo postulari, ac promitti emendationem, & Provinciarum Bulgaricarum plenum regimen Romano Pontifici restitui, adeout in ipsis amplius se nullo pacto audeat ingerere sub pœna excommunicationis: istæ autem duæ conditiones minimè leguntur in Synodo impletæ: quantum enim ad primam, profecto non habetur venia à Photio postulata, sed potiùs, quasi innocens esset, impollutus, & segregatus à peccatoribus, uti legitimus sedit Patriarcha, Epistolis corruptis, quibus loco eorum, quæ in ipsius redundabant, ignominiam, & crimina sua indicabant, laudes, & encomia, quibus fingitur Joannes VIII. eum commendare, sibique in authoritate facere æqualem, impudenter substituit, ut patet Act. 1. in qua hujusmodi Epistolæ corruptæ leguntur, à quibus abstulit quoque censurarum inflictionem, si secus fecisset, & loco earum ponit solummodo juxta Sacros Canones objurgationem; ergò quantum ad hoc prima conditio à Joanne VIII. præscripta minimè fuit impleta.

344. Secunda quoque conditio, nempè Provinciarum Bulgaricarum restitutio nequaquam in hac Synodo fuit impleta. Patres enim petitioni Summi Pontificis Act. 4. reposuerunt, hujusmodi redditionem minimè ad ipsos pertinere, sed ad Imperatorem, cui Provinciarum divisio incumbit; neque ob finem hunc Synodum fuisse collectam, uti ex Actis Vaticanis, & Columnensibus habetur, apud Baron. ad an.

Chri-

Christi 879. Idem judicium quoque de commonitorio ferendum, quod à Litteris ipsis genuinis fuisse diversum, nulla permittit verisimilitudo.

345. III. Synodus hæc tota insudat in evertenda Octava sub Adriano II., & Basilio Augusto adversus Photium celebrata, cujus Decreta revocat, ac detestatur, ut patet Act. 5. at nullam authoritatem ad hoc efficiendum habuit, cum Joannes VIII. Legatis suis solummodo authoritatem tribuerit Photium restituendi, non verò Synodum Octavam infirmandi; ergò &c.

346. Quod verò hujusmodi mandatum in Litteris ad Photium, & in commonitorio contentum, Acta omnia in Octava Synodo, & in ea, quam Adrianus II. celebravit adversus eumdem, revocandi, in præfatæ Synodi Actis appareat, eximiam prodit Photii temeritatem Acta publica, atque documenta impudenter adeò coram iis quoque corrumpentis, qui doli, mali, ac fœdifragæ insolentiæ eum poterant arguere.

347. Nec sanè, præscindendo etiam à vitiatis Epistolis, ullo pacto credendum est, Joannem Antecessorum suorum Nicolai I., & Adriani II., multò autem minus Synodi Oecumenicæ, quam, rogante ipsomet Imperatore, postremus iste Pontifex collegerat, Decretis, aut validitati voluisse derogare, & approbare Pseudo-Synodum, privilegia, Primatumque Romani Pontificis oblique impetentem, quem Antecessores omnes Romanæ Ecclesiæ Præsules adeò fervidè semper sustinuerunt: maximè quia Basilius Imperator irritationem VIII. Synodi, & Actorum Nicolai, atque Adriani deletionem minimè petebat, sed solummodo ejectum

ctum Photium, extincto jam Ignatio, restitui, quem falsò exponebat, à Fidelibus communionis Ignatii, atque Methodii ad Insulas postulari.

348. Propterea nemo ex subsequentibus Pontificibus eam ratam habuit: Joannes enim Octavus, cum ejusdem eventum, & Legatorum suorum prævaricationem audisset, coram Populo, & Clero, ascenso Ambone, sumptisque Evangeliis, anathema contra Photium solemniter pronunciavit, teste Formoso Papa Epist. ad Stylian. Cappadociæ Euphatesiæ Archiepiscopum. Ut verò mala, quæ ex Pseudo-Synodo celebrata emerserant, repararet, Marinum Romanæ Ecclesiæ Diaconum, olim ad Synodum VIII. Legatum, Constantinopolim misit virum Sacerdotali constantia insignem. Acta Synodi Photianæ infirmaturum, ex Epist. Steph. VI. ad Basil.: undè tantum abest, Joannem VIII. Photio favisse. Nec quisquam ex subsequentibus Pontificibus, Marino, Adriano III. Stephano VI., aut Aliis quibuscumque inveniri potest, qui Synodum hanc approbaverit.

349. IV. Tandem Synodus hæc ostenditur nulla, & illegitima ex Patribus, qui illi adfuerant, quos Photius jactabat fuisse trecentum, & octoginta tres; aut enim Photii communione polluti erant, & hi profectò legitimam Synodum componere nequaquam poterant, utpote depositi, atque excommunicati à Synodo Octava irreparabili damnatione; aut Methodii, & Ignatii communionis erant: at hi paucissimi numerantur, neque centenarium numerum excedebant.

350. Si dicatur, excommunicatos, & depositos ex gratia Joannis Octavi fuisse admissos; evani-

evanidum, &, ridiculum commentum est: etsi enim rogatus ab Imperatore Pontifex, nedum Episcopos, & Clericos, verum etiam Laicos prævaricatores clementer absolverit, eos tamen tali munere donavit, si pœnitentes fuissent, & cuperent absolutionem: at neque Photius, neque Episcopi ipsi adhærentes ullo pacto pœnitentiam ullam ostenderunt: imò superbia adeò enormi tumuerunt, ut hujusmodi Indultum respuerint, & propterea Photius ab Epistola Joannis omne, quod sonabat Jurisdictionem, & Potestatem, abstulit, ut patet ex Epist. corrupt. in tom. 3. Concil. extan.; ergò cum impœnitentes essent, in illis ea ineptitudo erat, quæ ante manebat, nempè depositio, & censura; adeoque &c.

351. II. quoque pars est perspicua: nam Præsidem Universalem nequaquam habuit: Legati quippè Apostolici minimè ad præsidendum fuere admissi, sed vix ad suffragium ferendum: Photius autem, qui eo munere functus est, Ecclesiæ Universalis nequaquam Pastor erat; sed admisso, eum legitimum fuisse, Ecclesiæ quidem Constantinopolitanæ, aut Orientali præerat, non Universali; adeoque nec præsidere poterat Synodo Universali.

352. Rursus hujusmodi Synodus à Joanne Octavo, qui eam precibus Basilii Augusti concesserat, minimè eam universalem, sive in litteris ad Augustum, sive ad Clerum, sive ad Photium, aut in Commonitorio etiam corrupto appellat; ergò non fuit Universalis, ratio enim Oecumenici in Synodis ultimatè in voluntatem Primi Jerarchæ resolvitur, eam tali titulo decorantem.

353. Ulterius: Restitutio Photii Patriarchatum secunda vice adipiscentis Synodum Oecu-

Oecumenicam minimè requirebat: non enim de ejusdem dignitate, ut in Synodo VIII. contigit, disputandum erat, Ignatio controversiam movente; sed mere ipsi indulgendum, ut eam, Sede Apostolica largiente, reassumeret, venia in Synodo petita; ergo sicuti nulla cogebat necessitas, ita nec verisimile videbatur à Sede Apostolica Synodum Oecumenicam ad finem hunc fuisse concessam.

354. Denique ad Canones in eadem conditos Synodo Oecumenica minimè opus erat; secundus enim præscribens, Episcopos Monachos effectos ad Insulas denuò ascendere non debere, Universalem Synodum non exigebat, cum sufficerent Nationale, aut Patriarchale, aut Romani Pontitificis decreta. Tertius verò, qui videtur alicujus considerationis, quo sancitum est, Patriarchas, & Episcopos carceri minimè mancipari, aut verberibus affici, in Oct. Synodo æquivalenter Can. 21. præventus est.

355. Decretum autem de nulla, vel minima particula Symbolo addenda, jam ab Ephesino I., & Chalcedonensi editum erat. Cætera motiva, nempè tranquillitatis Ecclesiæ, & alia similia ab ipsismet Photianis veluti supervacanea rejiciebantur, ausu temerario addentibus, eam Synodum ad pacandos Ecclesiæ Romanæ turbines, fuisse collectam, cum numquam auditum sit, operâ Orientalium, Occidentalium tumultus fuisse sedatos, benè verò è contra, ut vel leviter Historiâ imbutus Ecclesiasticâ animadvertet.



SE-

SECTIO SECUNDA

Solvuntur objecta contra primum Assertum Puncti secundi.

356. OBji. I. Ob restitutionem Ignatii Synodus Octava collecta fuit, & legitima censetur; ergo etiam illa, quæ restituit Photium, cum uterque fuerit legitimus Patriarcha, uterque dejectus, & uterque restitutus à Sede Apostolica.

357. Resp. neg. conseq. nam ea, quæ pro restitutione Ignatii celebrata est, à legitima nedum Potestate fuit collecta, nempè Adriano II., sed etiam legitime processit, eadem Suprema Petri Potestate dirigente, atque confirmante, legesque sanctissimas pro Fidelium utilitate condente: Photiana verò, etsi sacra Joannis VIII. eam authoritas coegerit, non tamen prosecuta est omnia, Photio, ejusque Sectatoribus depositis, atque excommunicatis irregulariter peragentibus, Apostolica majestate, mandatisque contemptis, atque idcircò Petri Apostolorum Principis, nedum calculo minimè approbata, sed positivè rejecta.

358. Obji.II. Unio Ecclesiæ Orientalis scissurâ laceratæ legitimæ Synodo motivum præbere potuit, ut contigit in Octava Synodo, quæ discordias ejusdem composuit ob Schisma Photianorum exortum; ergò potuit etiam præbere motivum alteri legitimæ Synodo pro unitate Ecclesiæ Constantinopolitanæ, aut inducenda, aut conservanda.

359. Resp. Potuisse quidem ob motivum allatum Synodum legitimam celebrari: at malitia Photii, ejusque Sequacium, qui Romanum

num Pontificem fraude deceperant, minimè contigiſſe, ſed potius oppoſitum; ſedente etiam Photio in Throno Patriarchali, quietem, quam per Ignatium Eccleſia illa comparaverat, amiſit, eamque, cum revera Ignatii, Methodiique Sequaces eidem Photio minimè adhærerent, veluti lupo violenter intruſo, non Paſtori legitimè introducto, nequaquam fuit adepta: ipſe verò non ovibus colligendis, uti eum Joannes Octavus ſapienter admonebat, ſed diſpergendis inſigni crudelitate vacabat, Ignatii, Methodiique communionis Participes acerbè perſequendo, ab Ignatio ſumme devius, qui offenſores ſuos in ſpiritu lenitatis paternè complexus eſt.

360. Obji. III. Synodus hæc Canones edidit Eccleſiæ utiliſſimos, ambitionem quippè, iis conditis, Paſtoratum perquirentium radicitus evellebat, atque ſummam erga Præſules inducebat venerationem, & periculis Fidei occurrebat, ejuſdem Symboli integritate ſervata; ergò fuit legitima.

361. Reſp. neg. conſeq. Ad hoc enim, ut Synodus ritè celebretur, non ſufficit Canones optimos efformare: hos enim Ariani quoque, aliique Hæretici ſanctiſſimos excogitarunt: ſed requiritur legitima Poteſtas, ac recta intentio, quarum utraque Synodo huic defuit: Poteſtas quidem; nam hæc à Romano Pontifice Legatis ſuis erat tributa, non autem à Photio, qui veniam erratorum in ea poſtulare debebat, & caducam per ipſos dignitatem firmare; Recta intentio; cum ejuſdem unicus fuerit ſcopus Sedem Apoſtolicam deprimendi, Conſtatinopolitanam extollendi, Photium declarandi innoxium, reum Ignatium, & Romanos Pontifices, qui ejuſdem innocentiam propugnarunt,

à recto tramite Justitiæ, Veritatisque declinantes, ac propterea hujusmodi Synodi zelosi Orthodoxi numquam adhæserunt, apertèque adversus JoannemOctavum, qui Photium in statum pristinum restituerat, reclamarunt.

SECTIO TERTIA.

Solvuntur objecta contra secundam partem Asserti Puncti secundi.

362. OBji.I. Summus Pontifex pro hujusmodi Synodo celebranda, Basilio Augusto, & Photio petentibus, tres Legatos misit, uti miserat Adrianus II. ad Synodum VIII.; ergò sicuti illa censetur Oecumenica, ita & ista censenda est.

363. Resp. neg. conseq. Non enim præcisa Legatorum Sanctæ Sedis missio Synodos facit Oecumenicas; cum in Primitiva Ecclesia, & Sæculis subsequentibus pluries ad Synodos quoque Nationales, aut Provinciales Legati Apostolici mitti, ut eisdem præsiderent, consueverint, uti de Osio Synodo Alexandrinæ, Gangrensi, Aliisque Præsidente legimus sub Silvestro I., quas tamen novimus minimè fuisse Oecumenicas; sed voluntas quoque Pontificis, aliæque causæ requiruntur, quæ quidem huic Synodo defuerunt: at non defuerunt in Octava, ut in corpore Quæstionis ostensum est.

364. Obji.II. Synodum hanc Sedes Patriarchales, præter Romanam, non quidem per se, sed per Legatos decorarunt, ut patet Act.2. de Sede Alexandrina, & Jerosolymitana, & Act.4. de Sede Antiochena; ergò quantum ad hoc Oecumenica dicenda est. Numerus quoque Patrum magnus fuit, nempe 383.; ergò sicuti

Octa-

Octava Synodus Oecumenica dicitur, etsi ejusdem Patres vix numerum centenarium attigerint; ita hæc multò fortiùs eumdem titulum promeretur, Patrum numero longè florentior, quorum nomina, teste Baron. ad an. Christi 879., Act. 1. describuntur; ergò hęc quoque Photiana Synodus Universalis, & Oecumenica dici potest.

365. Resp. admit. grat. ant., de quo Gravissimi Doctores magnopere dubitant, suspicantes, hæc omnia fuisse conficta, uti novimus Acta quoque arte veteratoria efficta fuisse Synodi imaginariæ adversus Nicolaum, & Ignatium efformatæ: Nego conseq. Non enim ex his præcisè titulis Synodus aliqua fit Oecumenica, cum Synodum V. nemo facit Oecumenicam, nisi post Apostolicam confirmationem. Itaque nec numerus Patrum, qui semper in Synodis etiam Oecumenicis fuit inæqualis, nec Sedium Patriarchalium suffragium, quo plures Synodi minimè Oecumenicæ præfulserunt, ut Synodus sub Menna, hujusmodi titulum inducit; sed Apostolicæ Sedis voluntas, qua factum est, Synodum Constantinopolitanam Primam, aliundè solummodò Nationalem, evadere Universalem, Damaso I. consentiente cum Occidentalibus suis.

366. Obji. III. Synodus Octava ob restitutionem Ignatii, & Schisma Orientalis Ecclesiæ inde exortum exscindendum, collecta, Oecumenicæ titulum meruit; ergò etiam hæc ob eadem motiva eamdem prærogativam meretur.

367. Resp. Synodo Octavæ ob alia quoque motiva hujusmodi titulum congruisse, nempe ob extinctionem omnimodam erroris Iconomachorum reviviscentis, ac eradicationem pravæ opinionis à Photio diffusæ, Animas scili-

cet plures in Homine existere, quàm, utpotè Ecclesiæ Universali noxiam, oportuit in Synodo Oecumenica damnari.. Cæterum etiamsi ob solam Ignatii restitutionem fuisset convocata, poterat adhuc motivum habere sufficiens ad Universalitatem: nam de Ignatio constabat ante apud omnes, eum fuisse legitimum Patriarcham, ob crimina solummodo perperam opposita dejectum: & propterea, ut ejusdem innocentia ab improbis hominibus maculata pristino nitori restitueretur, oportuit Synodum Oecumenicam colligi, tametsi non esset absolutè necessaria. De Photio autem constabat, non intrasse per ostium ad Regiæ Urbis Prælaturam, justèque fuisse depositum: ad ejus ergò restitutionem, quæ mere gratiosa erat futura, atque in ea solummodo Lapsi ad pœnitentiam erant recipiendi, Synodo Oecumenica minimè Pontifici visum est opus esse, sed sufficere Patriarchalem.

SECTIO QUARTA

Ponuntur quædam Corollaria, Græcique hortantur Schismatici, ut ad unitatem Ecclesiæ Catholicæ redeant, sequentes Ignatium, Photium verò respuentes.

368. EX hactenus deductis apparet, quam injustè Græci Heterodoxi Octavam Synodum rejiciant, profectò, sive Decreta spectemus, sive Ignatii restitutionem hominis innocui, sive Photii expulsionem, omni veneratione dignissimam.

369. Liquet quoque, Synodum hanc Photianam malè uti legitimam, atque Oecumenicam recipi, in qua tot iniquitates patratæ sunt, & ba-

& basis æterni Schismatis à vera Dei Ecclesia firmata.

370. Tandem ab ea discere deberent Græci, quem hominem sequantur, lugendæ defectionis Authorem; Virum, quo deteriorem Ecclesia Dei numquam experta est, sævitie Dioscorum, Arium fraudolentiâ, tumore Nestorium, artibus mentiendi, fallendique Manichæum superantem; quem plures Summi Pontifices, & Sedes ipsę Patriarchales Orientis exeeratæ sunt, quemque novimus in excommunicatione objisse, à qua nescimus, an unquam fuerit absolutus.

371. Pudere Græcos deberet ab Ecclesia Romana deflectentes, quam Ignatius Vir Nobilitate, Doctrinâ, Sanctitateque illustrissimus impensè dilexit; quæque è converso illum summa coluit veneratione, cujusque tutelam tot Summi Pontifices immenso labore, indefessa solicitudine susceperunt; eumque cum Græcis descripsere in Cathalogo Sanctorum, cujus proinde memoria decimo Kal. Novembris ab utraque Ecclesia festivè celebratur, ejusque Græcis nedum Orthodoxi, ut Manasses, Curopalates, Nicetas Paphlago, verum etiam Schismatici, ut Zonaras, veluti Hominis Sancti laudes extollunt, quas Viri clarissimi Joannicius Eremita, Michael Syncellus, Metrophanes Smyrnensis Metropolita, Theognostus Archimandrita, Aliique plures magnopere celebrarunt.

372. Quantum verò ad Schisma pertinet operâ Photii excitatum; Photii quidem secunda depositione, & obitu extinctum est; ejus tamen semina remanserunt, è quibus Schisma denuò furore majori emersit.

373. Nicolaus Mysticus, Romano Pontifici Sergio, eo quod ad quartas nuptias ob

inopiam liberorum Leonem Sapientem Augustum admisisset, irasci cæpit. Alii posteriores Patriarchæ usque ad Michaelem Cærularium à Romanæ quidem Sedis obedientia explicitè nequaquam desciverunt; minori tamen, qua decebat, veneratione sunt prosecuti. Præfatus verò Michael apertum contra Romanum Pontificem, ejusque Ecclesiam bellum movit, datis ad Patriarchas Orientales literis seditiosis, quibus ad defectionem excitabantur: Leonis IX., qui pacis consilia propinabat, Legatos Apostolicos Umbertum Silvæ Candidæ Præsulem, & Federicum Archidiaconum amplissimos Cardinales, Petrumque Amalphitanum Archiepiscopum nedum inurbanè rejecit, sed lapidibus expellendos curavit impio stratagemate, cujus meminit Baron. ad an. Christi 1054.; necatique profectò fuissent, nisi Constantinus Monomachus obstitisset.

374. Sequentes Pontifices pro Græcorum reductione pariter laborarunt; Gregorius IX. ad Germanum secundum Patriarcham Legatos misit Minoritas, & Prædicatores cum Literis sapientia refertis, quarum meminit Wadding. tom. 3. Annal. Ord. Min. ad an. Christi 1233. at, re infecta, discesserunt: puduit quippè Græcos videri errantes, etsi in Synodo Ninphæ convictos.

375. Eadem molimina Urbanus IV., & Clemens IV. effecerunt; incassum tamen. Gregorius X. Synodum Lugdunensem secundam, Oecumenicam, pro Græcis reducendis collegit, ad quam revera accessere, veritatemque amplexi sunt, Schismate ejurato; modico tamen tempore in sententia steterunt ad vomitum reversi, Joanne Vecco olim Regiæ Urbis Antistite tantam inconstantiam detestante, & in per-

spe-

ſpecta veritate perſiſtente, quam poſt acerrimas Diſputationes ibidem auditas agnoverat.

376. Idipſum in Florentino contigit, Orientali, atque Occidentali Eccleſia, præmiſſis accuratis Diſputationibus, in unum conveniente. Marcus tamen Epheſius hujuſmodi fœdus paulò poſt ſeditioſo ſermone diſſolvit, Græcoſque ad priſtinam contumaciam revocavit, in qua nunc quoque, paucis demptis, qui Orthodoxæ adhærent Religioni, immoti perſeverant.

377. Faxit Deus, ut Fratres noſtri Orientales calamitate ſaltem fracti, qua ſęviſſimo Turcarum Tyranno cervices ſubjicere compelluntur, addiſcant, quod nimia fælicitate ſeducti dedidicerunt, unam ſcilicet eſſe Eccleſiam, cujus Caput viſibile à Chriſto Domino Romanus Pontifex Petri Apoſtolorum Principis Succeſſor ſtatutus eſt: hoc enim pacto ex utraque Eccleſia fiet unum Ovile, & unus Paſtor.

FINIS SECUNDÆ PARTIS.

INDEX

Tractatuum, & Controversiarum, quæ in hac Secunda Parte Epitomes Manualis Missionariorum Orientalium continentur.

TRACTATUS SEXTUS.

De Sacramentis in Genere.

TRACTATUS SEPTIMUS.

De Sacramentis in specie.

CAPUT PRIMUM.

De Sacramento Baptismi.

Se-

CAPUT II.

De Sacramento Confirmationis.

CAPUT III.

De Augustissimo Eucharistiæ Sacramento.

CA-

CAPUT IV.


CAPUT V.

CAPUT VI.

TRA-

TRACTATUS OCTAVUS.

De Reliquis Orientalium erroribus.



ANT 1318427



